






Ex Bibliotheca [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible]

EXEGESIS
POLEMICA ET APOLOGETICA
NOSTRÆ
JUSTIFICATIONIS
PER FIDEM,
ET
EPISTOLÆ
PASTORALIS
CELSISSIMI S. R. I. PRINCIPIS
ARCHIEPISCOPI
VIENNENSIS
JOSEPHI
E COMITIBUS
DE TRAUTHSON &c.

EXPLANATORE
P. MARCO MARIA STRUGGL,
Ord. Serv. B. M. V.
SS. THEOL. LECTORE EMERITO,
Et p. t.
PROV. GERM. VICARIO
PRIORIS GENERALIS.

Cum Consensu Superiorum & Privilegio Cæsareo.

Prostat venalis Viennæ apud Ignatium Heyinger
Archiepisc. Aulæ & Universit. Typographum. 1754.

PR



pera
mani
Dux
Hetr
polis
Falc
& no
verſis
ger, .
ſitatis
expor
Patris
Servo
cam
ficati
ſtoral
præviè

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

NOs FRANCISCUS Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, & Hieroſolymarum Rex, Dux Lotharingiæ & Barri, Magnus Hetruriæ Dux, Princeps Carolopolis, Marchio Nomenei, Comes Falckenſteinei &c. &c. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis, quòd, cùm Nobis Ignatius Heyinger, Archi-Epiſcopalis Curiæ & Univerſitatis Viennenſis Typographus humillimè exponendum curârit, quem in modum Patris MARCI MARIÆ STRUGGL, Ordinis Servorum B. M. V. Exegeſin Polemicam & Apologeticam Noſtræ Juſtificationis per Fidem & Epiſtolæ Paſtoralis Archiepiſcopi Viennenſis, præviè obtenta approbatione prelo commi-

miſerit, vereatur autem, ne æmulorum invidiâ hanc editionem imitantium impendii & laboris ſui fructu fruſtretur, ideoque Nobis demiſsè ſupplicarit, quatenus ejus indemnitati Privilegio Noſtro Cæſareo ſuccurrere clementiſſime dignaremur: Nos ſubmiſſæ pariter ac æquæ ejus petitioni annuendum cenſuerimus. Ac proinde Authoritate Noſtra Cæſarea omnibus & ſingulis Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis & aliis quibuscunque rem librariam ſeu negotiationem exercentibus firmiter inhibemus, vetamus & interdicimus, ne quis ſupra nominatam Patris MARCI MARIÆ STRUGGL Exegeſin Polemicam & Apologeticam Noſtræ Juſtificationis per Fidem & Epiſtolæ Paſtoralis Archi-epiſcopi Viennenſis quocunque charactere, modô aut formâ ſive integram ſive aliquam ejus partem, aut etiam Synopſin ejusdem, *per quinque annorum ſpatium* ab hodierno die computandum intra Sacri Romani Imperii fines recudere, vel aliis recudendam dare, aliorſumvè impreſſam apportare, vendere vel diſtrahere citra præfati Impetrantis expreſſam voluntatem

tem & conſenſum auſit, vel præſumat, ſi quis verò ſecus faciendo Privilegium hoc Noſtrum ſeu Interdictum violare contemneréque præſumpſerit, eum non ſolum ejusmodi Exemplaribus ubicunque locorum repertis perperam quippe recuſis ſeu apportatis (quæ dictus Ignatius Heyinger ſive propria authoritate, ſive Magiſtratûs illius loci auxilio ſibi vindicare poterit) de facto privandum, ſed & *ſex Marcarum Auri puri* pœna ærario ſeu fiſco Noſtro Cæſareo & parti læſæ ex æquo pendenda omni ſpe veniæ ſublatâ mulctandum decernimus, dummodo tenor hujus Noſtri Privilegii in fronte libri impreſſus reperiatur, & conſueta quinque Exemplaria Conſilio Noſtro Imperiali Aulico exhibeantur. Mandamus itaque omnibus & ſingulis Noſtris & Sacri Romani ſubditis & fidelibus dilectis tam Eccleſiaſticis quàm Secularibus, cujuscunque ſtatûs, gradûs, dignitatis aut ordinis fuerint, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu exiſtentes vel ſuo vel Superiorum ſuorum loco aut nomine jus juſtitiámque adminiſtrant, ne quempiam Privilegium hoc Noſtrum Cæſareum impunè violare,

ſpernere aut transgredi patiantur, ſed ſi quos contumaces compererint, conſtitutâ à Nobis mulcta eos puniri, & quibuscunque modis idoneis coerceri curent, quatenus & ipſi graviſſimam Noſtram indignationem prædictámque pœnam evitare voluerint. Harum teſtimonio literarum Manu Noſtra ſubſcriptarum, & Sigilli Noſtri Cæſarei appreſſione munitarum, quæ dabantur Viennæ die vigeſima nonâ Aprilis Annô milleſimô ſeptingenteſimô quinquageſimô quartô, Regni noſtri nonô.

FRANCISCUS mpr.

(L.S.)

Vt. R. COMES COLLOREDO mpr.

Ad Mandatum Sac. Cæſ.
Majeſtatis proprium.
Matth. Wilhelmus de Haan.







PROLOGUS
AD LECTOREM.

BEnevole Lector! præsens Exegesis Nostræ Justificationis per Fidem inter alias accessorias minoris momenti quæstiones continet primariam totius Theologiæ Polemicæ Controversiam: an nempe nos Christiani justificemur & salvemur per solam fidem & ex sola misericordia Divina propter merita Christi præcisè? utì volunt Lutherani cum Calvinistis. Vel verò: an justificemur & salvemur simul ex justitia Divina remunerativa propter merita Christi simulque propter nostram cooperationem ac concursum nostrorum meritorum supernaturalium? utì credunt Christiani Catholici. Hanc jam tempore Lutheri fuisse primariam Controversiam, quæ inter Catholicos & Lutheranos præcipuè agitabatur, testatur

Philippus Melanthon, Discipulus Lutheri, suo Magistro longè doctior, dum suo Volumini (cui titulus Corpus Doctrinæ Christianæ) *anno* 1560. *Lipsiæ in publicam lucem edito, §. de Justificatione pag.* 66. *hæc verba ad Carolum V. Romanorum Imperatorem inseruit:* Cùm autem in hac Controversia præcipuus locus Doctrinæ Christianæ agitetur, qui rectè intellectus illustrat, & amplificat, honorem Christi, & affert necessariam & uberrimam Consolationem piis conscientiis, rogamus, ut Cæsarea Majestas de rebus tantis clementer nos audiat.

His verbis subtilis & versutus Melanthon Cæsarem Carolum V. Austriacum sub specie pietatis, spiritu tamen & calamo hæretico appellavit: si quidem stante fide de necessitate nostræ cooperationis, & meritorum supernaturalium, non solùm sapientia, sanctitas & justitia Divina remunerativa cum misericordia, sed etiam honor & efficacia meritorum Christi extensivè magis manifestatur, illustratur, & amplificatur; utì clarè patebit ex decursu hujus Exegesis & præcipuè ex evidentibus rationibus infra cap. 15. *num.* 169. *adducendis.*

Ut

Ut autem tota præſens Controverſia de Noſtra Juſtificatione per fidem ſit contra modernos Hæreticos ſicut caſtrorum acies ordinata, *in ingreſſu hujus Exegeſis, quaſi in præludio futuri majoris certaminis, cum illis usque ad Caput quintum congrediendum erit de Controverſiis ſubordinatis minoris momenti; quæ dantur de natura, multiplicitate, & proprietatibus fidei Theologicæ. Dein Capite quinto, poſt relatos errores antiquorum Hæreticorum, explorandum erit per modum inimicæ ſtationis ſyſtema Lutheranorum & Calviniſtarum de ſufficientia ſolius fidei ad noſtram juſtificationem & ſalutem ſine noſtris meritis. Et quidem explorandum erit ſyſtema Lutheranorum tum antiquum de abrogatione legis moralis, in quo illi cum Simone Mago & Eunomianis rejecerunt omnia opera bona; quodque Lutheranorum Duces propter ortos inde Epicureos populi mores deſeruerunt: tum ſyſtema modernum, in quo bona opera ſaltem tanquam fructus fidei requirunt, & in illo, quaſi in ſtatione aliqualiter firmiori, ſe hodiedum pertinaciter defendere conantur. Quàm falſa verò & præſumptuoſa ſit doctrina Lutheranorum & Calviniſtarum de noſtra juſtifica-*

ficatione & ſalute ex ſola miſericordia Divina ſolisque meritis Chriſti ſine concurſu morali noſtrorum meritorum ſupernaturalium, declarabo à Capite ſexto usque ad decimum quartum.

Porrò, cùm quidam Lutherani, Catholicorum dogmatum ignari, aut malevoli, Epiſtolam Paſtoralem Celſiſſimi S. R. I. Principis Archiepiſcopi Viennenſis in favorem ſuæ prædictæ doctrinæ falsè interpretari fuerint conati, à Capite decimo quarto inſtituam ejusdem Epiſtolæ Exegeſim apologeticam, in qua cuilibet adverſario ad oculum manifeſtè monſtrabo, laudatam Epiſtolam Paſtoralem eſſe communi doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ per omnia perfectè conformem, & nec per Jota unum aut unum apicem favere Sectæ & doctrinæ Lutheranorum.

Inter ejusmodi falſos, & doctrinæ Catholicæ ignaros, ſimulque malevolos Epiſtolæ Paſtoralis interpretes præcipuus fuit quidam Anonymus, qui in ſuis annotationibus in eandem Epiſtolam, & ad hujus Demonſtrationem Syntheticam, præcedente anno 1753. Gothæ Saxonum germanicè editis, plures mendaces calumnias non ſolùm Celſiſſimo Viennen-

ſi

ſi Archiepiſcopo, ſed etiam univerſæ Eccleſiæ Romano-Catholicæ, nobisque Orthodoxis omnibus, ſine rubore intulit. Unde ille de ſuis calumniis in ultimo Capite eſt ſpecialiter pro ſuo merito refutandus.

Cæterùm in toto præſente Opuſculo ab ornato politóque ſtylo abſtinui, & uſitato ac ſimplici ſermone diſſerui: Hunc enim ſermonem, *teſte S. Auguſtino (cujus operibus ſecundùm editionem Congregationis S. Mauri ſum uſus)* etiam docti intelligunt, illum autem (*nempe ornatum & politum*) indocti non intelligunt. *Unde ſermo meus, ùt ſpero, tam indoctis quàm doctis, ſive Lutheranis, ſive Catholicis, erit clarè intelligibilis: & præſens Exegeſis utrisque (utì pariter ſpero) cum Divina gratia conducet ad eliciendam ſine errore fidem Chriſtianam de miſericordia Divina & virtute meritorum Chriſti; ad concipiendam ſine præſumptione fiduciam firmam & ſpem in eandem miſericordiam Divinam propter Chriſtum, quæ* ſpes non confundit; *& ad excitandam ſine defectu in cordibus charitatem Dei perfectam, quæ* charitas operit multitudinem peccatorum. *Præſens denique Exegeſis,*

eam

eam attentè legentibus & relegentibus, conducet ad claram notitiam nostræ justitiæ formalis coram Deo; de qua justitia inter Catholicos & Lutheranos cum Calvinistis primaria Controversia hodiedum agitatur. Index verò fusior in fine non solùm cuilibet quæstiones in hoc Opusculo contentas, sed etiam Concionatoribus puncta, populo Christiano præcipuè proponenda, indigitabit. Hæc tibi, benevole Lector! pro prævia notitia hujus Opusculi præmittere volui.

Vale.



CAPUT





CAPUT I.

Quid & quotuplex sit Fides Theologica? & quinam circa illam sint hæreticorum errores?

SUMMARIUM.

1. *Quænam sit etymologia fidei, & quot modis fides in S. Scriptura accipiatur?*
2. *Quomodò Catholici definiant fidem, & fiduciam?*
3. *Quomodò moderni hæretici dividant fidem, eámque definiant?*
4. *Fiducia non est fides strictè dicta, sed effectus fidei, seu spes & securitas fide roborata.*
5. *Unde fides formaliter consistit in actu intellectûs, non verò in actu voluntatis.*
6. *Quidnam objiciant moderni hæretici?*
7. *Hæc clarè solvuntur.*
8. *An fiducia in misericordiam Divinam propter Christum ejúsque merita sit actus honestus & supernaturalis? & formaliter ipse actus spei Theologicæ?*

9. *Fiducia, seu fides specialis, modernorum hæreticorum non est actus supernaturalis & honestus, sed actus naturalis præsumptuosus & peccaminosus.*
10. *Quinam circa fidem sint errores Lutheranorũ?*
11. *Quinam Calvinistarum?*
12. *Quinam aliorum hæreticorum?*

1 Q*Uæres 1.* Quænam sit etymologia fidei, & quot modis in S. Scriptura fides accipiatur?

℞. *ad 1.* Fides secundùm etymologiam nominis in latino sermone accipitur pro virtute fidelitatis, per quam fit, quod dicitur, & promittitur; nam, ùt docet S. Augustinus in Epist. 19. ad S. Hieronymum: *Fides in latino sermone ab eo dicitur appellata, quia fit, quod dicitur. Ubi autem fit, quod dicitur, mentiendi utique non est locus.* Quod S. Pater videtur desumpsisse ex Cicerone, qui lib. 1. de officiis fidem definit, quòd sit *dictorum conventorúmque constantia, ac veritas.* Unde fides secundùm etymologiam nominis latini potiùs significat actum voluntatis, quo quis vult facere, quod dixit, & promisit, quàm actum intellectûs, quo quis alteri credit.

℞. *ad 2.* Fides in S. Scriptura quinque præcipuè modis accipitur, I. pro ipso objecto materiali fidei, seu re à Deo revelata. Sic Apoc. 2. v. 13. dicitur: *Non negâsti fidem meam;* & in Symbolo S. Athanasii: *Hæc est fides Catholica,*

quam

quam nisi quisque integram,&c. Unde in hoc sensu dicimus in Symbolo Apostolorum contineri præcipuos articulos fidei.

II. accipitur pro dictamine conscientiæ; & sic de illa Apostolus ad Rom. 14. v. 23. ait: *Quod non est ex fide, peccatum est.*

III. accipitur pro fidelitate; & sic Apostolus ad Rom. 3. v. 3. *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit? Absit.* Unde etiam juxta commune axioma juridicum dicitur: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.*

IV. sæpius accpitur pro fiducia; ùt Jacobi 1. v. 6. *Postulet in fide, nihil hæsitans.* Et in hoc sensu etiam Christus Matth. 14. v. 31. Petro dicit: *Modicæ fidei, quare dubitasti?*

V. sæpissime & quasi ordinariè accipitur fides in S. Scriptura pro assensu, quo quis propter revelationem Divinam aliquid credit; ùt patet ex verbo *credo*, toties in S. Scriptura reperto. Et in hoc sensu Apostolus ad Hebr. 11. v. 1. fidem definit: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

Quæres 2. Quomodò Catholici definiant fidem, & quomodò fiduciam? 2

℞. *ad 1.* Fides Divina dogmatica generaliter, & prout complectitur fidem Divinam tam assertoriam quàm promissoriam à D. Thoma 2. 2. q. 4. a. 1. & aliis Theologis speculativè definitur cum Apostolo ad Hebr. 11. v. 1.

Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.

Magis practicè verò à Catechismo Romano, Petro Canisio, & Petro Busæo in opere Catechistico cap. 1. §. 4. definitur: *Fides est Dei donum & lumen, quo illustratus homo firmiter assentitur, atque adhæret iis, quæ, ut credantur, sunt divinitus revelata, & ab Ecclesia nobis proposita.*

Utraque definitio est bona, & habet legitimam authoritatem; ùt clariùs patebit tam ex præsente cap. quàm ex tractatu per decursum.

Dixi autem in responsione *Fides divina dogmatica, &c.* nam fidem divinam radicaliter justificativam omnes Catholici cum Apostolo ad Gal. 5. v. 6. definiunt, esse fidem, *quæ per charitatem operatur*; seu producit amorem Dei efficacem, & per hunc tanquam actum imperantem implet legem Dei; utì magìs patebit ex dicendis infra cap. 6. num 57. & 58.

℞. *ad 2.* Fiducia à Catholicis cum D. Thoma 2. 2. q. 129. a. 6. definitur, quod sit *spes fide roborata.*

Responsio patet ex S. Scriptura; nam ad Hebr. 3. v. 6. ait Apostolus: *Nos sumus domus Christi, si fiduciam & gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.* Unde S. Thomas l. c. inquit: *Pertinet autem fiducia ad spem, secundùm illud Jobi 11. v. 18. habebis fiduciam, proposita tibi spe.* Et subjungit: *Ideo nomen fiduciæ hoc principaliter significare videtur, quòd aliquis spem concipiat*

cipiat ex hoc, quòd credit verbis alicujus auxilium promittentis.

Ratio reſponſionis verò eſt: quia fiducia Theologica eſt amor concupiſcentiæ, &, ut ſit firma, debet fundari in revelatione divina promiſſoria alicujus boni: ergo fiducia Theologica eſt ſpes fide roborata.

Quæres 3. Quomodò moderni Hæretici dividant fidem, eámque definiant? 3

℟. *ad 1.* Moderni hæretici, nempe Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 2. §. 9. Kemnitius 1. part. Examinis Concil. Trid. Brochmand part. 2. Theol. Syſtem. pag. 339. & alii, tam Lutherani quàm Calviniſtæ, triplicem diſtinguunt fidem, nempe hiſtoricam, ſeu dogmaticam, fidem miraculorum. & fidem promiſſionum.

Fidem hiſtoricam, ſeu dogmaticam, vocant eam, qua credimus vera eſſe, quæ narrantur, aut revelantur in ſacris literis; de qua Apoſtolus ad Hebr. 11. v. 3. ait: *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei.*

Fidem miraculorum appellant eam; qua fiunt miracula; de qua Apoſtolus 1. ad Corinth. 13. v. 2. inquit: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam &c.*

Fidem promiſſionum verò dicunt eam, quæ fertur in promiſſiones divinas de remiſſione peccatorum, de juſtificatione, & vita æterna; qualis eſt illa Marci 16. v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.*

Porrò hanc fidem promissionum dividunt in *generalem & specialem.* Generalem dicunt, qua credimus promissam esse omnibus credentibus salutem. Specialem verò, qua unusquisque sibi promissionem divinam applicans credit, seu potiùs confidit, peccata omnia sibi per Christum esse remissa, se esse justum justitiâ Christi, & habiturum vitam æternam ex meritis Christi. Et hanc fidem specialem dicunt esse *fidem justificantem.* Quòd autem hæc divisio fidei sit mala & falsa fides specialis, dicam infra cap. 7. num. 79.

℞. *ad 2.* Moderni hæretici fidem justificantem definiunt, esse fiduciam firmam, qua quis in particulari credit, & confidit, omnia peccata proprer satisfactionem Christi sibi esse remissa, se esse justum justitiâ Christi, & se habiturum vitam æternam ex solis meritis Christi.

Sic Lutherus in serm. Dominicæ 2. Quadragesimæ ait: *Fides est certa, altissiméque animo insidens, divinæ bonitatis & gratiæ per verbum Dei cognitæ, atque manifestatæ fiducia.* Loquitur autem de fiducia specialis misericordiæ; ùt patet ex assertione art. 1. & 15. aliísque locis plurimis. Philippus Melanchthon in locis communibus tit. de vocabulo fidei inquit: *Ut igitur vocabulum fides monstret illum Mediatorem, & nobis applicet, significat fides non tantum historiæ notitiam, sed fiduciam misericordiæ promissæ pro-*

propter Filium Dei. Eodem modò fidem juſtificantem deſcribunt in Colloquio Altemburgenſi *fol. 3.* Theologi Electorales; Centuriatores *cent. 1. lib. 1. cap. 4. pag. 113.* Confeſſio Auguſtana *art. 4.* Apologia ejusdem Confeſſionis *art. 4.* & liber Concordiæ *tit. de juſtificatione per fidem pag. 317.*

Lutheranis conſonat Calvinus *lib. 3. Inſtit. cap. 2. §. 7.* dicens: *Fides eſt divinæ erga nos benevolentiæ firma certáque cognitio, quæ gratuitæ in Chriſto promiſſionis veritate fundata per Spiritum ſanctum & revelatur in mentibus noſtris, & cordibus obſignatur.* Et §. 8. ait: *Aſſenſio fidei cordis potius eſt quàm cerebri, & affectus magìs quàm intelligentiæ.* Item §. 16. multa habet de fiducia & expectatione promiſſionum Dei. Unde Melanchthon in præfat. in 2. tom. Lutheri fatetur, hanc ſententiam de fide juſtificante eſſe *quaſi ſemen* omnium hæreſum hujus temporis. Ut autem natura fiduciæ Theologicæ nobis clariùs innoteſcat.

Quæres 4. An fiducia Theologica ſit fides 4
ſtrictè dicta?

℞. Fiducia Theologica non eſt fides ſtrictè dicta & formalis, ſed effectus fidei, ſeu ſpes & ſecuritas fide roborata. *Ita cum ſanctis Patribus communis Catholicorum contra modernos hæreticos.*

Reſponſio patet ex S. Scriptura; nam in hac fiducia ubique accipitur pro ſpe fundata

in aliqua persuasione intellectus humani, aut revelatione divina promissoria; ùt patet lustranti concordantias Bibliorum, horúmque Interpretes. Clarissimè verò constat ex Jobo & Apostolo locis num. 2. relatis; in quibus fiducia Theologica dicitur spes in revelatione Dei promissoria fundata: ergo fiducia Theologica non est fides formalis & strictè talis, sed potiùs effectus fidei.

Ratio responsionis verò est: quia fides firma de revelatione Dei promissoria, seu assensus intellectus firmus & infallibilis propter revelationem Dei promissoriam, voluntatem credentis dirigit, & determinat ad eliciendam spem firmam, seu fiduciam in adjutorio Dei: ergo fiducia Theologica non est formaliter & strictè actus fidei, sed potiùs effectus fidei, seu spes & securitas fide roborata. Sed

Dices: Fides in sacris literis sæpissime accipitur pro fiducia; ùt patet ex locis supra num. 1. pro quarta acceptione fidei relatis, & aliis plurimis: ergo fiducia Theologica juxta S. Scripturam est formaliter & stricte fides. ℞. D. ant. Fides assertoria in sacris literis sæpissime accipitur pro fiducia; n. ant. Fides promissoria; subd. accipitur pro fiducia per figuram metonymiæ, qua nempe causa accipitur pro suo effectu; c. ant. Sine tali figura quasi fiducia per se & formaliter esset fides, aut fides vicissim fiducia; n. ant. & con. Licet igitur fides

des promiſſoria in ſacris literis ſæpius accipiatur pro fiducia, & hæc pro fide promiſſoria; hoc tamen fit per figuram metonymiæ, quatenus fiducia eſt effectus fidei promiſſoriæ. Unde etiam Apoſtolus ad Hebr. 11. v. 1. fidem definivit in ordine ad ſpem & fiduciam tanquam ſuum effectum, dicens: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia* (græcè ὑπόστασις, id eſt ſubſtantia, radix, & fundamentum) *rerum, argumentum non apparentium.* Et v. 6. Subjungit de fide tam aſſertoria quàm promiſſoria: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Unde ulterius

Quæres 5. An fides formaliter conſiſtat in 5
actu intellectûs, vel in actu voluntatis?

℟. Fides formaliter conſiſtit in actu intellectûs, non verò in actu voluntatis. *Ita cum ſanctis Patribus communis Catholicorum contra Melanchthonem in loco communi de fide & juſtific. Kemnitium in examine Tridentini Concil. Seſs. 6. & alios modernos hæreticos.*

Reſponſio patet 1. ex S. Scriptura, & quidem multipliciter.

Primò, quia S. Scriptura fidem manifeſtè diſtinguit à ſpe, ſeu fiducia, & charitate, quæ ultimæ ſunt actus voluntatis, à fide tanquam actu intellectûs dependentes. Sic 1. ad Corinth. 13. v. 13. ait Apoſtolus: *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc.* Ad Coloſs. 1. v. 23. *Si tamen permanetis in fide fundati & ſtabi-*

stabiles, & immobiles à spe Evangelii, quod audistis. Et 1. Petri 1. 21. dicitur: *Qui suscitavit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides vestra & spes esset in Deo.* Eodem modo in aliis plurimis locis S. Scriptura distinguit fidem à spe & charitate.

Secundò, quia S. Scriptura manifestè docet, spem & fiduciam oriri ex Christiana fide; adeoque has non esse formaliter ipsam fidem, sed effectum fidei. Sic ad Ephes. 3. v. 12. ait Apostolus de Christo: *In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem ejus.* Et 1. ad Timoth. 3. v. 13. *Qui enim bene ministraverint, gratiam sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo JEsu.* Idem patet ex pluribus aliis textibus Scripturæ, in quibus spem & fiduciam Theologicam fundat in actu fidei, tanquam actus voluntatis in actu intellectûs.

Tertiò, quia S. Scriptura manifestè docet, actum proprium fidei esse *scire, intelligere*, & *credere*; adeoque fidem formaliter consistere in actu intellectûs, in quo fundatur spes & fiducia tanquam actus voluntatis. Sic Apostolus ad Rom. 4. v. 20. ait de Abrahamo: *Confortatus est fide dans gloriam Deo plenissimè Sciens, quia quæcunque promisit, potens est facere.* Ad Hebr. 11. v. 3. *Fide intelligimus, aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.* Et dein v. 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.*

Item

Item Christus Joan. 14. v. 11. utique de assensu intellectûs quæsivit discipulos: *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?*

II. Constat ex sanctis Patribus, inter quos Dionysius Areopag. de Divin. Nomin. cap. 7. ait: *Divina fides stabilis est credentium sedes; quæ hos in veritate locat in ipsisque veritatem impersuasibili identitate* (id est trium Divinarum Personarum cum una natura, quæ ratione naturali est impersuasibilis) *certam & simplicem veritatis notionem habentibus.* S. Irenæus lib. 1. cap. 3. agens de fide, quæ proponitur in Ecclesia, inquit: *Prædicatio veritatis ubique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad veritatis cognitionem venire.* S. Athanasius in oratione contra idola: *Quia in nobis habemus fidem, ideo possumus celeriter intelligere & contemplari unversitatis Regem, Patris scilicet salutare Verbum.* S. Basilius in Serm. de confessione fidei: *Fides est assensus non hæsitans de iis, quæ audita sunt in certitudine veritatis, & prædicata sunt per gratiam Dei.* Et S. Augustinus lib. de prædest. Sanctor. cap. 2. ait: *Ipsum credere nihil aliud est, quàm cum assensione cogitare . . cogitat omnis, qui credit, & credendo cogitat, & cogitando credit.* Idem docet S. Gregorius Nazianzenus oratione de moderatione in disputationibus. S. Ambrosius Serm. 20. in Psalm. 118. versum: *Principium verborum tuorum veritas.* S. Hieronymus in cap. 4. Epist. ad Ephes. & alii Patres unanimiter.

Unde

Unde Concilium Tridentinum tot manifestis testimoniis S. Scripturæ & sanctorum Patrum innixum Sess. 6. Can. 12. satis modestè damnavit oppositum errorem modernorum hæreticorum, dicens: *Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse quàm fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur; anathema sit.*

Ratio responsionis quoad fidem ejusque actum, qui pro motivo formali habet revelationem divinam præcisè assertoriam, dogmaticam, aut historicam, per se est manifesta; nam similibus revelationibus. e. g. de damnatione infidelium, assentimur per intellectum, & non per voluntatem. Vel, si hoc hæretici negare velint, non solùm dissipiunt, sed etiam fide imò intellectu ipso carent.

Ratio responsionis quoad fidem promissoriam verò est: quia, antequam homo fidelis in voluntate eliciat spem & fiduciam Theologicam, debet per intellectum priùs elicere fidem propter revelationem divinam promissoriam: ergo fides etiam de revelatione Dei promissoria formaliter consistit in actu intellectûs, quo propter similem revelationem credit, & judicat, verum esse, quod promittitur. Ant. patet ex illo communi axiomate: *Nihil volitum, quin præcognitum.* Con. etiam constat; quia inter tres virtutes Theologicas prima est fides,

fides, & fundamentum ſpei & charitatis; ùt patet ex citatis textibus Apoſtoli. 1. ad Corinth. 13. v. 13. & ad Hebr. 11. v. 1.

Quæres 6. Quidnam objiciant moderni hæretici? 6

℞. Sequentia I. Fides in Græco ſermone S. Scripturæ exprimitur per vocabulum πίςις, quod ſignificat fiduciam voluntatis: ergo fides juxta S. Scripturam conſiſtit in actu voluntatis. Præterea fides etiam in Latino ſermone derivatur à *fidendo*, ſeu quia fit, quod dicitur, & promittitur; ùt patet ex dictis ſupra num. 1. ergo fides tam in Græco quàm Latino ſermone ſignificat fiduciam voluntatis.

II. Quando Apoſtolus ad Hebr. 11. v. 1. fidem appellat ὑπόςασιν per hanc vocem non intelligit ſubſtantiam, ſed expectationem, ſeu fiduciam: ergo. Ant. prob. Pſalm. 38. v. 8. dicitur: *Et nunc quæ eſt expectatio mea? nonne Dominus? & ſubſtantia mea apud te eſt:* ergo hìc ſubſtantia accipitur pro expectatione & fiducia.

III. Poſtquam Apoſtolus ad Hebr. 3. v. 6. dixiſſet: *Quæ Domus* (nempe Chriſti) *ſumus nos, ſi fiduciam & gloriam ſpei usque in finem firmam detineamus;* dein v. 14. de eadem re loquens, ait: *Participes enim Chriſti effecti ſumus, ſi tamen initium ſubſtantiæ ejus usque in finem firmum retineamus:* ergo etiam hic ſubſtantia & fiducia idem ſignificant.

IV.

IV. S. Scriptura fiduciam distinguit à spe: ergo licèt spes distinguatur à fide, non tamen distinguitur fiducia. Ant. prob. Apostolus ad Hebr. 3. v. 6. ait: *Si fiduciam & gloriam spei usque ad finem firmam retineamus*: ergo loquitur de illis tanquam duabus virtutibus, & supponit esse distinctas. Præterea fiducia est acquiescentia in bono præsenti, spes verò est expectatio boni futuri: ergo distinguuntur.

V. Saltem fides justificans in S. Scriptura ubique significat fiduciam in misericordiam Dei, remittentis peccata propter Christum; ùt legenti patet: ergo saltem fides justificans est actus voluntatis, & ipsa fiducia in talem misericordiam Divinam. Præterea in aliis fidei sententiis, & veritatibus, quas credimus, non offertur nobis justificatio; ùt e. g. cum narrantur anni Mathusalem, aut ædificatio turris Babel: ergo fides justificans consistit in sola fiducia.

VI. Fides promissoria est complexum ex actu intellectus & voluntatis: ergo fides promissoria formaliter consistit in utroque actu; ita tamen, ut assensus intellectûs justificet solùm radicaliter & remotè, fiducia voluntatis in misericordiam Divinam verò formaliter & proximè. Ant. prob. Ex fide promissoria oritur fiducia; ùt sæpiùs innuit S. Scriptura: ergo.

VII. Actus fidei debet imperari ab actu voluntatis-

luntatis: ergo actus fidei consistit in complexo ex actu voluntatis & intellectus. Ant. patet; quia actus fidei in sensu Catholicorum est liber. Unde S. Augustinus tract. 26. in Joan. ait: *Multa potest homo nolens, sed credere non potest, nisi volens.*

℞. *ad 1.* D. ant. quoad 2. partem: Græcum 7
vocabulum πίστις significat fiduciam voluntatis quandoque, secundariò, & per metonymiam tanquam effectum fidei; c. ant. significat fiduciam voluntatis semper, primariò, & formaliter per etymologiam; n. ant. & sub eadem distinctione n. con. Nomen Græcum πίστις derivatur secundùm etymologiam à verbo πείθω, seu *credo*, sicque etiam dicitur δυσπιστῶ *difficulter credo*. Unde πίστις ordinariè significat in sermone Græco actum intellectûs, quo alteri credo, sicut talem actum significat in sermone Latino. Sic Matth. 9. v. 29. ubi sermo est de fide circa potestatem, Christi ad sanandum, dicitur: *Secundùm fidem vestram* (Græcè πίστιν ὑμῶν) *fiat vobis.* Ubi per πίστιν non potest intelligi fiducia voluntatis; nam Christus de hac potentia à cæcis non requisivit fiduciam voluntatis, sed fidem & judicium intellectûs.

Ad id, quod additur, c. ant. n. con. quia nos non loquimur de fide secundùm etymologiam Latini vocabuli, sed secundùm significationem & actum, quem illa ordinarie & per se significat in S. Scriptura.

Ad

Ad 2. n. ant. nam Apoſtolus l. c. in prima parte ſui textus per ὑπόστασιν intelligit *ſubſtantiam*, ſeu initium fundamentum & radicem ſperandi, ſeu ſpei, & fiduciæ; ſicut in ſecunda parte per *argumentum non apparentium* intelligit fundamentum & radicem cognoſcendi futura, aut obſcura. Sic, etiam ad Hebr. 1. v. 3. de Filio Dei ait: *Qui, cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ* (Græcè ὑποστάσεως) *ejus*, ubi per hoc verbum non poteſt aliud intelligi, quàm ſubſtantia Dei Patris. Ad prob. c. ant. n. con. nam etiam hìc per ſubſtantiam non intelligitur fiducia, aut expectatio, ſed potiùs objectum ejus, nempe Deus, & poſſeſſio ejus per æternam beatitudinem; ùt conſideranti textum patet.

Ad 3. c. ant. n. con. nam Apoſtolus in poſteriori loco per *initium* intelligit fidem, quæ eſt radix juſtificationis, regenerationis, & renovationis ſupernaturalis; & per *ſubſtantiæ ejus* intelligit ipſam juſtificationem, regenerationem, & renovationem, qua ſimus participes Chriſti ejusque meritorum; ùt teſte Cornelio à Lapide in l. c. exponunt Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophilactus, & alii Patres. Imò etſi per particulas *ſubſtantiæ ejus* intelligeretur fiducia tanquam effectus fidei, quæ eſt initium, tamen ex hoc non ſequeretùr fidem formaliter talem eſſe fiduciam, ſed ſolùm initium & radicem fiduciæ.

Ad 4. D. ant. S. Scriptura fiduciam diſtinguit à ſpe imperfecta, & initiali, quæ eſt præcisè ſimplex deſiderium bonorum ſupernaturalium; c. ant. à ſpe perfecta, & formaliter tali, quæ eſt deſiderium fiduciale ſimilium bonorum; n. ant. & con. Ad prob. con. ant. n. con. nam Apoſtolus l. c. fiduciam definit per ſpem firmam; adeoque non vult hæc duo eſſe realiter diſtincta. Fiducia igitur eſt ſpes firma, ita ut vi illius de bonis nobis à Deo promiſſis gloriari poſſimus, *ac ſi à nobis jam eſſent obtenta*; ùt exponit optimus Pauli Interpres S. Chryſoſtomus teſte Cornelio à Lapide in l. c. Unde etiam ipſe Apoſtolus ad Rom. 5. v. 2. ait: *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.*

Ad id, quod additur, D. ant. Fiducia eſt acquieſcentia in bono præſenti quoad motivum & objectum formale; c. ant. in bono præſenti quoad ſe & objectum materiale; n. ant. Diſtinguo etiam alterum membrum: ſpes verò eſt expectatio boni futuri quoad ſe & objectum materiale; c. ant. futuri quoad motivum & objectum formale; n. ant. & con. Hæc diſtinctio clariùs patebit ex num. 8. in quo declarabo, quòd fiducia formaliter ſit ſpes. Imò, quòd fiducia non poſſit eſſe acquieſcentia in bono præſenti quoad ſe & objectum materiale, per ſe clarum eſt: quia acquieſcentia de bono quoad ſe præſenti eſt gaudium, & talis boni fruitio.

Ad 5. n. ant. Licèt enim fides radicaliter justificans in S. Scriptura plerumque significet fiduciam in misericordiam Dei, remittentis peccata propter Christum, non tamen semper; sed sæpius significat quamcunque fidem intellectûs radicaliter justificantem. Sic Matth. 9. v. 28. Christus cæcis petentibus lumen oculorum dixit: *Creditis, quia hoc possum facere vobis?* Et respondentibus: *Utique Domine*, tetigit oculos eorum, v. 29. dicens: *Secundùm fidem vestram fiat vobis.* Item Matth. 16. quærens Apostolos: *Vos autem quem me esse dicitis?* Respondenti Petro: *Tu es Christus Filius Dei vivi;* dixit: *Beatus es Simon Bar-Jona: quia Caro & Sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est.* Idem habetur Lucæ 7. Joan. 6. 11. 14. 20. & in aliis S. Scripturæ locis, in quibus fides radicaliter justificans non significat fiduciam voluntatis, sed assensum firmum intellectûs.

Ad id, quod additur, n. ant. contrarium enim patet ex ll. cc. S. Scripturæ. Interim tamen nullus actus fidei potest sine charitate efficaciter & proximè justificare peccatorem, seu homini conferre primam gratiam sanctificantem, hominem justum verò potest magis justificare etiam actus fidei, quo propter revelationem Divinam credit annos Mathusalem, aut ædificationem turris Babel, imò omnis actus supernaturalis cujusvis virtu-

tis;

tis; utì utrumque declarabo infra cap. 9. num. 103.

Ad 6. D. ant. Fides promiſſoria eſt complexum ex actu intellectûs & voluntatis tanquam ex cauſa & effectu; c. ant. tanquam ex duobus actibus fidei; n. ant. & con. Ad prob. c. ant. & ſub priori diſtinctione n. con. Nos Catholici non negamus, quòd fides promiſſoria aut alia *efficax* ſit complexum ex actu intellectûs & voluntatis; imò dicimus, quòd fides, ut poſſit radicaliter cum efficacia juſtificare peccatorem, debeat eſſe complexum non ſolum ex actu intellectûs, ſeu fidei, & ex fiducia voluntatis, ſed etiam ex actu amoris Dei, qui ſolus efficaciter poteſt conferre primam juſtitiam, ſeu juſtificare peccatorem; nam juxta Apoſtolum ad Galat. 5. v. 6. *Nos enim ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ expectamus. Nam in Chriſto neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Imò fides juxta unanimem S. Scripturæ conſenſum ſine charitate mortua eſt. Sed ſolùm negamus fiduciam, ſeu ſpem, aut charitatem, eſſe formaliter actum fidei, & dicimus eſſe actus trium diſtinctarum virtutum; juxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 13. v. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc: major autem horum eſt charitas.*

Ad 7. C. ant. D. con. ergo actus fidei quà liber conſiſtit in complexo ex actu volunta-

tis & intellectûs; c. con. quà actus fidei præcisè; n. con. Actus fidei deliberatus debet imperari ab actu voluntatis, ut ille sit super omnia firmus; adeoque actus fidei quà liber denominatur talis ab actu voluntatis. Interim tamen actus fidei formaliter consistit in solo assensu intellectûs propter revelationem Divinam. Porrò hoc argumentum nullatenus pugnat pro sententia modernorum hæreticorum; quia hi non volunt, actum fidei formaliter consistere in actu voluntatis præcedente assensum intellectûs, sed in fiducia subsequa. De qua.

8 *Quæres 7.* An fiducia in misericordiam Di vinam propter Christum ejusque merita sit actus honestus & supernaturalis? & formaliter ipse actus spei Theologicæ?

℞. *ad 1.* Fiducia in misericordiam Divinam propter Christum ejusque merita est actus honestus, & supernaturalis; dummodò non sit omninò absolutus respectu æternæ beatitudinis, excludens conditionem etiam implicitam propriæ cooperationis ac meritorum. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum; neque quoad 1. partem negatur ab ullo hæreticorum, exceptis Jansenistis, de quibus infra cap. 11.*

Responsio patet I. ex S. Scriptura, quæ talem fiduciam ubique præsertim in novo testamento laudat tanquam actum honestum, & consequenter etiam supernaturalem. Sic Christus

ſtus Matth. 14. v. 27. dixit ſuis Diſcipulis: *Habete fiduciam: ego ſum, nolite timere.* Et Apoſtolus 2. ad Corinth. 3. v. 4. ait: *Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum.* Ad Epheſ. 3. v. 12. de Chriſto inquit: *In quo habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem ejus.* 1. ad Timoth. 3. v. 13. *Qui enim bene miniſtraverint, gradum bonum ſibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto JEſu.* Ad Hebr. 4. v. 16. poſtquam dixerat, nos habere Chriſtum Pontificem, ſubjungit: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Et ad Hebr. 10. à v. 19. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Chriſti ... accedamus cum vero corde in plenitudine fidei.*

II. Conſtat ex ſanctis Patribus, qui unanimi ore laudant talem fiduciam in miſericordiam Divinam propter Chriſtum ejusque merita; præſertim quando laudant virtutem ſpei firmæ & efficacis. De qua Apoſtolus ad Rom. 5. v. 5. ait: *Spes autem non confundit: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* De tali ſpe inquit S. Bernardus ſerm. 37. in Cantica: *Spes non confundit; quia infundit certitudinem: per hanc enim ipſe Spiritus teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quòd ſimus filii.* Neque ſimilem fiduciam reprobat Concilium Tridentinum, dum Seſs. 6.

Can. 12. statuit: *Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse quàm fiduciam Divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam (NB.) solam esse, qua justificamur; anathema sit.*

Nam per has particulas *vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur*, satis clarè innuit inter actus radicaliter justificativos impium, & productivos amorem Dei & JEsu Christi, per quem amorem homo proximè justificatur, esse etiam talem fiduciam, debitè & sub conditione implicita propriæ cooperationis conceptam.

Ratio Responsionis verò est: quia talis fiducia in misericordiam Divinam propter Christum ejusque merita habet motivum honestum, supernaturale, & à Deo ordinatum: ergo est actus honestus, & supernaturalis; imò est actus primarius spei Theologicæ.

Addidi autem in responsione: *Dummodò non sit actus omninò absolutus, & excludens conditionem etiam implicitam propriæ cooperationis ac meritorum;* nam aliàs non est fiducia ordinata sed præsumptio inordinata & peccaminosa; ùt declarabo num. sequent.

℞. *ad 2.* Fiducia in misericordiam Divinam propter Christum ejusque merita est formaliter actus spei Theologicæ. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum contra plerosque modernos hæreticos, nominatim contra Brochmand, qui in*

in Theol. Systém. tom. 2. pag. 416. in respon. 3. fiduciam à spe vult distinguere

Responsio patet ex S. Scriptura; nam Jobi 11. v. 18. dicitur: *Habebis fiduciam proposita tibi spe*, seu objecto spei. Et Apostolus fiduciam & spem firmam semper pro eodem accipit; nam ad Hebr. 3. v. 6. ait: *Nos sumus domus Christi, si fiduciam & gloriam spei usque in finem firmam retineamus.* Ad Colofs. 1. v. 23. *Si tamen permanetis in fide fundati & stabiles, & immobiles à spe Evangelii.* Idem docet ad Ephes. 3. v. 12. & 1. ad Timoth. 3. v. 13. Clarissimè verò S. Petrus 1. Epist. 1. v. 21. dicens: *Qui suscitavit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides vestra & spes esset in Deo*, id est, fiducia in fide fundata. Unde S. Thomas 2. 2. q. 129. a. 6. ait: *Pertinet autem fiducia ad spem . . Ideo nomen fiduciæ hoc principaliter significare videtur, quòd aliquis spem concipiat ex hoc, quòd credit verbis alicujus auxilium promittentis.*

Ratio responsionis verò est: quia spes firma Theologica juxta communem definitionem Theologorum est *desiderium fiduciale boni ardui, prout à Deo conferendi, expectativum:* atqui etiam fiducia Theologica est tale desiderium; quia secundùm objectum materiale nequit esse gaudium de bono præsenti: ergo fiducia Theologica est formaliter actus spei.

Præterea fiducia Theologica non est formaliter actus fidei, ùt patet ex num. 4. & 5. per

per totum; neque est actus formalis charitatis, seu amor Dei propter ipsam bonitatem & benevolentiam Divinam; utì nec asserunt adversarii: ergo est formaliter actus spei. Con. patet, quia juxta Apostolum 1. ad Corinth. 3. v. 13. tres solùm dantur virtutes Theologicæ, nempe fides, spes, charitas.

Ut autem identitatem actus fiduciæ & spei Theologicæ clariùs intelligas, *observa:* quòd spes, prout est fiducia, pro motivo formali primario habeat Deum *ùt auxiliatorem per auxilia supernaturalia;* prout autem est expectatio boni à Deo conferendi, seu vitæ æternæ, habeat pro motivo formali Deum *ùt fidelem remuneratorem.*

Porrò Deus ùt auxiliator in moderna providentia, seu ordine decretorum, omnibus adultis *absolutè* promisit gratias supernaturales sufficientes, easque dat tempore opportuno; adeoque actus spei, prout est fiducia præcisè, potest esse quodammodo acquiescentia in bono præsenti. Econtra Deus, ùt fidelis remunerator, promisit quidem singulis fidelibus gloriam ùt coronam, non tamen absolutè, sed solùm *conditionatè* obtinendam; juxta illud Apostoli 2. ad Timoth. 2. v. 5. *Non coronabitur, nisi legitime certaverit:* adeoque actus spei, prout est expectatio vitæ æternæ est saltem implicitè conditionata. Idem est de fiducia Theologica sub ratione fiduciæ præcisè, & sub

ratio-

ratione expectationis quà talis vitæ æternæ, aut etiam juſtificationis in præſenti vita.

Quæres 8. An fiducia, ſeu fides ſpecialis, 9
modernorum hæreticorum ſit actus ſupernaturalis & honeſtus?

℞. Fiducia, ſeu fides ſpecialis modernorum hæreticorum (qua nempe inaniter putant, ſe conſequi juſtificationem & conſecuturos eſſe vitam æternam per ſolam fidem in Chriſtum ſine propriis meritis) non eſt actus ſupernaturalis, aut honeſtus, ſed actus naturalis, præſumptuoſus, & peccaminoſus. *Ita communis Catholicorum contra modernos hæreticos.*

Reſponſio colligitur ex S. Scriptura; nam (poſtquam tempore Apoſtolorum Simon Magus & alii quidam Pſeudo - Apoſtoli ex Epiſtolis S. Pauli de ſufficientia fidei ſine operibus docere inceperunt, fidem ad juſtificationem & ſalutem ſufficere ſine operibus etiam legis moralis) S. Petrus ſcripſit ſuas Epiſtolas, in quarum ſecunda cap. 3. v. 16. inquit de Epiſtolis Pauli: *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.* Unde etiam Concilium Tridentinum Seſs. 6. cap. 9. ait: *Prædicatur* (nempe à modernis hæreticis) *vana hæc & ab omni pietate remota fiducia.*

Ratio reſponſionis vero eſt: quia illorum aſſenſus abſolutus ſine conditione implicita

bonorum operum, imò cum horum exclusione, est falsus, & revelationi Divinæ contrarius: ergo non est actus supernaturalis, sed naturalis, præsumptuosus, & peccaminosus. Ant. patet; quia promissio Divina de præstanda adultis vita æterna semper pro conditione implicita aut etiam explicita habet propriam cooperationem & exercitium bonorum operum; ùt patet ex plurimis textibus S. Scripturæ, & clarissimè ex illo Christi Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Dein illorum fiducia ex parte voluntatis, exclusa conditione bonorum operum, per se causat horum neglectum, & laxat frænum concupiscentiis carnis: ergo per se ducit ad peccatum, & consequenter est mala, præsumptuosa, & peccaminosa.

10 *Quæres 9.* Quinam circa fidem sint præcipui Lutheranorum errores?

℞. Errores Lutheranorum circa fidem sunt præcipuè tres, I. quòd actus fidei sit formaliter actus voluntatis, & non actus intellectûs; II. quòd fides specialis, seu fiducia voluntatis in misericordiam Dei propter Christum ejusque merita, sola justificet; III. quòd similem fidem habeant infantes, etiam usu rationis carentes, dum actu baptizantur.

Primum errorem illorum rejeci in præsenti capite; secundum rejiciam infra cap. 6. tertium verò rejiciam in Tract. de Sacra-

cramentis, & in specie de Sacramento Baptismi.

Quæres 10. Quinam circa fidem sint Calvinistarum errores? 11

℞. Errores Calvinistarum circa fidem sunt etiam præcipuè tres, I. dicunt cum Lutheranis fidem esse formaliter actum voluntatis, & non intellectûs; II. cum iisdem dicunt, solam fidem specialem justificare; III. licet cùm Catholicis negent, infantes habere fidem actualem, dum baptizantur, substituunt tamen alium errorem suæ Sectæ proprium: nempe, quòd fides vera sit à fideli inamissibilis. Quem ultimum illorum errorem rejiciam infra cap. 7.

Quæres 11. Quinam sint aliorum modernorum hæreticorum circa fidem errores? 12

℞. Sequentes, I. Sociniani & Arminiani, quamvìs cum Catholicis dicant, fiduciam justificantem Lutheranorum & Calvinistarum sine bonis operibus esse merum figmentum; errant tamen in hoc, quòd cum Semipelagianis dicant, hominem per bona opera naturalia mereri fidem in Christum. Ita docet *Socinus in tract. de justificatione pag. 141. & 142. Arminius in respon. ad 31. articulos pag. 87. & 113. Episcopius Disp. de discrimine vet. & nov. Testamenti: & remonstrantes communiter in Confess. cap. 21. num. 2. & in Apologia pag. 110. & seqq.* Hic error rejectus fuit tract. præced. cap.

cap. 10. à num. 110. & clarè rejicitur ab Apostolo ad Ephes. 2. v. 8. dicente: *Gratiâ enim salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur.*

II. Suenckfeldiani & Weigeliani docent 1. fidem non oriri ex auditu Verbi Divini, sed ex revelatione Dei interna privata; 2. fidem non esse actum creatum, seu à creatura elicitum, sed esse ipsum Christum, imò esse ipsam Dei essentiam. Ita docet *Suenckfeldius in Instit. de verbo, & epist. 93. Confessio ejus Sociorum part. 2. tract. de abusu Evangelii, & Weigelius part. 1. Postill. pag. 316. & part. 3. pag. 16. & 22.*

Iste error quoad 1. partem clarè rejicitur ab Apostolo ad Rom. 10. v. 17. dicente: *Ergo fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi.* Quoad 2. partem verò est error sacris literis, rationibus Theologicis, & ipsi experientiæ fidelium, qua suos actus fidei eliciunt, ita contrarius, ut potiùs irrisionem, quàm polemicam refutationem mereatur. Neque à nota manifesti delirii Sociniani se excitare possunt, nisi dicere velint, se loqui de objecto materiali fidei Theologicæ.



CAPUT

CAPUT II.

De objecto formali fidei Theologicæ, & veracitate Divina.

SUMMARIUM.

13. *Objectum formale fidei Theologicæ non est aliqua ratio naturalis.*
14. *Solvuntur quædam Objectiones.*
15. *Objectum formale fidei Theologicæ est Deus omniscius, & summè verax, ùt revelans.*
16. *Quid sit objectum formale fidei Theologicæ promissoriæ, & quid fiduciæ, prout hæc est actus voluntatis?*
17. *Deus nequit mentiri, & falsum revelàre.*
18. *Quænam objiciant Priscillianistæ?*
19. *Hæc clarè solvuntur.*
20. *An Deus possit patrare miraculum in confirmationem falsi?*
21. *An Deus possit uti amphibologia, aut alicui infundere errorem?*

QUæres 1. An objectum formale fidei sit aliqua ratio naturalis? 13

℞. Objectum formale fidei Theologicæ proximum & immediatum non est aliqua ratio naturalis, aut connexio necessaria & evidens prædicati cum subjecto. *Ita contra Manichæos, & Abailardum, communis Catholicorum, & cum his quoad rem etiam modernorum hæreticorum.*

Re-

Responsio patet ex S. Scriptura; nam Apostolus ad Rom. 10. v. 17. ait: *Ergo fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi;* adeoque fides debet oriri ex auditu Verbi Divini, seu revelationis Divinæ, eique tanquam suo motivo & objecto formali inniti. Unde Apostolus ad Hebr. 11. v. 1. inquit: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium;* quæ nempe credimus propter revelationem Divinam. Idem patet ex aliis S. Scripturæ textibus, in quibus fides Theologica dicitur inniti revelationi Divinæ. Sic Matth. 16. postquam S. Petrus deposuerat Christo confessionem fidei suæ, quòd iste sit Christus Filius Dei vivi, Christus v. 17. ei reposuit: *Beatus es Simon Bar-Jona; quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.*

Ratio responsionis verò est: quia fides Theologica specie differt à scientia, sicut fides humana, qua credo homini propter ejus veracitatem: ergo fides Theologica pro suo objecto formali non debet habere rationem naturalem, aut connexionem necessariam & evidentem prædicati cum subjecto, sed veracitatem Divinam.

Præterea, nisi in obsequium fidei seu revelationis Divinæ captivaremus intellectum, sed res à Deo revelatas sic se habere judicaremus solùm propter rationes naturales, fides

des non eſſet ſupernaturalis, & meritoria; utpote habens motivum ſolùm naturale: ergo non poſſet conducere ad meritum & juſtificationem. Sed

Dices cum Abailardo I. Eccli 19. v. 4. dicitur: 14
Qui credit citò, levis eſt corde, & minorabitur: ſed, qui credit absque examine & ratione rerum credendarum, credit citò: ergo. Præterea credere eſt aſſentiri: ſed aſſentiri eſt niti connexione prædicati cum ſubjecto: ergo hæc connexio eſt motivum immediatum fidei, & non revelatio Dei extrinſeca.

II. *Si* crederemus Deo neglecta ratione naturali, tunc multa crederemus contra rationem naturalem: ſed ſic credere eſt abſurdum & imprudens: ergo. Præterea, qui myſteria fidei credit propter miracula, habet motivum credendi creatum: ſed fidelis myſteria fidei credit propter miracula, & ſigna credibilitatis: ergo. Min. prob. Credens e. g. Incarnationem Verbi Divini ad actum fidei determinatur per miracula, ut poſſit dicere: *Credo Incarnationem, quia eſt confirmata à Deo per miracula:* ergo.

III. Motivum fidei Divinæ debet eſſe per ſe notum: ſed ſola motiva credibilitatis ſunt per ſe nota: ergo. Maj. patet; quia motivum ultimum debet eſſe per ſe notum. Min. prob. Revelatio Divina innoteſcit per ſigna credibilitatis: ergo non eſt per ſe nota. Præterea objectum formale fidei debet reddere obje-

ctum

ctum materiale credibile; & esse ratio, propter quam non solùm credimus mysterium, sed etiam, quòd Deus testetur: atqui hoc totum præstant motiva credibilitatis: ergo hæc sunt objectum formale fidei.

℞. *ad 1.* C. maj. D. min. sed, qui credit absque examine & ratione rerum credendarum, & simul absque indagatione revelationis Divinæ, credit citò; c. min. qui sic credit cum prævia indagatione revelationis Di-Divinæ; n. min. & con. Citò & levi corde credere est credere absque sufficienti indagatione revelationis. Si igitur credens adhibet prævium examen & scrutinium de extrinseca revelatione Divina, & credibilitate mysterii; an nempe re ipsa sit revelatum à Deo? nec citò credit, nec levis est corde. Interim non est opus examine rationum naturalium; nam hæ cum mysteriis fidei, utpote plerumque supernaturalibus quoad substantiam, nullam habent connexionem. Hoc tamen non obstante rationes Theologicæ ex ipsis perfectionibus Divinis deductæ multùm possunt juvare signa credibilitatis. Unde Theologi mysteria fidei solent etiam rationibus Theologicis probare: ex quo tamen non sequitur, quòd hæ rationes sint objectum formale & immediatum fidei, sed solùm hujus adjutorium extrinsecum, prout causant scientiam Theologicam, quæ intellectum juvat ad faciliùs

&

& firmiùs credendum propter revelationem Divinam.

Ad id, quod additur, D. maj. credere eſt aſſentiri aſſenſu fidei, & propter revelationem Divinam; c. maj. eſt aſſentiri aſſenſu ſcientiæ, aut opinionis, & propter rationem naturalem, aut etiāTheologicam;n. maj. & ſic diſtincta min. n. con. Aſſentiri per intellectum eſt quid genericum, quod propter diverſitatem motivorum ſpecificantium poteſt contrahi ad ſpeciem fidei, ſcientiæ, aut etiam opinionis.

Ad 2. n. ſeq. maj. quoad *Ly contra*; nam rationes naturales ſolùm probant, aliqua myſteria fidei non poſſe fieri naturaliter; fides autem aſſerit, hæc poſſe fieri, aut facta eſſe ſupernaturaliter. Quando igitur creditur ali-aliquid ſimile e. g. Verbum Divinum fuiſſe Incarnatum, aut Chriſtum eſſe ſub ſpeciebus panis & vini in pluribus locis, hoc non creditur contra ſed *ſupra* rationes naturales; imò præcisè juxta has non poſſet credi. Unde in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. celebrato dicitur: *Cùm myſteria fidei ſint ſummè vera, & ſummè certa, nulla poteſt afferri ratio contra illa, quæ non ſit Sophiſtica.* Et S. Auguſtinus Epiſt. 2. ad Voluſianum de myſterio Incarnationis ait: *Hìc, ſi ratio quæritur, non erit mirabile; ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus ergo, Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe.*

Ad id, quod additur, D. maj. habet motivum credendi creatum mediatum, & extrinsecum, seu respectu credibilitatis præambulæ c. maj. habet motivum credendi creatum immediatum, & respectu ipsius actus fidei; n. maj. & sic distinctâ min. n. con. Ad prob. D. ant. determinatur per miracula mediatè, extrinsecè, & quoad judicium credibilitatis; c. ant. determinatur immediatè, intrinsecè, & ad ipsum actum fidei Theologicæ; n. ant. & con. Miracula & signa credibilitatis sunt motivum fidei solùm extrinsecum, radicale, & mediatum; proximum verò intrinsecum & immediatum est revelatio Dei summè sapientis & veracis. Unde fidelis, quando dicit, se credere Incarnationem Verbi Divini propter miracula, solùm vult denotare motivum fidei extrinsecum & remotum.

Ad 3. D. maj. objectum formale fidei debet esse per se notum in linea fidei, & intrinseca; c. maj. in linea credibilitatis & extrinseca; n. maj. & sic distinctâ min. n. con. Licèt igitur revelatio Divina, seu quòd aliquid sit à Deo revelatum, probetur per motiva credibilitatis, tanquam per rationem & motivum credendi extrinsecum; in linea tamen fidei Theologicæ ratio intrinseca ultima & simul immediata est revelatio Divina; ùt magìs declarabo infra num. 22.

Ad

Ad id, quod additur D. maj. Objectum formale fidei debet reddere objectum materiale credibile formaliter & immediatè; c. maj. Diſpoſitivè & remotè, ſeu mediatè ſolùm; n. maj. & ſic diſtinctâ min. n. con. Signa credibilitatis ſunt motivum, propter quod fidelis per actum prudentiæ ſupernaturalis judicat, Deum aliquid revelaſſe; motivum autem, propter quòd dein fide Theologica credit tale objectum, eſt revelatio Divina: ita ut hæc, quæ reſpectu actûs prudentiæ fuit objectum materiale, reſpectu actûs fidei ſubſequi ſit objectum formale. Igitur.

Quæres 2. Quidnam ſit objectum formale & 15
motivum fidei adæquatum?

℞. Objectum formale & motivum fidei Theologicæ adæquatum, ſaltem in revelationibus aſſertoriis, eſt Deus ſummè ſapiens, ſeu omniſcius, & ſummè verax, ùt revelans. *Ita quoad rem communis Catholicorum Theologorum, quamvìs quoad modum explicandi in diverſas abeant ſententias; ùt retuli in Theol. Specul. tr. 7. Diſp. 1. q. 1. a. 2. neque à nobis quoad revelationes aſſertorias diſſentiunt Lutherani & Calviniſtæ.*

Ratio reſponſionis eſt: quia illæ perfectiones Divinæ ſunt objectum formale adæquatum fidei Theologicæ, quibus ſuppoſitis & intellectis creatura rationalis habet motivum adæquatum ſufficiens ad præſtandum Deo, aliquid aſſerenti, aſſenſum firmiſſimum: atqui ejus-

ejusmodi perfectiones sunt summa sapientia & veracitas Divina ùt revelans: ergo hæ duæ perfectiones Divinæ cum revelatione Dei ad extra sunt objectum formale adæquatum fidei. Maj. per se patet. Min. etiam constat; quia Deus vi summæ suæ sapientiæ nequit falli; vi summæ veracitatis verò nequit nos fallere: adeoque hæ duæ perfectiones cum revelatione Dei ad extra sunt motivum adæquatum & sufficiens ad præstandum Deo, aliquid asserenti, assensum firmissimum.

Præterea objectum formale fidei humanæ est authoritas hominis loquentis constituta ex complexo ipsius scientiæ & veracitatis; ita ut, quò magìs his duabus virtutibus polleat loquens, eò magìs sit fide dignus: ergo etiam objectum formale fidei Theologicæ, seu Divinæ, est complexum ex summa sapientia & veracitate Divina.

Quòd autem ad præstandum assensum firmissimum Deo loquenti utraque hæc perfectio requiratur, & moveat, patet ex eo, quia, si Deus non esset summè sapiens, posset falli, sicque nobis falsum revelare, etsi esset verax; si autem esset solùm summè sapiens, non verò simul summè verax, posset mentiri & nos fallere: adeoque in neutro casu daretur motivum sufficiens ad præstandum Deo loquenti assensum firmissimum.

Quæ-

Quæres 3. Quid ſit objectum formale fidei Theologicæ promiſſoriæ? & quid fiduciæ, prout hæc eſt actus voluntatis? 16

℞. *ad 1.* Objectum formale adæquatum eſſentiale fidei Theologicæ promiſſoriæ, prout hæc eſt actus intellectûs, ſunt pariter ſumma ſapientia & veracitas Dei revelantis. *Ita quoad rem communis Catholicorum Theologorum, quamvìs quoad modum loquendi aliqui particulares habeant ſententias; utì retuli in Theol. Specul. l. c. neque quoad actum intellectûs nobis expreſſe contradicunt Lutherani & Calviniſtæ.*

Ratio reſponſionis eſt: quia etiam in revelationibus Divinis promiſſoriis priùs per intellectum debeo firmiter aſſentiri Deo revelanti ſuam promiſſionem, & decretum benevolum, quàm per voluntatem poſſim in eo firmiter confidere: atqui motivum formale adæquatum fidei, quo firmiter aſſentior Deo revelanti, eſt ſumma ſapientia & veracitas Divina; ùt patet ex priori reſponſione: ergo.

Addidi autem in reſponſione *adæquatum eſſentiale*; quia in revelationibus Divinis promiſſoriis objectum formale integrale poſſunt etiam eſſe omnipotentia, & fidelitas, aut etiam juſtitia Divina. Interim tamen hæ perfectiones etiam in revelationibus promiſſoriis non ſunt objectum formale neceſſarium & eſſentiale; quia hoc ipſo, quòd Deus ſit ſummè ſapiens, ſeu omniſcius etiam futurorum,

& summè verax, jam habeo sufficiens motivum firmiter assentiendi ejus revelationibus promissoriis; utì fusiùs declaravi *in Theol. Specul. l. c.*

℞. *ad 2.* Objectum formale adæquatum fiduciæ Theologicæ, prout hæc est actus voluntatis consequens actum fidei promissoriæ, sub ratione *fiduciæ* est misericordia Divina propter Christum ejusque merita; item omnipotentia Divina, seu virtus auxiliatrix, fidelitas, aut etiam justitia Dei respectu vitæ æternæ per modum mercedis promissæ: sub ratione *expectationis* & desiderii verò est bonitas Dei respectiva, seu Deus in quantum à nobis per visionem intuitivam & amorem fruitivum possidendus. *Ita quoad rem communis Theologorum, tam Catholicorum quàm heterodoxorum; quamvìs hi in conditionibus fiduciæ à Catholicis differant.*

Responsio patet I. ex S. Scriptura, quæ omnia hæc motiva fiduciæ & spei sæpius exprimit. Sic fiducia in misericordiam Dei propter Christum ejusque merita exprimitur ab Apostolo ad Ephes. 3. v. 12. de Christo dicente: *In quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem ejus.* Imò Actor. 4. v. 12. dicitur de Christo: *Qui factus est in caput anguli: & non est in aliquo alio salus. Neque enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Omni-

Omnipotentia Divina, ejusque virtus auxiliatrix exprimitur Pſalm. 17. v. 3. *Deus meus adjutor meus, & ſperabo in eum.* Et Iſaiæ 26. v. 4. *Speraſtis in Domino Deo forti in perpetuum.*

Fidelitas Divina 2. ad Theſſal. 3. v. 3. *Fidelis autem Deus eſt, qui confirmabit vos, & cuſtodiet à malo.* Et 1. Joan. 1. v. 9. *Fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

Et juſtitia Divina 2. ad Timoth. 4. v. 8. *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.*

II. Conſtat ex unanimi doctrina Eccleſiæ & ſanctorum Patrum, qui in loca citata S. Scripturæ fiduciam & ſpem Theologicam in prædictis perfectionibus Divinis reponunt. Unde Concilium Tridentinum Seſs. 6. cap. 9. contra inanem hæreticorum fiduciam in ſolis meritis Chriſti ſine cooperatione hominis per gratiam ait: *Quamvìs autem neceſſarium ſit credere, neque remitti, neque remiſſa unquam fuiſſe peccata, niſi gratìs Divina miſericordia propter Chriſtum; nemini tamen fiduciam & certitudinem remiſſionis peccatorum ſuorum jactanti, & (NB.) in ea ſola quieſcenti, peccata dimitti, vel dimiſſa eſſe dicendum eſt.* Et dein Can. 12. inquit: *Si quis dixerit, fidem juſtificantem nihil aliud eſſe quam fiduciam Divinæ miſericordiæ, peccata remittentis propter Chriſtum; vel eam fiduciam ſolam eſſe, qua juſtificamur; anathema ſit.*

17 *Quæres 4.* An Deus poſſit mentiri, & falſum revelare?

℞. Deus non poteſt mentiri, & falſum revelare, ac proponere credendum. *Ita cum ſanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam modernorum hæreticorum, contra Priſcillianiſtas apud S. Auguſtinum lib. 4. contra mendacium cap. 2.*

Reſponſio patet ex S. Scriptura: nam Numer. 23. v. 19. dicitur: *Non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur: nec ùt Filius hominis, ut mutetur.* Ad Rom. 3. v. 4. *Eſt autem Deus verax: omnis autem homo mendax.* Clariſſimè verò ad Hebr. 6. à v. 17. ubi Apoſtolus declarans revelationem promiſſoriam directam ſufficere, docet Deum reflexam de ſua authoritate ſuperabundanter addidiſſe, & nunquam mentiri poſſe, dicens: *In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit jusjurandum: ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem.* Idem docent ſancti Patres & Interpretes communiter in loca citata S. Scripturæ.

Ratio reſponſionis verò eſt: quia veracitas perfectiſſima eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quam Deus nequit à ſe abdicare: ergo Deus nequit mentiri. Ant. patet; quia carentia veracitatis eſt imperfectio, & ipſa veraci-

tas

tas pura perfectio moralis. Con. etiam constat; quia mendacium directè opponitur veracitati.

Præterea, si Deus posset mentiri, posset se reddere fide indignum, seu non esse summè fide dignus: sed Deus nequit se reddere fide indignum. Min. etiam constat: quia Deus nequit se reddere contemptibilem, & consequenter neque fide indignum.

Unde Deus etiam de absoluta sua potentia nequit mentiri; ùt cum communissima Catholicorum contra Holkot & Alliacensem dixi *in Theol. Specul. tr. 7. Disp. 1. q. 2. a. 1.*

Porrò hoc ipso, quòd Deus non possit mentiri, etiam non potest falsum revelare, & ad credendum proponere. Ratio hujus est: quia revelatio Dei ad extra est formaliter locutio Dei ad extra: adeoque, si Deus falsum revelaret, & credendum proponeret, mentiretur.

Quæres 5. Quidnam objiciant Priscillianistæ? 18

℞. Sequentia, I. Deus defactò in sacris literis fuit mentitus, & falsum revelavit: ergo potest mentiri & revelare falsum. Ant. prob. Deus multa prædixit, quæ non evenerunt: ergo. Ant. prob. Deus Jonæ 3. v. 4. dixit: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur;* & tamen urbs Ninive post quadraginta dies non fuit subversa. Item Isaiæ 38. v. 1. prædixit

xit Deus mortem Regis Ezechiæ infirmi; & tamen iste reconvaluit: ergo.

II. Deus in Sacra Scriptura nonnullos decepit tum per se, tum per alios nomine suo loquentes: ergo revelavit falsum. Ant. prob. Ezechielis 14. v. 9. expressè dicitur: *Ego Dominus decepi Prophetam illum:* ergo vel Deus re ipsa Prophetam illum decepit, vel mentitur, se illum decepisse. Item 3. Reg. 22. v. 20. dixit Deus: *Quis decipiet Achab Regem Israel?* & spiritus quidam reposuit: *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus.* Cui dixit Deus: *Fac ita;* unde dein subditur: *Ecce dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum ejus:* ergo.

III. Plures Divino Spiritu moti sunt mentiti: ùt Jacob, qui dixit, se esse primogenitum filium Isaac: ergo Deus ad similia mendacia non solùm se habuit permissivè sed etiam positivè. Ant. prob. Deus Jacob dilexit, & ei præparavit jura primogeniti: ergo Jacob Spiritu Dei motus dixit, se esse primogenitum, qui tamen non fuit.

IV. Ideo Deus non posset mentiri, quia obligaretur ad non mentiendum, & mentiendo peccaret: atqui Deus non obligatur ad non mentiendum, neque mentiendo peccaret: ergo. Min. prob. Deus non potest obligari ab alio, sed solùm à sua voluntate libera: sed hoc ipso, quòd vellet mentiri non obli-

obligaretur à ſua voluntate ad non mentiendum: ergo. Præterea Deus poteſt diſpenſare in obligatione à ſe lata: ergo poteſt in caſu particulari mentiri.

V. Ideo Deus non poſſet mentiri de potentia ſua abſoluta, quia mendacium eſſentialiter eſſet malum morale: ſed hoc ipſo, quòd Deus vellet mentiri, mendacium non eſſet malum morale: ergo. Min. prob. Hoc ipſo, quòd Deus præciperet homicidium innocentis, ablationem rei alienæ, aut ingreſſum ad non ſuam, homicidium, furtum, & fornicatio non eſſet malum morale: ergo à pari. Min. patet in Abrahamo, qui juſſu Dei voluit occidere innocentem filium Iſaac; in filiis Iſraël, quibus Dominùs præcepit, ut tollerent vaſa aurea & argentea Ægyptiorum; item in Oſea Propheta, cui præcepit Dominus ingreſſum ad mulierem fornicariam.

VI. Mendacium poteſt à Deo præcipi: ergo etiam perpetrari. Ant. prob. Si quis invincibiliter putat, mendacium officioſum eſſe licitum, & præceptum ad ſalvandam vitam propriam, aut proximi, tunc tenetur lege naturali & conſequenter etiam lege Divina mentiri: ergo. Præterea, ſi tyrannus interrogaret Confeſſarium, an pœnitens confeſſus ſit aliquod peccatum, Confeſſarius debet negare: ergo deberet mentiri. Item nulla eſt ratio dicendi, quòd Deus cum homine in extre-

ma

ma necessitate constituto non possit dispensare, ut licitè possit mentiri: ergo Deus potest etiam dispensare secum ipso.

VII. Ideo Deus non posset mentiri, quia ad hoc essentialiter obligaretur à sua sapientia & veracitate: sed Deus ad hoc non obligatur essentialiter à sua sapientia & veracitate: ergo. Min. prob. Deus non obligatur essentialiter à sua sapientia & veracitate ad prohibendum positivè mendacium creatum: ergo neque ab illa essentialiter obligatur ad non mentiendum. Con. prob. Ideo Deus à sua sapientia non obligatur essentialiter ad prohibendum mendacium creatum: quia illud directè solùm repugnat bono rationali creato: sed etiam mendacium, quod Deus committeret decipiendo creaturam, directè solùm repugnaret bono creato: ergo.

VIII. Deus supposita revelatione, e. g. de Antichristo creando, potest illum non creare: ergo potest falsificare suam revelationem & consequenter mentiri. Ant. prob. Quando Deus revelat se esse creaturum Antichristum, revelat se esse illum liberè creaturum; adeoque cum potentia ad non creandum: ergo stante revelatione potest illum non creare. Con. prob. Revelatio prædicta non tollit sed supponit potentiam ad non creandum: ergo.

IX. Deus ex sua veracitate tantùm obligatur conformare suam dictionem conceptui

non

non verò rei conceptæ : ergo, licèt Deus non poſſit mentiri, poteſt tamen uti reſtrictione purè mentali, & ſic falſum revelare. Præterea Deus poteſt per ſe homini infundere errorem actualem, aut habitualem : ergo poteſt falſum revelare. Con. patet ; quia Deus mediante tali errore teſtaretur falſum.

X. Ideo Deus non poſſet mentiri, falſum revelare, aut uti reſtrictione purè mentali, quia ſic agendo non eſſet ſummè fide dignus, & amitteret perfectionem ſimpliciter ſimplicem veracitatis : ſed ſic hanc non amitteret : ergo. Min. prob. Sic Deus ſolùm in actu ſecundo non eſſet ſummè fide dignus, & verax : ſed veracitas in actu ſecundo non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex : ergo.

℟. *ad 1.* n. ant. Ad prob. D. ant. Deus mul- 19
ta prædixit abſolutè futura, quæ non evenerunt ; n. ant. Conditionatè ſolùm futura ; c. ant. & n. con. In ſimilibus igitur revelationibus ſemper implicitè fuit ſubintellecta aliqua conditio : in prima nempe, niſi Ninivitæ priùs pœnitentiam egerint ; in ſecunda verò, niſi Ezechias pro prorogatione vitæ rogaverit, & de ſuis peccatis pœnitentiam egerit. Unde ſimiles revelationes non fuerunt falſæ ; cùm ſolùm fuerint conditionatæ, & non impletæ propter oppoſitam conditionem. Neque Deus tenetur ſemper revelare

con-

conditiones implicitas, quæ ex natura rei revelatæ facilè colligi poſſunt.

Ad 2. D. ant. Deus nonnullos decepit poſitivè, & per ſe falſum revelando; n. ant. Decepit ſolùm permiſſivè, nempe permittendo ipſos errare, & aliis ſuum errorem manifeſtare, aut etiam ſcienter alios decipere; c. ant. & n. con. Deus igitur dicitur decipere, indurare, aut dare in reprobum ſenſum, permiſſivè non verò poſitivè; ùt docent S. Auguſtinus, D. Thomas, & cum aliis ſanctis Patribus Catholici communiter. Præterea l. c. non eſt ſermo de veris Prophetis, quos miſit Dominus, ſed de falſis Pſeudoprophetis, quos Achab aſſumpſit, & qui prophetarunt, etſi Dominus non fuerit locutus.

Ad 3. n. ant. quia Patriarchæ; qui videntur fuiſſe mentiti in Scripturis, vel mentiti ſunt Deo ſolùm permittente, & non poſitivè movente: ùt volunt Cornelius à Lapide, Lyranus, & alii. Vel, ſi Divino Spiritu locuti ſunt, verba illorum fuerunt amphibologica, & vera in ſenſu, quem habebant ex circumſtantiis rei ſignificatæ; ùt docent S. Auguſtinus, Ambroſius, & S. Thomas. Sic igitur Jacob dixit, ſe eſſe primogenitum filium Iſaac; quia ex Divina revelatione ſcivit, ſe eſſe prærogativas primogenituræ accepturum.

Ad 4. c. cauſ. maj. n. min. Ad prob. n. maj. nam Deus obligatur à ſua ſapientia, & per-

perfectionibus ſimpliciter ſimplicibus, ac neceſſariiis, ſicut homo à proprio dictamine conſcientiæ. Licèt igitur voluntas Divina ſit prima regula præceptiva morum ad extra, ad intra tamen prima regula morum directiva eſt ſumma ſapientia Divina. Imò, ſi argumentum aliquid probaret, etiam probaret, quòd Deus poſſit eſſe infidelis, injuſtus, & omnia alia mala moralia perpetrare; quia, ſi hæc vellet, non eſſent contra illius voluntatem.

Ad id, quod additur, d. ant. ſi actio eſt ſolùm contra bonum creatum, & non eſſentialiter mala; tranſ. ant. ſi actio eſt directè contra aliquam perfectionem Divinam, & eſſentialiter mala; n. ant. & con. Dixi autem: *Tranſ. ant.* quia in tali caſu non datur diſpenſatio propriè dicta ſed potiùs mutatio moralis materiæ per dominium Divinum abſolutum; ùt dixi *in Theol. Specul. tr. 6. Diſp. 5. q. 2. a. 5.*

Ad 5. c. cauſ. maj. n. min. quia adhuc repugnaret ſapientiæ Divinæ, & veracitati, ſicut illi repugnat infidelitas, & injuſtitia, aut alia volitio mali moralis. Ad prob. c. ant. n. con. Diſparitas eſt: quia hoc ipſo, quòd Deus ſimiles actiones præciperet, conferret per ſuum dominium abſolutum homini jus ad illas exercendas; adeoque moraliter mutaretur materia; ùt dixi in Theol. Specul. l. c. Neque ſimiles actus in tali caſu repugnant ſapien-

pientiæ aut alicui alteri perfectioni Divinæ; quia mutatur moraliter materia, & actio creaturæ evadit bona ac justa; e. g. quòd Oseas Propheta mulierem, prius fornicariam acceperit ex mandato Divino in suam uxorem: econtra, licèt per impossibile Deus præciperet mendacium, hoc adhuc maneret mendacium, & repugnaret veracitati Divinæ. Præterea disparitas est: quia prædicti actus directè sunt solùm contra bonum creatum; quod est commutabile, cujusque Deus est absolutus Dominus; econtra mendacium est directè contra veracitatem Divinam, & bonum incommutabile: quod Deus non possidet per liberum dominium, sed per suam essentiam.

Ad 6. n. ant. quòd nempe mendacium possit à Deo positivè præcipi, præsertim per se, & directè. Ad prob. d. ant. tenetur lege naturali, & consequenter etiam Divina, mentiri per accidens, & prout mendacium propter judicium erroneum intellectûs in esse intentionali apparet bonum & licitum; c. ant. tenetur mentiri per se, & prout mendacium re ipsa est malum morale; n. ant. & sub eadem distinctione n. con. Deus igitur in tali casu non præcipit mendacium per se & directè, sed solùm illud præcipit indirectè, ut nempe homo satisfaciat dictamini suæ conscientiæ, & ponat mendacium, prout hoc illi in esse intentionali apparet bonum: quia sic denu-

datur à malitia quoad affectum. Ex quo tamen nullatenus sequitur, quòd Deus ipse possit mentiri; cùm Deus semper sciat mendacium esse malum, & directè repugnans suæ veracitati.

Ad id, quod primò additur, d. ant. tenetur negare mentiendo; n. ant. utendo amphibologia, & restrictione non purè mentali; c. ant. & n. con. Usus amphibologiæ, & restrictionis non purè mentalis, non est mendacium; ùt dicam ìnfra num. 21. Ad id, quod additur secundò, n. ant. Licèt enim Deus de absoluta sua potentia non teneatur mendacium positivè prohibere, illud tamen per carentiam prohibitionis nequit cohonestare; cùm illud sit essentialiter malum, & directè repugnans bono indefectibili, nempe veracitati Divinæ.

Ad 7. c. caus. maj. n. min. Ad prob. c. ant. n. con. Disparitas est: quia Deus ad proprium mendacium se haberet positivè, illud committendo; ad alienum verò solùm permissivè illud non prohibendo. Item mendacium proprium directè & immediatè repugnaret veracitati Divinæ, alienum verò veracitati creatæ, & hac mediante veracitati Divinæ. Ad prob. c. maj. n. min. ob rationem jam datam. Sicut igitur ex eo, quòd Deus possit permittere infidelitatem aut injustitiam creatam, non sequitur, quòd ipse possit esse infidelis,

& injustus; ita ex eo, quòd possit permittere mendacium creatum, non sequitur, quòd ipse possit esse mendax.

Ad 8. retorqueo argumentum: ergo etiam scientia Divina poterit falli, & falsificari. In forma d. ant. Deus potest illum non creare potentia antecedente suum liberum decretum, seu simultate potentiæ; c. ant. potentia consequente suum liberum decretum, seu potentia simultatis & actuum; n. ant. d. con. ergo potest falsificare revelationem & mentiri, si posset illum non creare etiam potentia consequente, & simultatis; c. con. Si illum potest non creare potentia solùm antecedente, & simultate potentiæ; n. con. Imò hoc ipso, quòd Deus Antichristum in tempore non crearet, non daretur scientia de futuritione illius, neque revelatio; quia hæc utraque supponit omnipotentiam Divinam per decretum determinatam, & Antichristum futurum.

Ad 9. n. ant. nam Deus vi suæ veracitatis & sapientiæ tenetur locutionem & revelationem conformare directè suo conceptui; &, cùm iste sit infallibiliter verus, indirectè etiam tenetur revelationem conformare rei revelatæ: secùs tamen est in creatis, ubi veritas materialis & formalis locutionis sunt separabiles. Ratio autem, cur Deus non possit uti restrictione purè mentali, est: quia talis restri-

ctio eſt mendacium formale aut ſaltem virtuale; ùt dicam infra num. 21.

Ad id, quod additur, D. ant. Deus poteſt infundere errorem directum, & circa rem apprehenſam; c. ant. errorem reflexum & circa locutionem Divinam; n. ant. & con. Hæc diſtinctio magìs patebit ex dicendis infra num. 21.

Ad 10. tranſ. cauſ. maj. n. min. Ad prob. n. maj. quia Deus, ſi in actu ſecundo non eſſet ſummè fide dignus, & verax, neque ìn actu primo talis foret; quia actus ſecundus oritur ab actu primo, & hunc ſupponit. Dixi autem: *Tranſ. cauſ. maj.* nam ratio primaria, cur Deus non poſſit mentiri, eſt: quia mendacium directè repugnat ſapientiæ, & veracitati Divinæ.

Unde etiam ſequitur, quòd Deus poſſit cohoneſtare e. g. occiſionem innocentis, aut ablationem rei alienæ, ſaltem de potentia ſua abſoluta; non tamen poſſit cohoneſtare & præcipere mendacium. Ratio hujus eſt: quia in prioribus, ſtante occiſione & ablatione rei alienæ, poteſt à Deo moraliter mutari materia per collationem ſolius juris ad hæc perpetranda; adeoque voluntas creata conſequens non eſt mala, & neque indirectè repugnat alicui perfectioni Divinæ. Econtra in mendacio, ſeu locutione contra mentem non poteſt moraliter mutari materia; cùm menda-

cium præcisè quà tale ſit malum morale; adeoque voluntas creata in illud ſcienter tendens ſemper ſaltem indirectè & mediate repugnat veracitati Divinæ. Quod autem repugnat alicui perfectioni Divinæ, nequit à Deo cohoneſtari, præcipi, aut poſitivè perpetrari.

20 *Quæres 6.* An Deus poſſit patrare miraculum in confirmationem falſi?

℞. *1.* Deus nequit patrare miraculum, aut alicui creaturæ conferre poteſtatem patrandi verum miraculum pro illis circumſtantiis, in quibus non poſſet prudenter colligi alius finis, quam confirmatio doctrinæ falſæ. *Ita cum ſanctis Patribus D. Thomas quodl. 2. a. 6. & alii Theologi Catholici communiter, imò & moderni Heterodoxi, contra Priſcillianiſtas.*

Reſponſio colligitur ex S. Scriptura; nam Chriſtus Joan. 15. v. 24. ait de Judæis: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent;* ubi præmiſit: *Nunc autem excuſationem non habent de peccato*, nempe ſuæ infidelitatis: ergo ſignum eſt, quod Deus non poſſit patrare miraculum in confirmationem falſæ doctrinæ; nam aliàs etiam videntes miracula poſſent habere excuſationem.

Ratio reſponſionis verò eſt: quia miraculum in talibus circumſtantiis, in quibus non poſſet prudenter colligi alius finis illius quàm confirmatio doctrinæ falſæ, in æſtimatione mo-

morali eſſet confirmatio doctrinæ falſæ, & conſequenter mendacium virtuale: ergo Deus, cùm non poſſit mentiri, non poteſt in talibus circumſtantiis patrare miraculum. Ant. patet; quia in talibus circumſtantiis deberet credi, Deum velle confirmare hanc doctrinam; *ſicut, cùm aliquis defert literas annulo Regis ſignatas, creditur ex voluntate Regis proceſſiſſe, quod in illis continetur*; ùt à pari ait D. Thom. 3. p. q. 43. a. 1.

℞. *2*. Deus poteſt per ſe aut per creaturam patrare miraculum in illis circumſtantiis, in quibus prudenter poteſt colligi alius finis miraculi, quàm confirmatio doctrinæ falſæ. *Ita Theologi communiter.*

Ratio reſponſionis eſt: quia miraculum non eſt eſſentialiter aut etiam ex natura ſua phyſica, locutio Dei externa, aut conteſtatio locutionis Divinæ, vel alienæ, ſed poteſt à Deo fieri ex alio fine: ergo poteſt à Deo fieri in illis circumſtantiis, in quibus prudenter poteſt colligi alius finis miraculi. Ant. patet; quia miraculum poteſt à Deo fieri ad oſtendendam ſuam omnipotentiam, gloriam & honorem Sanctorum, vel ob alios ſimiles fines; utì etiam reſurrectio mortuorum fiet, ut corpus glorioſum præmietur. Con. etiam conſtat; quia ſic miraculum à Deo re ipſa patraretur ex alio fine, & hunc alium finem prudentes facilè poſſent colligere; adeoque miraculum

etiam in æstimatione morali non esset mendacium virtuale, seu confirmatio doctrinæ falsæ. Si quis igitur in tali casu deciperetur etiam miraculo inductus, hoc fieret tam in linea physica quàm morali purè per accidens. Quæ contra præcedentes duas responsiones objici possent, sunt minoris momenti, & illa solvi *in Theol. Specul. l. c. a. 2.*

21 *Quæres 7.* An Deus possit uti amphibologia, aut alicui infundere errorem?

℞. *ad 1.* Deus in loquendo & revelando non potest uti amphibologia conjuncta cum restrictione purè mentali; bene tamen cum restrictione non purè mentali, seu conjuncta cum aliqua circumstantia externa, ex qua prudenter potest colligi verus revelationis sensus. *Ita quoad utramque partem communis Theologorum.*

Ratio responsionis quoad 1. partem est: quia usus amphibologiæ, seu æquivocationis, cum restrictione purè mentali, quæ ex nulla circumstantia externa prudenter potest colligi, est mendacium saltem virtuale: atqui Deus nequit mentiri: ergo nequit uti tali amphibologia. Maj. prob. Talis amphibologia, quæ ex nulla circumstantia externa posset prudenter colligi in æstimatione morali per se haberet falsum sensum: ergo esset mendacium virtuale, imò in æstimatione morali formaliter tale. Ant. patet; quia talis amphibologica lo-

 quela

quela & revelatio Divina in æſtimatione morali eſſet per ſe difformis objecto revelato. Con. etiam conſtat; quia mens Divina, ſeu ſcientia eſt neceſſariò conformis objecto: ergo, cum talis amphibologia per ſe eſſet difformis objecto, etiam per ſe eſſet difformis menti Divinæ, & conſequenter in æſtimatione morali mendacium formale.

Unde Innocentius XI. inter alias propoſitiones damnavit ſequentem num. 26. *Si quis coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocunque alio fine, juret; ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum,* (NB) *revera non mentitur, nec eſt perjurus.*

Ratio reſponſionis quoad 2. partem verò eſt: quia locutio amphibologica cum reſtrictione non purè mentali, ſed conjuncta cum aliqua circumſtantia externa, ex qua prudenter poteſt colligi verus ſenſus locutionis, neque eſt mendacium ſecundùm intentionem loquentis, neque ſecundùm talem circumſtantiam externam: ergo Deus in revelando poteſt uti tali amphibologia. Ant. patet; tum quia taliter loquens non intendit audientem decipere, ſed verum ſenſum per talem amphibologiam exprimere; tum quia circumſtantiæ externæ ſunt conſignificativæ;

adeoque cum voce constituunt verum sensum.

Unde Christus ipsemet aliquoties est usus tali amphibologia: ùt Joan. 2. ubi dixit: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, manum ad pectus ponendo ut vult (Cornel. à Lap. in h. l.) & suum corpus intelligendo. Item Joan. 7. dixit Discipulis: *Vos ascendite ad diem festum hunc; ego autem non ascendo ad diem festum istum*, subintelligendo publicè cum Discipulis; nam occultò & solus dein ascendit. Imò Marci 13. à Discipulis interrogatus de die extremi judicii cum restrictione ad scientiam suam communicabilem respondit: *De die autem illo & hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater*; nam hanc restrictionem Discipuli ex persona Christi (qui illis solùm revelavit, quæ ex ordinatione Divina erant revelanda, non verò, quæ erant celanda) facilè potuerunt colligere. Quæ contra hanc responsionem quoad utramque partem possent objici, solvi *in Theol. Specul. l. c. a. 4.*

℞. *ad 2.* Deus potest infundere errorem directum speculativum, vel practicum inclinantem ad bonum morale; non tamen reflexum, quo quis falsè judicaret de revelatione & loquela Divina. *Ita quoad 1. partem Recentiores Theologi communius, quoad 2. partem verò communis.*

Ratio responsionis quoad 1. partem est: quia talis error directus non repugnat veracitati, aut

aut infallibilitati ſcientiæ Divinæ, neque alicui alteri perfectioni Divinæ: ergo Deus poteſt illum poſitivè cauſare. Ant. patet; tum quia Deus, cauſando talem errorem directum, non loqueretur, & conſequenter iſte non repugnat veracitati Divinæ; tum quia infallibilitas ſcientiæ Divinæ ſolùm exigit carentiam erroris ad intra in intellectu Divino, non verò ad extra in intellectu creato.

Error autem practicus inclinans ad bonum morale eſt moraliter bonus, bonitate ſaltem naturali: ergo Deus poteſt illum poſitivè cauſare. Unde S. Auguſtinus in Enchiridio cap. 17. ait: *Nonnullis errare profuit, ſed in via pedum, non in via mandatorum; ita ut cognitis inſidiis gratulemur erraſſe, atque inde gratias Deo agamus.* Et dein ſubdit: *Eſt & error bonus, qui non ſolùm nihil obſit, ſed etiam proſit.*

Ratio reſponſionis quoad 2. partem verò eſt: quia Deus (ſi poſitivè alicui infunderet errorem reflexum, quo quis falſè judicaret de revelatione & loquela Dei) eidem internè & reflexè per talem errorem revelaret falſum: ſed Deus nequit revelare falſum; ùt dixi ſupra num. 17. ergo nequit poſitivè infundere talem errorem. Maj. prob. Talis error non ſolùm falſè repræſentaret mentem Divinam, ſed etiam locutionem & ordinationem mentis Divinæ ad audientem: ergo, ſi Deus talem errorem ſpecialiter produceret, per hunc fal-

ſum revelaret, ſaltem virtualiter, reflexè, & internè. Unde de errore reflexo in hoc ſenſu S. Chryſoſtomus homil. 1. in Symbolum ait: *Aliqua Deus non poteſt, videlicet fallere, falli, mentiri.* Quæ contra utramque partem reſponſionis objici poſſent, ſolvi *in Theol. Specul. l. c. a. 3.*

CAPUT III.

De ultimo reſolutorio fidei Theologicæ, hujus proprietatibus, & actibus illam præcedentibus, ac conſequentibus.

SUMMARIUM.

22. *Qualis ſit ſtatus quæſtionis de ultimo reſolutorio fidei?*
23. *Fides non reſolvitur ultimatò in authoritatem Eccleſiæ, habentis aſſiſtentiam Spiritûs Sancti, tanquam in motivum formale proprium & intrinſecum ipſius actûs fidei.*
24. *Neque in authoritatem Eccleſiæ humanam, in miracula, & alia ſigna credibilitatis.*
25. *Neque in complexum ex his & revelatione Divina.*
26. *Sed omnis actus fidei Theologicæ, quà talis & intra lineam actûs fidei, ultimò reſolvitur in ſolum complexum ex ſapientia, veracitate, & revelatione Divina.*
27. *Fides antiqui teſtamenti e. g. de Deo uno reſolvitur in miracula, & alia ſigna credibili-*

bili-

bilitatis, tanquam in motivum extrinsecum, & præambulum.

28. *Fides novi testamenti e. g. de mysterio Sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis Verbi Divini resolvitur in revelationes Divinas, tam antiqui quàm novi testamenti, tanquam in motivum intrinsecum; in miracula verò à Deo, Christo, Apostolis perpetrata, tanquam in motivum extrinsecum.*

29. *Fides de vero sensu S. Scripturæ resolvitur in Authoritatem Ecclesiæ habentis assistentiam Spiritûs Sancti, tanquam regulam extrinsecam, non verò in Spiritum privatum Hæreticorum.*

30. *Quænam sint proprietates actûs fidei Theologicæ & Supernaturalis?*

31. *Quinam sint actus fidem antecedentes?*

32. *Quinam sint actus fidem consequentes, tanquam hujus fructus, & effectus?*

ANtequam de analysi fidei, seu ultimo hu- 22
jus resolutorio, ac motivo particulares Quæstiones proponam, *Nota 1.* Statum quæstionis esse in quidnam ultimò resolvatur assensus fidei, quo quis e. g. Firmiter credit verbum Divinum fuisse incarnatum; nam, licèt fidelis, seu hoc credens, interroganti: *Cur illam credat?* possit respondere: *Quia id Deus summè sapiens & verax revelavit:* redit tamen quæstio, unde sciat, aut credat, Deum esse

esse summè sapientem, aut veracem, & præsertim illum re ipsa revelasse incarnationem verbi Divini, aut alios fidei Christianæ articulos? Tota igitur difficultas in præsenti versatur circa illam rationem & motivum, quod credens prudenter potest reddere ad hanc ulteriorem quæstionem, & interrogationem. Pro qua difficultatate enucleanda

Nota 2. Quod fidelis taliter interrogatus aliam responsionem debeat dare de motivo intrinseco & proprio ipsius actûs fidei; & aliam de motivo extrinseco credibilitatis. Si igitur fidelis interrogetur I. *Cur credis incarnationem verbi Divini?* debet intra lineam fidei respondere: *Quia id Deus summè sapiens & verax revelavit.* Si II. *Cur credis id, quod Deus summè sapiens & verax revelavit?* respondere debet: *quia per se notum est, dicto summè sapientis & veracis esse credendum.* Si III. *Cur credis Deum esse summè sapientem & veracem?* intra lineam propriam fidei debet respondere: *Quia Deus revelavit, se esse summè sapientem & veracem.* Si IV. *Cur credis hoc Deum revelasse?* intra lineam fidei non potest aliter respondere, nisi: *quia Deus revelando aliquod mysterium interponit suam authoritatem, & reflexè, saltem implicitè, revelat se revelare.* Si autem fidelis interrogetur, unde sciat, Deum esse summè sapientem & veracem, aut revelasse aliquod mysterium? jam extra lineam fidei respondet

ad

ad primum: quia ex creaturis demonſtratur Deum habere has duas, & omnes reliquas perfectiones ſimpliciter ſimplices. Ad ſecundum verò: quia hoc authoritas Eccleſiæ, miracula, & reliqua ſigna credibilitatis prudenter perſuadent: jam

Quæres 1. An fides ultimò reſolvatnr in au- 23
thoritatem Eccleſiæ ùt habentis aſſiſtentiam Spiritûs Sancti? ℞. Fides non reſolvitur ultimatò in authoritatem Eccleſiæ ut habentis aſſiſtentiam Spiritûs Sancti, tanquam in motivum formale proprium & intrinſecum ipſius actûs fidei. *Ita communis aliorum Theologorum contra Durandum, Medinam, & nonnullos.*

Ratio reſponſionis eſt I. quia fides Theologica intra lineam fidei Theologicæ quà talis non poteſt ultimò reſolvi in motivum alienum; ſed debet reſolvi in motivum proprium & ſpecificativum, ſeu in ſummam ſapientiam, veracitatem, & revelationem Divinam: atqui authoritas, definitio, & propoſitio Eccleſiæ, etiam ùt habentis infallibilem aſſiſtentiam Spiritûs Sancti, eſt motivum actui fidei Theologicæ extrinſecum, prævium, & alienum: ergo. maj. per ſe patet. min. prob. definitio & propoſitio Eccleſiæ, etiam ùt habentis aſſiſtentiam Spiritûs Sancti, non eſt moraliter verbum Dei, aut revelatio Divina reflexa de revelatione directa, ſed ſolùm propoſitio & applicatio externa infallibilis revelatio-

lationis Divinæ præteritæ : ergo est motivum fidei Theologicæ solùm extrinsecum & præambulum. Ant. prob. quando Ecclesia aliquid definit, & credendum proponit, Deus Ecclesiæ non revelat priorem suam revelationem, neque ei præcipit, ut nomine Dei proponat hanc revelationem ; sed ei per internam illustrationem solùm assistit, ut in suo judicio non erret circa revelationem præteritam, & illa hanc proponit nomine proprio: ergo definitio & propositio Ecclesiæ non est moraliter verbum Dei, aut revelatio Divina reflexa de revelatione directa ; adeoque est motivum fidei extrinsecum.

Unde Concilium Tridentinum Sess. 4. in decreto de edit. Sacrorum librorum solùm ait: *Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Sacrarum Scripturarum*; non verò: *cujus est divinitus revelare &c.* adeoque non vult, quòd definitio & propositio Ecclesiæ sit moraliter locutio Dei & revelatio reflexa, sed solùm infallibilis propositio verbi Divini, ab Ecclesia facta. Idem constat ex decretis Pontificum Romanorum in materia fidei, qui nunquam dicunt, se hæc ùt à Deo sibi revelata proponere, sed solùm ex authoritate sibi à Deo concessa & assistentia Spiritûs Sancti statuere, & decidere credenda.

Ratio responsionis est II. quia resolutio fidei in authoritatem Ecclesiæ, ùt habentis assi-

assistentiam Spiritûs Sancti, tanquam in motivum fidei intrinsecum, fieret per circulum vitiosum, & maneret petitio principii: ergo fides non potest ultimò resolvi in talem authoritatem Ecclesiæ, tanquam in motivum fidei intrinsecum, immediatum, & proprium. Ant. prob. Tali modo fidelis interroganti, cur credat e. g. mysterium incarnationis, aut alium articulum fidei? deberet respondere: *Quia Deus revelavit.* Et urgenti, cur credat, hoc Deum revelasse? deberet dein respondere: *quia Ecclesia, cui infallibiliter assistit Spiritus Sanctus, hoc credendum proponit.* Et ulteriùs instanti, cur credat Ecclesiæ infallibiliter assistere Spiritum Sanctum? deberet iterum dare primam responsionem: *Quia hoc Deus in Scripturis revelavit:* quæ scripturæ, ùt Canonicæ, iterum deberent credi propter propositionem Ecclesiæ sub assistentia Spiritûs Sancti; & hæc assistentia vicissim propter scripturas. Atqui hoc modo in analysi & resolutione fidei in suum motivum intrinsecum, committeretur circulus vitiosus, & maneret petitio principii; quod non fit, quando dicitur authoritatem, definitionem & propositionem esse motivum fidei solùm extrinsecum, & quoad judicium credibilitatis: ergo primum est negandum & hoc ultimum asserendum.

Quæres 2. An fides resolvatur in authoritatem Ecclesiæ humanam, in miracula, & alia signa credibilitatis? 24

℞. Fi-

℞. Fides non resolvitur in authoritatem Ecclesiæ humanam, in miracula, & alia signa credibilitatis, tanquam in motivum actui fidei proprium & intrinsecum. *Ita communis aliorum Theologorum contra Scotum, Gabrielem, & Okamum.*

Ratio responsionis est I. Quia authoritas Ecclesiæ humana & alia signa credibilitatis non sunt objectum formale fidei Theologicæ, sed solùm judicii prævii de credibilitate: ergo fides Theologica nequit in illa resolvi, tanquam in motivum proprium & intrinsecum. con. per se patet. Ant. etiam constat; quia fides Theologica pro suo objecto formali debet habere aliquid Divinum, nempe Sapientiam, veracitatem & revelationem Divinam.

Unde Apostolus 1. ad Corinth. 2. v. 5. ait: *Ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Item de fide à se præstita Evangelio, & aliis prædicata ad Galat. 1. v. 12. inquit: *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem JEsu Christi.* Et 1. ad Thessal. 2. v. 13. docet, quòd fideles verbum Dei per homines propositum accipere debeant *non ùt verbum hominum, sed, sicut est verè, verbum Dei.*

Ratio responsionis est II. quia si motivum fidei proprium & intrinsecum esset authoritas Ecclesiæ humana, tunc hoc ipso fides non esset virtus & fides Theologica, sed potiùs vir-

virtus moralis & fides humana ; nam ultimatò ſpecificaretur ab aliquo creato, & authoritate humana : atqui fides Theologica non debet confundi cum humana : ergo &c.

Taceo, quòd ſic fides Theologica non poſſet eſſe aſſenſus ſuper omnia firmus ; quia ſic fides deberet reſolvi in authoritatem humanam & ſigna credibilitatis tanquam in præmiſſas ultimas & proprias, quæ eſſent fallibiles : adeoque etiam fides eſſet fallibilis ; nam juxta commune axioma Dialecticorum : *Concluſio ſequitur partem debiliorem.*

Quæres 3. An fides Theologica poſſit re- 25
ſolvi in complexum ex authoritate humana Eccleſiæ, ſignis credibilitatis, & revelatione Divina?

℞. Fides Theologica nequit reſolvi in tale complexum, tanquam in motivum proprium & intrinſecum. *Ita alii Theologi communiter contra Lugonem Ripaldam, & nonnullos.*

Ratio Reſponſionis eſt : quia authoritas Eccleſiæ humana & ſigna credibilitatis non ſunt motivum proprium fidei Theologicæ quà talis : ergo fides Theologica quà talis nequit in illa partialiter reſolvi, tanquam in motivum proprium & intrinſecum. Ant. patet ex dictis num. præced. taceo, quòd ſic fides Theologica iterum non poſſet eſſe aſſenſus ſuper omnia firmus ; quia niteretur una præmiſſa fallibili.

Dixi autem *Fides Theologica quà talis*; nam ex supposito, quòd idem realiter actus possit simul esse fides humana & Divina, tunc fides Theologica, saltem quæ talis, & prout realiter est simul fides humana, posset resolvi in authoritatem Ecclesiæ humanam.

26 *Quæres 4.* In quid igitur fides Theologica ultimò resolvatur?

℞. Fides Theologica quà talis intra lineam actûs fidei ultimò resolvitur in solum complexum ex Sapientia, veracitate & revelatione Divina, tanquam in motivum proprium, intrinsecum, & adæquatum. *Ita Eximius Suarez hic disp. 3. sect. 1. Vasquez, Arriaga, Comptonus & alii Recentiores Theologi communiter.*

Ratio responsionis est: quia in illud ultimò resolvitur omnis actus fidei Theologicæ quà talis, tanquam in motivum formale, intrinsecum, & adæquatum, quod talem actum specificat, & in quo intra lineam fidei ultimò quiescit intellectus credentis: atqui complexum ex sapientia veracitate & revelatione Divina specificat actum fidei Theologicæ quà talem, & in illo complexo intra lineam fidei ultimò quiescit intellectus credentis: ergo. maj. patet ex terminis. min. verò constat ex dictis cap. præced. num. 15. hic tamen

Observa I. Quòd Deus directè revelando aliquod mysterium fidei e. g. Trinitatis personarum in Deo, aut incarnationis verb Diviini,

vini, semper reflexè, saltem implicitè, revelet se illud revelare. Ratio hujus est: quia Deus directè revelando aliquod mysterium fidei vult nos obligare, & re ipsa obligat ad illud credendum firmiter propter suam authoritatem & revelationem; adeoque per modum motivi interponit suam authoritatem & revelationem directam mysterii: quando autem quis non solùm revelat aliquid, sed etiam alterum ad credendum obligat propter interpositam suam authoritatem & revelationem, reflexè & saltem implicitè revelat, se rem scire, in ea revelanda esse veracem, & se illam re ipsa revelare, prout res est; ùt patet in seriis revelationibus humanis, in quibus quis alterum ad firmiter sibi credendum vult obligare. Unde, quando creditur aliquod mysterium à Deo revelatum, etiam revelatio Divina directa potest credi per modum objecti materialis, & debet credi per modum principii ac objecti formalis, ùt cum communiori Patrum inclytæ Societatis JEsu dixi *in Theol. Specul. tr. 7. disp. 1. q. 1. a. 4.* Unde

Observa II. Quòd fidelis, si interrogetur; *cur credis mysterium Trinitatis?* respondere debeat: quia Deus *summè sapiens & verax illud credendum revelavit.* Si secundò interrogetur: cur credis id, quod Deus summè sapiens & verax revelavit? debet respondere: *quia*

per se notum est, dicto summè sapientis & veracis esse credendum. Si tertiò interrogetur: cur credis Deum esse summè sapientem & veracem? intra lineam fidei respondere debet: *quia Deus revelavit, se esse summè sapientem & veracem.* Si quartò interrogetur: cur credis hoc Deum revelasse? intra lineam fidei non potest aliter respondere, nisi: *quia Deus revelando directè mysterium etiam reflexè, præsertim per miracula, revelat se revelare.*

Si autem fidelis interrogetur: *unde scis,* Deum esse summè sapientem & veracem, aut revelasse aliquod mysterium, prudenter responderet: *ista quæstio jam saltat extra lineam intrinsecam fidei.* Et primum scio ex creaturis, ex quibus evidenter demonstratur, Deum habere omnem perfectionem simpliciter simplicem, & consequenter etiam summam sapientiam ac veracitatem. Secundum verò prudenter judico; quia hoc authoritas Ecclesiæ humana, miracula, & alia signa credibilitatis satis solidè persuadent. Ex qua responsionum serie clarè patet, quòd fidelis intra lineam intrinsecam fidei, quiescat in complexo ex sapientia, veracitate & revelatione Divina: & licèt interrogatus de hujus complexi scientia extra lineam fidei intrinsecam recurrat ad rationes naturales, authoritatem Ecclesiæ humanam, & alia signa credibilitatis; hæc tamen non sunt ultimum resolu-

ſolutorium fidei proprium, & intrinſecum, ſed extrinſecum, præambulum & alienum. De quo ulterius

Quæres 5. In quale reſolutorium extrinſecum reſolvatur fides antiqui teſtamenti, e. g. de uno ſolùm Deo? 27

℞. Fides antiqui teſtamenti de uno ſolùm Deo reſolvitur extrinſecè & mediatè in miracula, & alia ſigna credibilitatis, quibus in illo hanc veritatem ſæpiſſimè confirmavit. *Ita quoad rem communis Catholicorum Theologorum, neque reperio contrarium heterodoxum, & conſentiunt omnes Judæi.*

Reſponſio patet ex S. Scriptura; nam Exodi 7. v. 17. dicitur: *In hoc ſcietis, quòd ſim Dominus: Ecce percutiam virga, quæ in manu mea eſt, aquam fluminis, & vertetur in ſanguinem &c.* 9. v. 14. dixit Deus per Moyſen Pharaoni: *Mittam omnes plagas meas ſuper cor tuum, & ſuper ſervos tuos.. ut ſciatis, quòd non ſit ſimilis mei in omni terra.* Et Deuter. 29. à v. 5. dixit Deus filiis Iſraël: *Quadraginta annis, non ſunt attrita veſtimenta veſtra, nec calceamenta pedum veſtrorum vetuſtate conſumpta ſunt: ut ſciretis, quia ego Dominus Deus veſter.* Idem patet ex pluribus aliis locis antiqui teſtamenti, in quibus Deus diverſa patravit ſigna & prodigia, ut his probaret, ſe ſolùm eſſe verum Deum, & diverſas ſuas perfectiones.

Ratio responsionis verò est: quia per miracula, quæ Deus patravit in confirmationem suarum revelationum, prudenter colligimus, quòd Deus re ipsa Moysi & aliis Prophetis revelaverit, se esse unicum verum Deum &c. ergo fides antiqui testamenti resolvitur extrinsecè & mediatè in miracula, & alia signa, quibus Deus illam confirmavit. Ubi tamen.

Adverte, quòd miracula dupliciter possint considerari, 1. prout sunt opus supernaturale distinctum à testimonio Divino, & fieri possunt ex quocunque fine. 2. prout fiunt in confirmationem revelationis Divinæ directæ, & sunt testimonium Divinum reflexum, & moraliter revelatio reflexa. Miracula priori modo sumpta sunt resolutorium fidei extrinsecum; posteriori modo sumpta verò sunt resolutorium fidei intrinsecum, præsertim actûs fidei, quo propter illa creditur revelatio Dei directa tanquam objectum materiale.

28 *Quæres 6.* In quid resolvatur fides novi testamenti e. g. de mysterio Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis verbi Divini?

℞. *1.* Hæc fides resolvitur in revelationes Divinas de utroque mysterio, tam antiqui, quàm novi testamenti, tanquam in motivum intrinsecum. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam modernorum Heterodoxorum, contra Arianos & Nestorianos.*

Ra-

Ratio responsionis est: quia utrumque mysterium fuit à Deo revelatum tam in antiquo quàm novo testamento: ergo Fides de his duobus mysteriis resolvitur in revelationes Divinas tam novi quàm antiqui testamenti, tanquam in motivum proprium, & intrinsecum. Ant. de mysterio Sanctissimæ Trinitatis patet ex dictis tract. 2. cap. 1. num. 1. & 2. de mysterio Incarnationis Verbi Divini verò ex tract. 4. cap. 5. num. 56. & seqq. quæ ibi fusè dicta hìc brevitatis causa omitto.

℟. 2. Hæc fides resolvitur in miracula à Deo, Christo, & Apostolis perpetrata, & primo modo sumpta; item in alia signa credibilitatis, præsertim in consonantiam utriusque testamenti de Messia ùt Deo & homine, tanquam in motivum extrinsecum & mediatum. *Ita cum sanctis Patribus iterum communis quoad rem Catholicorum, & præter Socinianos modernorum heterodoxorum, contra Arianos & Nestorianos.*

Responsio patet ex S. Scriptura; nam Christus Joan. 10. v. 25. dixit: *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Et v. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, etsi mihi non vultis credere, operibus credite; ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Item de miraculis à Deo per Apostolos in confirmationem fidei perpetratis dicitur Marci 16. v. 20. *Illi autem prædicaverunt ubique,*

Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

Inter signa credibilitatis, quòd Christus sit Deus & homo, etiam fuit cognitio secretorum cordis, & aliorum, tam futurorum quàm præteritorum occultorum. Unde Joan. 4. v. 39. dicitur: *Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris, testimonium perhibentis: quia dixit mihi omnia, quæcunque feci.* Maximum autem signum credibilitatis de Christo ùt homine & simul Deo est consonantia Prophetarum & totius antiqui testamenti cum novo; ùt patet ex dictis tract. 4. cap. 5. à num. 55. Unde Christus Joan. 5. v. 39. dixit Judæis: *Scrutamini Scripturas, quia illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.*

29 *Quæres* 7. In quid fides resolvatur de vero sensu S. Scripturæ.

℞. Fides de vero sensu S. Scripturæ in rebus dubiis resolvitur in authoritatem Ecclesiæ habentis assistentiam infallibilem Spiritûs Sancti, & non in spiritum privatum Hæreticorum. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum contra modernos Hæreticos.*

Responsio patet I. ex *S.* Scriptura; nam Christus Matth. 16. v. 18. dixit Petro, tanquam suo Vicario: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Matth. 18. v. 17.

Si

Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Matth. 28. v. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Joan. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Et Joan. 16. v. 13. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Christo consonat Paulus 1. ad Timoth. 3. v. 15. dicens: *Ut scias, quomodo te oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.*

II. Constat ex sanctis Patribus, inter quos S. Augustinus tom. 9. lib. 1. cap. 33. contra Cresconium fol. 408. ait: *Scripturarum à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas; ut, quoniam Sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Sancta Scriptura demonstrat.* Idem habet tom. cit. in Psalm. contra partem Donati fol. 7. Et tom. 2. Epist. 54. ad Januarium fol. 126. Unde etiam Concilium Tridentinum Sess. 4. in decreto de edit. sacror. libror. de Ecclesia ait: *Cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum Sanctarum.*

Ratio responsionis verò est: quia spiritus privatus, quem se fingunt habere Lutherani,

Calviniſtæ, Anabaptiſtæ & alii moderni hæretici eſt contradictorius; adeoque hæreticus, & manifeſtè falſus, ac fictitius: ergo in illum non poteſt reſolvi dubium de vero ſenſu S. Scripturæ. Totum hoc clariùs patebit ex tract. 10. capite de Judice controverſiarum.

30 *Quæres 8.* Quænam ſint proprietates actûs fidei Theologicæ, & ſupernaturalis?

℞. Sequentes præcipuè, I. eſt, quòd actus fidei Theologicæ ſupernaturalis eſſentialiter exigat eſſe verus; adeoque neque divinitus habitus fidei infuſus poteſt influere in actum fidei falſum, etſi iſte niteretur revelationi Divinæ prudenter exiſtimatæ. *Ita communiſſima ſententia Theologorum contra Majorem.*

Reſponſio colligitur ex S. Scriptura; nam Apoſtolus 2. ad Timoth. 1. v. 12. ait: *Scio enim, cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.* Et Actor. 26. v. 5. *Quoniam ſecundùm certiſſimam ſectam noſtræ religionis vixi*: ergo Apoſtolus implicitè innuit actum fidei ſupernaturalem ſemper eſſe verum, & non poſſe eſſe falſum. Unde etiam Concilium Tridentinum Seſſ. 6. cap. 9. loquens de actu fidei circa ſtatum gratiæ, inquit: *cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.*

Ratio reſponſionis verò eſt: quia ens ſupernaturale quoad ſubſtantiam ſecundùm con-

ceptum suum primarium est, quod Deum quidditativè sumptum, & prout est in se, exigit habere pro termino; adeoque actus fidei entitativè supernaturalis ex sua perfectione exigit pro termino, seu objecto formali Deum & ejus summam sapientiam, veracitatem & revelationem activam, seu decretum revelativum ad extra: ergo implicat, ut sit falsus; sicut implicat, ut sint falsæ sapientia, veracitas, & revelatio Divina.

II. Proprietas actûs fidei supernaturalis est, quòd ex sua entitate & objecto formali exigat esse certior *certitudine absoluta*, quàm actus cujuscunque scientiæ naturalis, etiam metaphysicè evidentis. *Ita cum S. Thoma 2. 2. q. 4. a. 8. Theologi communiter.*

Ratio responsionis est: quia actus fidei supernaturalis ex sua entitate non solùm exigit esse essentialiter verus, sed etiam pro suo objecto formali habere sapientiam, veracitatem & revelationem activam Divinam, seu decretum revelans ad extra: ergo ex sua entitate & objecto formali est certior certitudine absoluta, quàm actus cujuscunque scientiæ naturalis. Ant. patet ratione prioris proprietatis. Con. etiam constat; quia actus fidei supernaturalis ex sua entitate exigit esse verus, & pro suo motivo formali habere revelationem Divinam re ipsa talem, quæ est certa certitudine Divina, & intensive, infinita: econ-

econtra actus cujuscunque scientiæ naturalis non exigit ex sua entitate esse essentialiter verus, & pro suo motivo solùm habet aliquod principium aut causam creatam, quæ non sunt intensivè infinita sed solùm finita.

Dixi autem: *Certitudine absoluta*, seu entitativa; nam certitudine respectiva, nobis subjectiva, & quoad innotescentiam formalem nostri intellectûs, certior est scientia etiam per causam naturalem, quàm fides; ùt cum S. Thoma *l. c.* communiter docent Theologi. Ratio hujus est: quia certitudo entitativa actûs fidei supernaturalis nobis non innotescit directè, aut reflexè; sicut nobis non innotescit illius supernaturalitas: econtra certitudo motivi scientifici naturalis nobis innotescit, tam directè quàm reflexè; adeoque scientia naturalis est nobis certior certitudine respectiva, quàm fides supernaturalis.

III. Proprietas actûs fidei supernaturalis est, quòd ex parte voluntatis, à qua imperatur, debeat esse firmior firmitate adhæsionis & appretiationis, quam actus cujuscunque scientiæ naturalis, etiam metaphysicè evidentis. *Ita cum sanctis Patribus Theologi communiter.*

Responsio patet ex Scriptura & sanctis Patribus; nam 2. Petri 1. v. 19. dicitur: *Habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus*

dibus vestris. In quem textum S. Chrysostomus inquit: *Fides est argumentum non apparentium, majorem certitudinem de illis faciens, quàm de his, quæ videntur.* S. Basilius: *Fides persuadet præ omnibus rationalibus methodis.* S. Augustinus: *Faciliùs dubitarem me vivere, quàm vera esse, quæ credidi.* Et Richardus à S. Victore: *Quotquot veraciter fideles sumus, nihil certius tenemus quàm, quod fide credimus.*

Ratio responsionis verò est: quia actus fidei supernaturalis & perfectus debet habere firmitatem adhæsivam voluntatis secundùm meritum objecti formalis fidei Theologicæ: atqui meritum objecti formalis exigit, ut assensus fidei Theologicæ ex imperio voluntatis sit affectivè & appretiativè super omnia firmus etiam quoad nos: ergo. maj. per se patet. min. etiam constat; quia objectum formale fidei Theologicæ est authoritas Divina infinitè infallibilis, ùt activè revelans; illa autem exigit præferri omnibus rationibus naturalibus, etiam metaphysicè evidentibus.

Hæ tres proprietates, fidei Theologicæ sunt præcipuæ. An verò actus fidei possit componi cum actu scientiæ, vel debeat esse positivè obscurus? item, an possit esse formaliter discursivus? dixi *in Theol. Specul. tr. 7. disput. 3. q. 2. a. 4. 5. & 6.*

Quæres 9. Quinam sint actus fidem antece- 31
dentes?

℞. Actus

℞. Actus fidem, seu assensum fidei Theologicæ, antecedentes sunt præcipuè duo sequentes, I. ad actum fidei supernaturalem non solùm in doctis sed etiam in rudibus & pueris requiritur, & præcedere debet judicium moraliter certum & evidens de revelatione Divina, saltem certitudine & evidentia respectiva. *Ita communis Theologorum.*

Responsio colligitur ex S. Scriptura; nam Christus Joan. 15. v. 24. de sufficientibus signis ad fidem, & opposita infidelitate Judæorum, ait: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent:* ergo, ut quis teneatur, & possit prudenter elicere actum fidei Theologicæ super omnia firmum, debet præcedere judicium moraliter certum & evidens, saltem certitudine & evidentia respectiva, de revelatione Divina. Unde Innoc. XI. damnavit hanc propositionem num. 21. *Assensus fidei supernaturalis & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis; imò etiam cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus.*

Ratio responsionis est: quia voluntas non potest imperare assensum fidei firmissimum, quando mysteria fidei apparent solùm probabiliter & opinativè credibilia: atqui assensus fidei imprudens non est supernaturalis & utilis ad vitam æternam, ergo. min. patet; quia, quod est imprudens, non est virtuosum,

&

& consequenter neque supernaturale ac conducens ad vitam æternam. maj. prob. Assensus fidei supernaturalis est essentialiter verus, & consequenter irrevocabilis: sed nisi detur certitudo moralis de revelatione Divina, voluntas non potest prudenter imperare assensum fidei irrevocabilem : ergo. maj. patet ex dictis num. præced. & propositione 20. ab Innoc. XI. damnata : *potest quis prudenter repudiare assensum fidei, quem habebat, supernaturalem.* min. etiam constat; quia stante sola probabilitate de revelatione Divina stat prudens probabilitas etiam de ejus carentia; adeoque voluntas posset talem assensum prudenter revocare, imò stante periculo mortis deberet in tali casu illum revocare.

Porrò ad imperandum actum fidei firmissimum etiam in rudibus & pueris non requiritur lumen suasivum *ùt quòd* & per modum novæ & quasi reflexæ revelationis; sed solùm lumen suasivum *ùt quo* , & per modum gratiæ actualis illuminantis intellectum de revelatione directa; ùt dixi cum communi respectivè aliorum *in Theol. Specul. l. c. q. 1. a. 1.* Unde judicium de revelatione Divina, & præsertim practicum de credibilitate est intrinsecè supernaturale, & pertinet ad virtutem credulitatis, seu prudentiæ specialis; ùt dixi *l. c.*

II. Actum fidei supernaturalem meritorium & liberum , ac super omnia firmum, præcedere

dere debet pia affectio, seu voluntas credendi, imperans actum fidei super omnia firmum. *Ita cum sanctis Patribus communis Theologorum.*

Responsio patet ex S. Scriptura; nam Actor. 8. v. 37. dicitur: *Si credis ex toto corde, licet*, nempe te baptizari. Et 16. v. 14. de muliere nomine Lydia dicitur: *Cujus Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo.* Idem patet ex aliis plurimis Scripturæ textibus, in quibus fides dicitur libera. Unde S. Augustinus tract. 26. in Joan. inquit: *Multa potest homo nolens, sed credere non potest, nisi volens.* Et Tridentinum Sess. 6. cap. 6. de adultis ad justificationem se disponentibus inquit: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt.*

Ratio responsionis verò est: quia actus fidei est liber, & non obstante obscuritate motivi formalis debet esse super omnia firmus: ergo necessariò debet intellectui imperari à voluntate. Ant. patet ex dictis num. præced. Con. prob. Sola evidentia veritatis convincit intellectum ad assensum firmissimum sine imperio voluntatis: ergo, cùm motiva credibilitatis non ostendant intellectui evidentiam veritatis, sed solùm evidentiam prudentis credibilitatis, sine imperio voluntatis non convincunt intellectum ad assensum fidei firmissimum. Porrò

Porrò voluntas credendi firmissimè Deo revelanti est intrinsecè supernaturalis; quia habet motivum supernaturale, & fit per gratiam prævenientem. Unde Concilium Arausicanum II. Can. 5. ait: *Si quis sicut augmentum ita & initium fidei, ipsumque credulitatis affectum non gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritûs Sancti ... sed naturaliter nobis inesse dicit; Apostolicis dogmatibus adversarius probatur.*

Quæres 10. Quinam sint actus fidem consequentes, tanquam hujus fructus, & effectus? 32

℞. Actus fidem supernaturalem & efficacem, tanquam hujus fructus & effectus consequentes sunt spes & charitas Dei, quæ dein imperat actus virtutum moralium. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum, imò quoad hoc præcisè punctum etiam Lutheranorum, & aliorum modernorum hæreticorum.*

Responsio patet ex S. Scriptura; nam Christus Lucæ 8. v. 8. sub parabola seminis de verbo Divino, & fide inde concepta, ait: *Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.* Quod Christus ipsemet explicans v. 15. subjungit: *Quod autem in bonam terram* (cecidit) *hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.* Unde Apostolus ad Rom. 1. v. 17. ait: *Justus autem ex fide vivit;* quia nempe propter fidem sperat, Deum amat, & reliquos actus virtutum exercet. Item 2. ad Thessal.

ſal. 1. v. 11. inquit: *Oramus ſemper pro vobis, ut dignetur vos vocatione ſua Deus noſter, & impleat omnem bonitatem voluntatis, & opus fidei in virtute.* Et ad Galat. 5. v. 6. *Nos enim ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ expectamus. Nam in Chriſto JEſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur.*

Ratio reſponſionis verò eſt: quia fides vivax & firma, præſertim in myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis verbi Divini propter noſtram redemptionem & ſalutem, parit in nobis ſpem æternæ ſalutis, & amorem Dei propter tantam ejus dignationem & benevolentiam: charitas Dei verò imperat fugam mali moralis à Deo prohibiti, & proſecutionem boni moralis à Deo præcepti, aut conſulti: ergo actus fidem ſupernaturalem & efficacem, tanquam fructus & effectus conſequentes, ſunt ſpes & charitas Dei, quæ dein imperat actus virtutum moralium. Unde Jacobus Apoſtolus in ſua Epiſt. Catholic. cap. 2. v. 26. ait: *Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.*



CAPUT

CAPUT IV.

De objecto materiali fidei Christianæ, & hujus necessitate ad salutem.

Summarium.

33. *Objectum materiale fidei Theologicæ in genere est omne id, quod Deus nobis revelavit, & credendum proposuit.*
34. *Objectum materiale primarium fidei Christianæ est mysterium Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis Verbi Divini, & finis Incarnationis, seu nostra redemptio & salus per Christum.*
35. *Quænam sint objectum materiale secundarium fidei Christianæ?*
36. *Symbolum Apostolorum est breve summarium omnium credendorum, etiam ab Ecclesia propositorum.*
37. *Ad justificationem & salutem necessaria necessitate medii est fides explicita de Deo uno ut remuneratore amicabili, & quidem per bona supernaturalia & vitam æternam.*
38. *Hæc fides necessariò debet esse strictè dicta, & entitativè supernaturalis.*
39. *In antiquo testamento non fuit ad justificationem & salutem necessaria necessitate medii fides explicita mysterii Trinitatis & incarnandi Verbi Divini.*
40. *Solvuntur quædam objectiones.*

41. Et probabiliter neque in novo testamento.
42. Quænam possint objici?
43. Hæc clarè solvuntur.
44. Inde tamen non sequitur licitum esse Judæis aut Mahometanis purum Deismum.

33 QUæres 1. Quid sit objectum materiale fidei Theologicæ?

℞. Objectum materiale fidei Theologicæ in genere est omne id, quod Deus nobis, sive in antiquo sive in novo testamento, revelavit, & credendum proposuit. *Ita communis Catholicorum, neque à nobis in hoc præcisè puncto differunt hæretici de fide historica.*

Responsio patet ex S. Scriptura; nam Actor. 24. v. 14. dixit Paulus, apud Felicem Præsidem à Tertullo Judæorum Oratore accusatus: *Sic servio Patri & Deo meo, credens omnibus, quæ in Lege & Prophetis scripta sunt.* Et 1. ad Thessal. 2. v. 13. ait: *Gratias agimus Deo sine intermissione; quoniam, cum accepissetis à nobis verbum auditûs Dei, accepistis illud, non ùt verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei.*

Ratio responsionis verò est: quia objectum fidei materiale est id; quod potest & debet credi propter objectum formale: atqui omne id, quod Deus nobis revelavit, & credendum proposuit, potest credi propter objectum fidei formale, seu propter veracitatem & revelationem Divinam: ergo.

Porrò

Porrò aliqua ſunt à Deo revelata explicitè & in particulari, aliqua verò ſolùm implicitè & in confuſo, item aliqua ſunt à Deo revelata & ab Apoſtolis in Scripturam redacta, aliqua vero ab his ſolùm oretenus tradita. Omnia autem iſta ſunt objectum materiale fidei, ſaltem poſtquam ab Eccleſia definiuntur, & credenda proponuntur; ùt declarabo in controverſia de Eccleſia & traditionibus.

Quæres 2. Quid ſit objectum primarium fidei Chriſtianæ? 34

℟. Objectum primarium fidei Chriſtianæ, prout hæc differt à fide explicita Judæorum, quoad obligationem credendi eſt myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, myſterium Incarnationis Verbi Divini, & finis Incarnationis, ſeu noſtra redemptio & ſalus per Chriſtum. *Ita quoad rem communis Catholicorum, Lutheranorum, & Calviniſtarum, contra Arianos, Neſtorianos, & Socinianos.*

Reſponſio quoad omnia tria membra patet ex Scriptura novi teſtamenti. *Quoad 1.* nam Chriſtus in toto Evangelio aſſeruit, & probavit, ſe eſſe Filium Dei, Patri conſubſtantialem; item Spiritum Sanctum procedere à Patre, nec non à Filio, & eſſe utrique pariter conſubſtantialem. Unde Matth. 28. v. 19. idem myſterium Trinitatis prædicare præcepit Apoſtolis & Diſcipulis, dicens: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine*

Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Quod inter reliquos subtiliter præstitit S. Joannes in principio sui Evangelii dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum &c.* Item in 1. Epist. cap. 5. v. 7. inquiens: *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt.*

Quoad 2. Seu mysterium Incarnationis; nam Joan. 1. v. 14. dicitur: *Et Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis.* Et Joan. 17. v. 3. Christus dixit: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti JEsum Christum.* Idem patet ex aliis Evangelistis apud quos Christus sæpissimè asseruit, & probavit, se esse Filium Dei, & simul Filium Hominis.

Quoad 3. Seu finem Incarnationis; nam Joan. 3. à v. 14. Christus ipsemet clarè indicavit finem tam Incarnationis quàm suæ passionis, dicens: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium Hominis: ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et v. 16. subjungit: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Unde ad objectum primarium fidei Christianæ pertinet etiam passio Christi propter nostram redemptionem; juxta illud Apostoli

1. ad

1. ad Corinth. 2. v. 2. *Non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi JEſum Chriſtum, & hunc Crucifixum.* Et v. 7. ſubjungit: *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio* (nempe Incarnationis & Paſſionis Chriſti) *quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram.*

Ratio reſponſionis verò eſt: quia Deus in novo teſtamento clariùs per Chriſtum in effectu voluit nobis revelare ſuam naturam fœcundam ad intra, & benevolentiam ad extra, qua voluit verbum Divinum aſſumere naturam humanam, ut in hac nobis mereretur remiſſionem peccatorum, juſtificationem, & vitam æternam: ergo objectum materiale primarium fidei Chriſtianæ eſt myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, myſterium Incarnationis, & finis Incarnationis, ſeu noſtra redemptio & ſalus æterna per Chriſtum.

Præterea objectum primarium fidei Chriſtianæ quoad obligationem credendi eſt, quod eſt neceſſariò neceſſitate medii credendum ad hoc, ut quis poſſit Deo placere, & conſequi æternam ſalutem: atqui fides de uno Deo remuneratore, & Chriſto mediatore, eſt neceſſaria neceſſitate medii ad hoc, ut quis poſſit Deo placere, & conſequi æternam ſalutem; aut certè de ultimo myſterio eſt neceſſaria neceſſitate maximi præcepti: ergo objectum primarium fidei Chriſtianæ eſt myſterium Trinitatis, Incarnationis, & ſalus per Chriſtum.

Maj. per se patet. Min. verò constabit ex dicendis infra num. 37. & 44.

Addidi autem *quoad obligationem credendi*; nam obligatio non dissentiendi articulo revelato circa omnes articulos est eadem propter eandem authoritatem, veracitatem, & revelationem Divinam. Unde fides respectu objecti formalis est una, & ad non dissentiendum eodem modo negativè obligat; juxta illud Apostoli ad Ephes. 4. v. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.*

35 *Quæres 3.* Quænam sint objectum materiale secundarium fidei Christianæ?

℞. Objectum materiale secundarium fidei Christianæ quoad obligationem positivam credendi sunt sequentia I. quæ præter mysterium Trinitatis, Incarnationis, & Passionis Christi pro nostra salute, continentur in Symbolo Apostolorum tanquam circumstantiæ Incarnationis, & Passionis Christi, concomitantes, aut consequentes. *Ita quoad rem communis Catholicorum, imò suo modo etiam Lutheranorum, & Calvinistarum.*

Ratio responsionis est: quia similia ab Apostolis inserta fuerunt Symbolo fidei, ut ubique terrarum ab illis uniformiter prædicarentur: ergo sunt objectum materiale secundarium fidei Christianæ quoad obligationem ea positivè credendi. Talis circumstantia Incarnationis Verbi Divini est e. g. quòd Christus secun-

ſecundùm humanitatem ſit conceptus de Spiritu Sancto, & natus ex Maria Virgine. Item Paſſionis concomitans, quòd paſſus fuerit ſub Pontio Pilato: & eam conſequens, quòd deſcenderit ad inferos; rectè tertia die reſurrexerit; in cælum aſcenderit: & inde venturus ſit judicare vivos & mortuos.

II. Objectum materiale fidei ſecundarium ſunt omnia alia particularia, quæ nobis à Deo ſunt revelata per Chriſtum in Evangelio, aut per Apoſtolos in ſuis Epiſtolis, & nobis ad credendum propoſita. *Ita quoad rem pariter communis Catholicorum, imò etiam Lutheranorum, & Calviniſtarum.*

Ratio reſponſionis eſt: quia objectum materiale fidei eſt omne id, quod à Deo fuit revelatum: ergo. Sic objectum materiale fidei non ſolùm eſt Sacramentum Baptiſmi & Euchariſtiæ (ùt nobiscum concedunt Lutherani & Calviniſtæ) ſed etiam alia Sacramenta; ùt declarabo ſuo loco.

III. Tale objectum ſecundarium fidei non ſolùm ſunt illa, quæ ab Apoſtolis in Scripturam fuerunt redacta, ſed etiam illa, quæ fidelibus oretenus fuerunt tradita; ùt dicam in controverſia de traditionibus. Item illa, quæ in Scriptura ſolùm implicitè fuerunt revelata, & dein ab Eccleſia explicitè definita, & ad credendum propoſita; ùt dicam in controverſia de Judice Scripturarum.

36 *Quæres 4.* An Symbolum Apostolorum sit breve summarium omnium credendorum, etiam ab Ecclesia propositorum?

℞. *ad 1.* Symbolum Apostolorum est breve summarium omnium credendorum. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam Lutheranorum & Calvinistarum, qui symbolum Apostolorum nobiscum admittunt.*

Ratio responsionis est: quia in Symbolo Apostolorum non solùm continetur objectum materiale primarium fidei Christianæ, nempe mysterium Sanctissimæ Trinitatis, incarnationis, & nostræ redemptionis per Christum, imò operationes cuique personæ Divinæ appropriatæ; sed etiam sanctitas Ecclesiæ Catholicæ & Sanctorum communio: ergo symbolum Apostolorum est breve summarium omnium credendorum. Unde etiam Lutherani suo libro *concordiæ*, tanquam symbolico inserunt primo loco Symbolum Apostolorum secundo loco Symbolum Nicænum, tertio loco Symbolum S. Athanasii, & postea primùm Confessionem Augustanam, aliásque eorum doctrinas.

℞. *ad 2.* Symbolum Apostolorum est breve summarium etiam eorum, quæ in S. Scriptura solum implicitè sunt à Deo revelata, & ab Ecclesia proponuntur credenda. *Ita communis Catholicorum contra Hæreticos.*

Ra-

Ratio responsionis est: quia articulo octavo Apostoli posuerunt *sanctam Ecclesiam Catholicam;* adeoque implicitè statuerunt, quòd Ecclesia Catholica in definiendis illis veritatibus, quæ à Deo solùm implicitè sunt revelatæ, aut in definiendo vero sensu S. Scripturæ non possit errare: nam errando fideles induceret in errores fidei & morum; adeoque non esset sancta. Verùm de hoc ex professo agemus alibi.

Quæres 5. An ad justificationem & salutem 37
necessaria necessitate medii sit fides explicita de Deo uno ùt remuneratore amicabili, & quidem per bona supernaturalia, seu vitam æternam?

℞. *ad* 1. Ad justificationem & salutem necessaria necessitate medii est fides explicita de Deo uno ùt remuneratore amicabili. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam Lutheranorum & plurium Calvinistarum, contra Zwinglium, qui tom. 2. in expositione fidei Christianæ fol. 559. de cœlo ad Franciscum Regem Galliæ ait: ibi videbis Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, & Scipiones.*

Responsio patet ex S. Scriptura; nam Apostolus ad Hebr. 11. v. 5. agens de fide explicita & strictè dicta, quæ nempe est substantia rerum sperandarum, & argumentum non apparentium: ait: *sine fide autem impossibile est*

placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit ; Græcè μισθαποδότης, id est *mercedis retributor.* Unde Innoc. XI. damnavit hanc propositionem 22. *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.*

Ratio responsionis est : quia adultis, nondum justificatis & baptizatis, ad promerendam justificationem necessarius est necessitate medii Baptismus fluminis, seu Sacramentalis, vel flamminis, seu amor amicitiæ perfectæ erga Deum, qui ex opere operantis meretur vitam æternam : atqui ad hunc amorem amicitiæ perfectæ erga Deum necessarius est necessitate medii actus fidei explicitus de Deo ùt remuneratore amicabili : ergo. maj. patet; quia sine tali actu amoris, aut contritionis perfectæ, homo per nullum alium actum meretur nec de congruo primam justificationem, & salutem ; cùm ratione peccati originalis maneat habitualiter & moraliter aversus à Deo. min. etiam patet ; quia amor amicitiæ debet esse mutuus, & amicis patens ; nam, ùt ait Philosophus lib. 8. Ethic. cap. 2. & 3. *Est redamatio mutua, amantes non latens.* Cum igitur homo sine fide de Deo ùt remuneratore amicabili non possit elicere amorem amicitiæ perfectæ erga Deum propter ejus amicabilem benevolentiam nos beandi ; hinc talis fides est necessaria necessitate medii ad amorem amicitiæ

citiæ perfectum, & promerendam primam justificationem ac vitam æternam.

Præterea amicitia perfecta infert mutuam communicationem bonorum, juxta eundem Philosophum l. c. cap. 9. ubi inquit: *Nam & jus & proverbium communes res amicorum esse ait.* Ex quo sequitur, quòd quis alterum non possit amare amore amicitiæ perfecto, nisi sciat, alterum se mutuò velle amare, promittere obligationem ad mutuum amorem, & velle sibi communicare bona: quod præsertim requiritur ad amorem amicitiæ efficacem, & appretiativè super omnia firmum. Quamdiu igitur quis hanc alterius voluntatem & promissionem ignorat, etsi ei benevelit, aut eum amet propter ejus perfectiones & virtutes, eundem solùm amat amore simplicis complacentiæ & benevolentiæ, & nondum amore perfectæ amicitiæ; ut cuilibet consideranti ab experientia patet.

℞. *ad 2.* Ad justificationem & salutem necessaria necessitate medii est fides explicita Dei ùt remuneratoris per bona supernaturalia, seu per vitam & beatitudinem æternam. *Ita Eximius Suarez de fide disp. 12. sect. 3. num. 8. Valentia, Granado, Lorca, Torres, Cajetanus, Bannez, Coninch, & alii Theologi communiùs contra Molinam & alios.*

Responsio patet ex S. Scriptura; nam Apostolus l. c. ubi ait, *sine fide impossibile esse placere*

Deo

Deo &c. agit de fide, quam v. 1. definiverat: *est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: atqui talis fides est de Deo ùt remuneratore per bona supernaturalia, seu per vitam & beatitudinem æternam: ergo. min. patet; nam hanc vitam & beatitudinem æternam nos à Deo nobis promissam speramus.

Ratio responsionis verò est: quia ad amorem amicitiæ Divinæ perfectum & justificativum ex natura rei requiritur fides explicita de Deo ùt remuneratore amicabili per vitam & beatitudinem æternam: atqui hæc utpote visio Dei intuitiva & amor fruitivus, est supernaturalis: ergo. min. patebit ex tract. de quatuor novissimis. maj. prob. Fides præscindens à Deo, ùt remuneratore supernaturali per vitam & beatitudinem secum ipso æternam, nobis non proponit Deum ùt perfectum amicum, sed tantùm ùt benevolum remuneratorem in genere: ergo non sufficit ad eliciendum erga Deum amorem amicitiæ perfectum, efficacem, & super omnia firmum.

38 *Quæres 6.* An hæc fides necessariò debeat esse strictè dicta, & entitativè supernaturalis?

℞. *ad 1.* Hæc fides necessariò debet esse fides, quæ pro motivo formali habet authoritatem Dei revelantis; adeóque non sufficit fides virtualis & latè talis, desumpta solùm

ex

ex creaturis & ratione naturali. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam Lutheranorum, & respectivè Calvinistarum, ex Lutheranis nominatim Osiander & ex Calvinistis Junius, teste Brochmand tom. 2. pag. 777. & 782. contra Puccium, & Zwinglium l. c.*

Responsio patet I. ex S. Scriptura; nam Apostolus ad Hebr. 11. postquam fidem v. 1. definiverat, quod sit *sperandarum substantia rerum &c.* enumerat fidem Abel, Enoch, Abraham, & reliquorum Patriarcharum, ac justorum; & v. 6. subdit: *sine fide autem impossibile est placere Deo:* ergo hoc est intelligendum de fide strictè dicta, quæ est sperandarum substantia rerum, quam habuit Abel &c. & quæ pro motivo habet revelationem Divinam. Cujus revelationis necessitatem clarè expressit idem Apostolus ad Rom. 1. v. 14. dicens: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* & v. 17. concludit: *ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, seu Dei. Idem docet 1. ad Corinth. 2. per totum.

II. Constat ex S. Patribus in citatos textus Apostoli, & ex authoritate Ecclesiæ; nam Concil. Trid. Sess. 6. cap. 6. pro dispositione ad justificationem requirit fidem strictè dictam, qua creduntur ea, *quæ divinitus revelata & promissa sunt;* simulque subdit: *de hac dispositione scriptum est* (nempe ad Hebr. 11. v. 6.)

Acce-

Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Et Innoc. XI. damnavit propositionem sequentem num. 23. *Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similivè motivo, ad justificationem sufficit.* Unde ad justificationem non sufficit illa præcisè notitia, & fides naturalis scientifica Dei, de qua Psalm. 18. v. 1. dicitur: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.*

Ratio responsionis verò est: quia Deus, etiam producto hoc universo, ex quo relucent perfectiones Divinæ, liberè potest suam veracitatem, quam habet in loquendo, interponere vel non interponere; adeoque fides, qua sine omni revelatione Divina crederetur Deus, non esset fides, sed solùm scientia naturalis de perfectionibus Dei necessariis.

Præterea Deus, etiam producto hoc universo, est liber ad præstandam vel non præstandam creaturæ rationali vitam & beatitudinem æternam: ergo, nisi hanc decernat, & creaturæ revelet, ac promittat, homo non potest hanc firmiter credere, Deum amare amore amicitiæ perfecto, & consequenter nequit sine fide strictè dicta salvari. Unde Innoc. XI. damnavit propositionem sequentem num. 21. *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cum notitia solùm probabili revelationis;*

tionis ; imò cum formidine, qua quis formidat, ne non ſit locutus Deus.

℞. *ad 2.* Fides ad ſalutem requiſita neceſſariò debet eſſe entitativè ſupernaturalis, & actualis ; adeoque non ſufficit fides naturalis, aut ſolùm in voto. *Ita iterum cum ſanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam Lutheranorum & Calviniſtarum, contra Pelagianos, Zwinglium, & Puccium.*

Reſponſio patet ex S. Scriptura & authoritate Eccleſiæ ; nam Apoſtolus 2. ad Corinth. 3. v. 5. ait: *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid* (prout nempe conducit ad ſalutem) *à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Unde Concilium Arauſicanum II. can. 5. ait: *Si quis, ſicut augmentum ita & initium fidei, ipſumque credulitatis affectum, non gratiæ donum, id eſt, per inſpirationem Spiritûs Sancti - - ſed naturaliter nobis ineſſe dicit ; Apoſtolicis dogmatibus adverſarius probatur.* Et Tridentinum Seſſ. 6. can. 3. ſtatuit: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur ; anathema ſit.*

Ratio reſponſionis verò eſt: quia opera naturalia non poſſunt per ſe & poſitivè diſponere ad aliquid ſupernaturale: ergo hocipſo, quòd Deus ad juſtificationem & ſalutem, utpote ſupernaturalia, exigat fidem tanquam

 poſiti-

positivam dispositionem, hæc debet esse supernaturalis. Totum hoc magìs patet ex dictis tract. præced. cap. 9. num. 101.

Porrò, quòd ad salutem sit necessaria fides in voto, seu voluntas credendi, si quis sciret, aliquid esse à Deo revelatum, patet ex S. Scriptura; nam Christus Marci 16. v. 16. postquam dixerat: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit;* statim de fide seorsim subjungit: *qui verò non crediderit, condemnabitur.* Ratio hujus verò est: quia fides explicita & actualis ex natura rei est necessaria necessitate medii ad amorem amicitiæ Divinæ perfectum & justificativum: adeoque saltem ex opere operantis nullus ex adultis potest mereri primam justificationem sine fide explicita & actuali Dei ùt remuneratoris amicabilis per bona supernaturalia, seu per vitam & beatitudinem æternam; ùt clariùs patet ex dictis num. præced.

39 *Quæres 7.* An in antiquo testamento ad justificationem & salutem necessaria necessitate medii fuerit fides explicita mysterii Trinitatis, & incarnandi Verbi Divini?

℟. In antiquo Testamento ad justificationem & salutem non fuit necessaria necessitate medii fides explicita mysterii Trinitatis, & incarnandi Verbi Divini, seu in Christum Redemptorem ùt filium Dei & simul hominis. *Ita communior sanctorum Patrum & Theologorum*

cum

cum D. Thoma 2. 2. q. 2. a. 7. contra Coninch, Lorcam, & præsertim contra plerosque Lutheranos & Calvinistas.

Responsio colligitur ex S. Scriptura; nam Apostolus ad Galat. 3. v. 23. ait: *priùs autem, quàm veniret fides* (nempe explicita mysterii Trinitatis & incarnationis filii Dei) *sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat*: ergo fides in mysterium Trinitatis & incarnationis in antiquo Testamento non fuit omnibus satis claré revelata, & consequenter neque necessaria necessitate medii ad salutem. Item Apostolus ad Hebr. 11. v. 6. postquam dixerat: *sine fide autem impossibile est placere Deo*; subjungit: *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*, nulla facta mentione de Christo: ergo signum est, quòd fides explicita in mysterium Trinitatis & incarnationis Filii Dei non sit, & præsertim in antiquo Testamento non fuerit necessaria necessitate medii ad salutem.

Idem communiùs docent sancti Patres in citatos textus Apostoli; inter quos S. Chrysostomus homil. 37. in Matth. ait: *Qui ante Christum obierunt, atque ideo ipsum non cognoverunt, si ab idolorum cultu recesserunt, ac Deum solum adoraverunt, si præterea honestè vitam peregerunt, æterna bona & beatitudinem adipiscentur*. Et S. Cypr. in prologo libri (ei adscripto) de operibus

Cardinal. Christi, loquens de mysterio Sanctissimæ Trinitatis, inquit: *Ad hanc rerum adeò profundarum indaginem, nisi incarnati Verbi mysterium accessisset, humana defecissent ingenia, & nescio, si & aliqui auderent ad hæc tentanda conatus assurgere.*

Ratio responsionis verò est: quia mysterium Sanctissimæ Trinitatis & futura incarnatio Filii Dei in antiquo testamento non fuit clarè sed solùm obscurè & in confuso revelata: ergo fides explicita in mysterium Sanctissimæ Trinitatis & incarnationis Filii Dei non fuit in illo necessaria necessitate medii ad salutem. Ant. patet ex dictis in tract. 2. cap. 1. num. 1. & tract. 4. cap. 5. num. 56. unde Judæi præter Patriarchas & Prophetas in antiquo testamento neutrum mysterium explicitè crediderunt, sed simpliciter adventum Messiæ ùt puri hominis; sicut hoc solùm credunt moderni Judæi. Con. etiam constat; quia Deus, qui vult omnes homines salvos fieri, necessaria necessitate medii ad salutem, etiam in antiquo testamento clarè revelavit.

Præterea Judæi, credendo Deum præcisè ùt amicabilem remuneratorem bonorum per vitam & beatitudinem æternam, potuerunt illum diligere amore amicitiæ perfecto, sicque justificari, & mereri vitam æternam: ergo hæc fides præcisè fuit necessaria necessitate medii ad salutem. Ant. patet ex dictis supra num.

num. 37. Con. etiam conſtat; quia Deus nihil exigit tanquam neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, niſi quod ex natura rei morali taliter eſt neceſſarium. Sed

Objicies I. Actor. 26. v. 7. dixit Paulus: *Et nunc in ſpe, quæ ad Patres noſtros repromiſſionis facta eſt à Deo, ſto judicio ſubjectus: in quam duodecim tribus noſtræ, nocte & die deſervientes, ſperant devenire:* ergo Judæi in antiquo teſtamento crediderunt, & ſperaverunt redemptionem à peccatis & vitam æternam per Meſſiam tanquam Deum & hominem; nam per purum hominem hæc ſperare non potuerunt. 40

II. Idem Apoſtolus ad Galat. 3. agens de illa juſtificatione, quæ facta fuit ante Chriſti adventum, & fide ad illam requiſita à v. 21. ait: *Si enim data eſſet lex, quæ poſſit vivificare, verè ex lege eſſet juſtitia. Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide JEſu Chriſti daretur credentibus. Priùs autem, quàm veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi in eam fidem, quæ revelanda erat:* ergo fides explicita in Meſſiam ſaltem ùt Mediatorem inter Deum & homines in antiquo teſtamento fuit neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem; quamvis illa potuerit præſcindere, an talis Mediator ſit Deus & homo ſimul, quod dein primò per incarnationem Filii Dei clarè fuit revelatum.

III. S. Augustinus lib. 18. de civit. Dei cap. 57. agens de iis, qui olim ex gentibus salvati sunt, inquit : *Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus fuit unus Mediator Dei & hominum Christus JEsus, qui venturus in carne sic antiquis Sanctis prænuntiabatur, quemadmodùm venisse nobis nuntiatus est :* ergo juxta S. Doctorem etiam in antiquo testamento ad salutem necessaria fuit fides explicita in Christum saltem ùt præcisè Mediatorem Dei & hominum.

IV. S. Nazianzenus orat. 20. de sanctis Machabæis generaliter dicit : *Quin etiam mystica quædam & occulta ratio mihi quidem atque omnibus Dei amatoribus valde probabilis est, neminem eorum, qui ante Christi adventum martyrio consummati sunt, id sine fide in Christum consequi potuisse :* ergo

℞. *ad 1.* c. ant. d. con. ergo Judæi in antiquo testamento crediderunt, & speraverunt &c. per Messiam tanquam Deum & Hominem implicitè & virtualiter; c. con. hoc crediderunt explicitè & formaliter ; n. con. Licèt Judæi in antiquo testamento crediderint, & speraverint Messiam tanquam mediatorem Dei & hominum sub conceptu generali mediatoris, non tamen sub conceptu explicito expresso & formali ùt incarnati Filii Dei, seu Dei & Hominis ; nam Judæi Christum ex eo potissimùm crucifixerunt, quòd dixerit, se esse Filium

lium Dei; adeoque ignorabant, Meſſiam eſſe futurum hominem & ſimul Filium Dei. Quod clarè aſſerit Apoſtolus 1. ad Corinth. 2. à v. 7. dicens: *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram, quam nemo principum hujus ſæculi cognovit: ſi enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.*

Ad 2. c. ant. n. con. nam Apoſtolus ſolùm loquitur de fide implicita Chriſti, & incluſa in fide Dei remuneratoris & *Salvatoris per media ſibi placita;* non verò de fide Chriſti explicita ſub conceptu particulari *mediatoris* Dei & hominum; nam talis debet eſſe homo & ſimul Deus, quod Judæi privati in antiquo teſtamento ignorabant, & illis primò per adventum Chriſti revelandum erat; ùt patet ex ultimis verbis Apoſtoli. Hæc explicatio eſt clara mens D. Thomæ, qui 2. 2, q. 2. a. 7. ait: *Si qui ſalvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt ſalvati absque fide mediatoris; quia etſi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam.* Cujus fidei implicitæ modum exponens, pergit: *In Divina providentia credentes, Deum eſſe liberatorem hominum ſecundum modos ſibi placitos.* Imò in commentario cap. 11. Epiſt. ad Hebr. abſolutè docet, plures ſalvatos fuiſſe ſine fide explicita Chriſti *mediatoris*, & ſub ſolo conceptu generali *Dei Salvatoris.*

Ad 3. Dico S. Augustinum ex omnibus Patribus maximè inclinare in sententiam oppositam; benignè tamen esse ejus mentem interpretandam, ne ob ejus authoritatem Divina misericordia & liberalitas in salvandis hominibus restringatur. Unde explico textum cum distinctione: *Nisi cui divinitus revelatus fuit unus mediator Dei & hominum Christus JEsus*, vel sub conceptu generico *Dei Salvatoris*, vel sub conceptn specifico Dei mediatoris; c. ant. necessariò sub conceptu specifico *Dei mediatoris*; n. ant. & con. conceptus genericus *Dei Salvatoris per media & modos sibi placitos* virtualiter implicitè & quoad rem ipsam includit Deum mediatorem, seu Christum. Unde, licèt ad salutem necessaria sit revelatio & fides implicita Christi sub conceptu generico Dei Salvatoris, non tamen fides explicita Christi sub conceptu Dei mediatoris.

Ad 4. eadem est responsio. Præter hanc explicationem ad textus quorundam SS. PP. adhuc duplex generalis est responsio: primò ad illos textus, quibus dicunt, *sine fide Christi neminem fuisse justificatum, aut posse justificari*; nam ad hos respondetur, sine fide Christi tanquam causæ moralis, concedendo; sine fide Christi tanquam objecti, negando, vel distinguendo; implicita & sub conceptu generico Dei Salvatoris, concedendo; sine fide illius explicita & sub conceptu Dei mediatoris, negan-

gando. Secundo ad alios textus, quibus aſſerunt, *omnes per eandem fidem fuiſſe juſtificatos, & ſalvatos;* nam ad hos reſpondetur, per eandem fidem entitativè, nempe ſupernaturalem ob gratiam ex meritis Chriſti collatam, concedendo; per eandem fidem repræſentativè, ſubdiſtinguendo, per eandem fidem quoad objectum genericum Dei Salvatoris, concedendo; per eandem fidem quoad objectum ſpecificum Dei mediatoris, negando.

Quæres 8. An in novo teſtamento ad juſtificationem & ſalutem neceſſaria neceſſitate medii ſit fides explicita myſterii Trinitatis, & Verbi incarnati?

41 ℞. Probabiliter neque in novo teſtamento ad juſtificationem & ſalutem neceſſaria neceſſitate medii eſt fides explicita myſterii Trinitatis, & Verbi incarnati, ſeu Chriſti mediatoris; quamvìs talis fides ſit neceſſaria neceſſitate maximi præcepti. *Ita Eximius Suarez de fide diſp. 12. ſect. 4. Medina, Vega, Zumel, Turrianus, Hurtado, Lugo, Comptonus, Arriaga, Haunoldus, Viva, & his teſtibus communior Patrum Inclytæ Soc. JEſu, contra Molinam, Valentiam, Sanchez, & communiorem Thomiſtarum.*

Reſponſio colligitur ex S. Scriptura; nam clariſſimus textus, in quo agitur de fide neceſſaria neceſſitate medii ad juſtificationem & ſalutem, eſt ille Apoſtoli ad Hebr. 11. v. 6. *Sine*

fide autem impossibile est placere Deo : ubi Apostolus nullam facit mentionem de fide in Christum, sed solùm in Deum ùt amicabilem remuneratorem, addens : *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit :* ergo ex S. Scriptura satis clarè colligitur, quòd ad justificationem & salutem etiam in novo testamento, & post Christi adventum, necessaria necessitate medii solùm sit fides explicita Dei ùt amicabilis remuneratoris, non verò etiam fides explicita Christi ùt mediatoris. Ant. patet ; tum quia Apostolus l. c. ex professo tractat de natura & necessitate fidei ad salutem ; tum quia clarè exprimit necessitatem medii. Con. etiam constat ; quia, ubi agitur de mediis ad salutem tantopere necessariis, debent omnia clarè exprimi ; ne promulgatio illorum sit manca.

Præterea Cornelius centurio juxta S. Scripturam & sanctos Patres probabiliùs fuit justificatus ante fidem explicitam in Christum : ergo. Ant. prob. Actorum 10. v. 34. de illo ait Petrus Apostolus : *In veritate comperi, quia non est acceptor personarum Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi :* ergo S. Petrus supponit, Cornelium ante annuntiatam sibi fidem in Christum jam fuisse Deo acceptum, seu justificatum. Unde S. Aug. lib. 4. de Baptismo cap. 21. inquit : *Priùs esse cœperat Cornelii justitia, quam ipse esset in plebe Christiana.*

Ratio

Ratio reſponſionis verò eſt : quia Deus nihil exigit tanquam neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem in adultis, niſi quod ex natura rei morali neceſſarium eſt ad illam de congruo promerendam : ſed ad promerendam de congruo juſtificationem & ſalutem ex natura rei non eſt neceſſaria fides explicita Chriſti Mediatoris, ſed ſufficit fides explicita Dei ùt amicabilis remuneratoris per beatitudinem æternam : ergo. Min. patet ex dictis ſupra num. 37. Maj. prob. Deus, quantum eſt de ſe, vult omnes homines ſalvos fieri : ergo, dummodò iſti ponant, quantum ex naturarei morali eſt neceſſarium ad promerendam juſtificationem & ſalutem, juſtificantur, & ſalvantur.

Præterea noſtra ſententia magis ſalvat miſericordiam & liberalitatem Divinam in ſalvandis hominibus, quàm ſententia adverſariorum : ergo illa eſt huic præferenda. Ant. patet ; quia juxta noſtram ſententiam poſſunt ſalvari Judæi & Mahometani, qui circa Chriſtum ſunt in errore invincibili, ſeu habent ignorantiam invincibilem ; dummodò credant, & ament Deum verum ùt amicabilem remuneratorem per beatitudinem æternam. Con. etiam conſtat ; quia miſericordia & liberalitas Divina in ſalvandis hominibus maximè debet ſalvari ; juxta illud Pſalm. 144. v. 9. *Suavis Dominus univerſis : & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.*

Quæ-

42 *Quæres 9.* Quænam objicere soleant adversarii?

℞. Sequentia, I. S. Scriptura in novo testamento & lege gratiæ magnopere nobis inculcat necessitatem fidei in Christum: ergo hæc in novo testamento est necessaria necessitate medii ad justificationem & salutem. Ant. prob. Apostolus ad Rom. 3. v. 22. ait: *Justitia autem Dei per fidem JEsu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.* Ad Galat. 2. v. 16. *Non justificabitur homo ex operibus legis, nisi per fidem JEsu Christi.* Et Actor. 4. v. 12. dicitur: *Non est in aliquo alio salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Item Joan. 17. v. 3. Christus ipsemet dicit: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti JEsum Christum:* atqui isti textus plerique loquuntur de necessitate medii, præsertim ultimus: ergo.

II. In Concilio Lateranensi cap. *Firmiter credimus* de summa Trinitate expresse definitur: *Una verò est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omninò salvatur:* atqui, qui non credit in Christum, est extra Ecclesiam istam, cujus caput est Christus: ergo non salvatur; & consequenter fides explicita in Christum est necessaria necessitate medii ad salutem. Min. prob. Qui non credit in Christum, non est intra hanc Ecclesiam: ergo est extra illam.

III. Con-

III. Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 6. agens de dispositionibus ad justificationem necessariis, inter has requirit etiam fidem in Christum, & dein ait: *De hac dispositione scriptum est* (nempe ad Hebr. 11. v. 6.) *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit;* quæ verba Apostolus intelligit de fide necessaria necessitate medii: ergo.

IV. In Symbolo S. Athanasii, quod Ecclesia Catholica communiter & in Breviario profitetur, post explicatum mysterium Trinitatis & Incarnationis, subditur: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit:* ergo S. Athanasius & Ecclesia Catholica censet, fidem explicitam utriusque mysterii esse necessariam necessitate medii ad salutem, saltem in novo testamento & post Christi adventum.

V. S. Thomas in 3. dist. 25. q. 2. a. 2. quæstiunc. 2. ait: *Post adventum Christi, quia mysterium Incarnationis jam impletum est & corporaliter & visibiliter, & prædicatum, omnes tenentur ad illud explicitè credendum. Et, si aliquis instructorem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex sua culpa remaneret.* Idem docet quæst. 14. de veritate a. 11. præsertim ad 1. ergo S. Doctor censet, quòd in novo testamento fides explicita in Christum sit necessaria necessitate medii ad salutem. Con. prob. Si fides explicita in Christum

ſtum non eſſet neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, tunc non eſſet ratio, cur Deus deberet ſimilem revelationem in defectu inſtructoris facere: ſed hanc juxta S. Thomam faceret: ergo.

VI. Si in novo teſtamento non eſſet neceſſaria neceſſitate medii fides explicita utriusque myſterii, tunc poſſet quis Sacramentaliter abſolvi, etſi ignoraret myſterium Trinitatis & Incarnationis: atqui talis nequit abſolvi: ergo. Maj. patet; quia ſic absque hac fide poſſet habere dolorem ſufficientem. Min. prob. Innoc. XI. damnavit hanc propoſitionem 64. *Abſolutionis capax eſt homo, quamvis laboret ignorantia myſteriorum fidei; & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri JEſu Chriſti:* ergo.

VII. Fides in Chriſtum ad juſtificationem eſt magis neceſſaria in novo teſtamento, quàm fuerit in antiquo: atqui in antiquo teſtamento fides implicita in Chriſtum ad juſtificationem & ſalutem fuit neceſſaria neceſſitate medii: ergo in novo teſtamento taliter eſt neceſſaria fides in Chriſtum explicita. Maj. prob. In novo teſtamento & poſt adventum Chriſti myſterium Incarnationis fuit longè clariùs nobis revelatum, & fides de illo nobis frequentiſſimè inculcata: ergo eſt magìs neceſſaria in novo teſtamento, quàm fuerit in antiquo.

VIII. Fi-

VIII. Fides in Christum est magìs necessaria ad justificationem & salutem, quàm fides aliorum particularium articulorum: atqui fides explicita aliorum articulorum est necessaria necessitate præcepti: ergo fides explicita in Christum est necessaria necessitate medii. Præterea fides implicita aliorum articulorum est necessaria necessitate medii: ergo de Christo necessaria necessitate medii est fides explicita.

IX. Planè conveniens est, ut nullus justificetur, aut salvetur, nisi credat, & sciat authorem justitiæ & salutis: sed Christus est author justitiæ & salutis: ergo planè conveniens est, ut nullus justificetur, & salvetur, nisi credat, & sciat, Christum esse hunc authorem. Atqui Deus decernit, quod est convenientius: ergo decrevit, ut nullus in novo testamento justificetur, & salvetur: nisi credat, & sciat, Christum esse authorem justitiæ & salutis.

X. Licèt fides explicita in Christum non esset necessaria necessitate medii ad justificationem, tamen sic est necessaria ad consecutionem salutis: ergo nostra sententia ex integro non subsistit. Ant. prob. Licèt Cornelius Centurio jam ante fidem explicitam in Christum fuerit justificatus, ùt docet S. Thomas 3. p. q. 69. a. 4. ad 2. Eximius Suarez l. c. & hoc teste sancti Patres communiùs; ad eum tamen

tamen miraculosè fuit missus S. Petrus, ut illum edoceret fidem Christianam: ergo signum est, quòd fides explicita in Christum sit necessaria necessitate medii ad consecutionem salutis; nam aliàs non daretur ratio, cur Petrus ad Cornelium debuisset mitti.

XI. Licèt quidam minùs Sancti in antiquo testamento fuerint justificati sine fide explicita in Christum, nullus tamen absque hac fide fuit consecutus salutem: ergo signum est, quòd fides explicita in Christum sit necessaria necessitate medii ad consecutionem salutis. Ant. prob. Similes Sancti usque ad resurrectionem Christi fuerunt detenti in limbo Patrum antiqui testamenti; ubi illis à sanctis Patriarchis & Prophetis proposita fuit revelatio Messiæ venturi, illosque liberaturi: ergo.

XII. In opposita sententia faciliùs explicatur S. Scriptura, & sancti Patres, qui fidem explicitam in Christum videntur exigere tanquam necessariam necessitate medii ad salutem: ergo opposita sententia est nostræ præferenda. Præterea sine hoc modo explicandi sanctos Patres & Scripturam nostra sententia est minùs probabilis: ergo.

XIII. Si nostra sententia esset vera, tunc salvi essent ex gentilibus *Hercules*, *Theseus*, *Socrates*, *Aristides*, *Antigonus*, *Numa*, *Camillus*, *Catones*, & *Scipiones*; ùt docuit Zwinglius tom. 2. in expositione fidei Christianæ ad

Fran-

Franciſcum Regem Galliæ fol. 559. atqui hæc ſententia Zwinglii tanquam falſa communiter rejicitur etiam à Lutheranis, & plerisque Calviniſtis: ergo. Præterea ſic ſaltem plures Judæi & Mahometani defactò ſalvarentur; quia credunt unum verum Deum ùt amicabilem remuneratorem per beatitudinem æternam: atqui etiam hoc aſſerere eſt abſurdum: ergo.

℞. *ad 1.* c. ant. n. con. nam ex tam frequen- 43
ti inculcatione fidei in Chriſtum non ſequitur, fidem explicitam in Chriſtum eſſe in novo teſtamento neceſſariam neceſſitate medii ad ſalutem; ſed ſolùm eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti primaria, & per modum objecti primarii. Ad prob. c. maj. d. min. atqui iſti textus plerique loquuntur de neceſſitate medii, prout loquuntur de fide ſupernaturali, quæ oritur ex meritis Chriſti tanquam cauſa morali; adeoque de fide Chriſti cauſaliter ſumpta; c. min. prout loquuntur de fide Chriſti objectivè & repræſentativè; ſubd. implicita ſub concepto generico Dei Salvatoris; c. min. explicita & ſub conceptu ſpecifico Dei mediatoris; n. min. & con. diſtinctio patet ex dictis num. 40.

Ad 2. c. maj. d. min. Qui non credit in Chriſtum eſt extra hanc Eccleſiam externè & apparenter; c. min. internè & quoad ſtatum animæ; ſubd. ſi Chriſtum neqne credat implicitè, & ſub conceptu generico Dei Salvato-

ris; c. min. si eum sic credat, & super omnia diligat amore amicitiæ supernaturali; n. min. & con. Ad prob. eadem est responsio. Hoc ipso, quòd quis credat Deum esse Remuneratorem & Salvatorem, implicitè etiam credit Christum: & hoc ipso, quòd Deum diligat amore amicitiæ supernaturali perfecto, justificatur, & internè quoad statum animæ fit vivum Christi membrum. Concilium Lateranense igitur est intelligendum de ingressu Ecclesiæ per Baptismum Sacramentalem, aut per votum, seu Baptismum flaminis; nam aliàs non sufficeret Baptismus flaminis, & in amore Dei super omnia virtualiter inclusus, quod est contra communem sensum Ecclesiæ.

Ad 3. c. ant. n. con. nam Concilium Trid. l. c. agit de dispositionibus ad justificationem regulariter necessariis, tam necessitate medii quàm præcepti; adeoque non vult, quòd omnes dispositiones ab eo enumeratæ, ùt e. g. timor, spes & similia, sint necessaria necessitate medii ad justificationem. Præterea Concilium dein loquens de dispositione necessaria necessitate medii, & citans Apostoli textum, solùm exprimit fidem explicitam Dei remuneratoris, & præscindit à fide explicita Christi; adeoque non vult innuere, etiam hanc esse necessariam necessitate medii ad justificationem.

Ad

Ad 4. c. ant. n. con. nam S. Athanaſius & Eccleſia ſolùm vult, quòd ſalvus eſſe non poſſit, qui hæc myſteria culpabiliter ignorat, culpabiliter negat, aut neque implicitè ſub conceptu Dei Salvatoris credit: non autem vult, quòd fides explicita omnium, quæ in Symbolo Athanaſii continentur, ſit neceſſaria neceſſitate medii; nam aliàs etiam fides explicita de judicio univerſali & reſurrectione corporum eſſet neceſſaria neceſſitate medii: quod tamen etiam adverſarii negare debent. Licèt igitur fides explicita utriusque myſterii ſit neceſſaria neceſſitate primaria præcepti; ſi quis tamen hæc duo myſteria invincibiliter ignoraret, & illa ſolùm crederet implicitè ſub conceptu generico Dei Salvatoris & Remuneratoris poſſet adhuc ſalvari.

Ad 5. c. ant. n. con. nam verbum *tenetur* ſolùm denotat neceſſitatem præcepti, non verò neceſſitatem medii. Adprob. n. ſeq. maj. nam ſine fide explicita, qua creditur Deum ſic dilexiſſe mundum, ut Filium ſuum unigenitum pro noſtra ſalute daret, ſæpius eſt moraliter impoſſibilis amor amicitiæ Dei perfectus & conſtans; adeoque, licèt hæc fides explicita non ſit ſimpliciter neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, tamen datur ratio, cur Deus credenti neceſſaria neceſſitate medii, ſéque amanti, revelaret in defectu inſtructoris etiam myſterium Incarnationis Filii Dei.

Cæterùm, licèt mens D. Thomæ in præsenti puncto difficultatis sit dubia, ultimatò tamen in nostram sententiam magìs inclinat; nam in sua Summa 3. p. q. 69. a. 4. ad 2. de Cornelio, qui vixit post promulgatum Evangelium, ait: *Ante Baptismum Cornelius & alii similes consequuntur gratiam, & virtutes, per fidem Christi, & desiderium Baptismi, implicitè vel explicitè.*

Ad 6. n. seq. maj. Licèt enim quis sine fide explicita utriusque mysterii posset Deum super omnia diligere, aut propter illum de peccatis dolere; cùm tamen talis ignoraret Sacramentum Pœnitentiæ, non posset confessionem peccatorum ad hoc Sacramentum ordinare; adeoque non poneret partes ad hoc Sacramentum requisitas, & invalidè absolveretur. Præterea, cùm nostra sententia sit solùm probabilis, & in quæstione de valore Sacramenti non sit licitum sequi sententiam solùm probabilem, Confessarius talem pœnitentem priùs deberet instruere in mysteriis fidei, & dein instructum absolvere. Cæterùm, si taliter ignarus esset in agone, nec posset ampliùs instrui circa mysterium Trinitatis & Incarnationis, interim tamen de suis peccatis doleret, velletque ab his absolvi, posset absolvi, sub conditione; ùt docet Cardenas Dissert. 41. in proposit. ab Innoc. XI. damnatas cap. 3. num. 18.

Ad 7. d. maj. Fides in Chriſtum eſt magìs neceſſaria neceſſitate præcepti in novo teſtamento, quàm fuerit in antiquo; c. maj. eſt magìs neceſſaria neceſſitate medii; n. maj. & conceſsâ min. n. con. Ad prob. c. ant. & ſub priori diſtinctione n. con. Ex eo, quòd in novo teſtamento myſterium Incarnationis nobis clariùs fuerit revelatum, ſolùm ſequitur, quòd illud omnes ſub præcepto teneantur credere fide explicita, & perfecta; non autem, quòd fides illius ſit neceſſaria neceſſitate medii. Ratio hujus eſt: quia fides illius explicita non eſt ex natura rei morali neceſſaria neceſſitate medii ad juſtificationem, ſicut non fuit neceſſaria in antiquo teſtamento; adeoque neque eſt neceſſaria neceſſitate medii ex ordinatione Dei extrinſeca: quia Deus ſuam miſericordiam, quam habet in ſalvandis hominibus, poſt adventum Chriſti non voluit reſtringere; adeoque illa etiam in novo teſtamento ſe extendit ad omnes, qui unum Deum verum ùt amicabilem remuneratorem per beatitudinem alterius vitæ credunt, & eum ſuper omnia diligunt, ac juſtè vivunt.

Ad 8. d. maj. Fides in Chriſtum eſt magìs neceſſaria ad ſalutem neceſſitate eadem & præcepti, quàm fides aliorum particularium articulorum; c. maj. eſt magìs neceſſaria neſſitate diverſa & medii; n. maj. & transmiſſa min. n. con. Fides explicita in Chriſtum igitur eſt

necessaria necessitate primaria, aliorum articulorum particularium verò necessitate secundaria præcepti, dixi autem transmissâ min. quia rudioribus non est necessaria necessitate præcepti fides explicita omnium particularium articulorum; præsertim, si ex incapacitate Symbolum Apostolorum nequeunt memoriter addiscere.

Ad id, quod additur, transf. ant. n. con. nam fides implicita in Christum sufficit ex natura rei morali ad justificationem; dummodò quis credat unum verum Deum ùt Salvatorem & amicabilem Remuneratorem per æternam beatitudinem. Dixi autem: transf. ant. quia etiam fides implicita omnium omninò articulorum quoad objectum materiale est solùm necessaria necessitate præcepti.

Ad 9. d.maj. Planè conveniens est, ut nullus justificetur, aut salvetur, nisi credat, & sciat authorem primarium, & qui est causa physica, principalis, & primaria, justitiæ & salutis; c. maj. nisi sciat authorem secundarium, qui est causa solùm moralis; subd. nisi illum credat implicitè & sub munere authoris primarii; c. maj. nisi illum credat explicitè & sub munere authoris secundarii moraliter distincto; n. maj. & sic distinctâ min. n. con. Ex hac igitur convenientia nihil aliud infertur, quàm quòd fides explicita in Christum sit necessaria necessitate primaria præcepti: nam

nam loquendo de necessitate medii, utique misericordiæ, bonitati & liberalitati Divinæ convenientius est, ut non exigat aliquid tanquam necessarium necessitate medii ad salutem, quod ex natura rei morali non est sic ad illam necessarium.

Ad 10. n. ant. nam justificatio formaliter importat jus ad vitam æternam; adeoque non requiritur plus ad consecutionem salutis, quàm ad justificationem & perseverantiam finalem. Ad prob. c. ant. n. con. & rationem additam; nam Petrus ad Cornelium non fuit missus ex eo, quòd fides explicita in Christum sit specialiter necessaria necessitate medii ad consecutionem salutis; sed ut Cornelius per fidem explicitam in Christum, per Baptismum, & reliqua Sacramenta, bonáque opera, posset magìs justificari, & majorem in fine vitæ gloriam consequi; item ut per illum gentilibus daretur exemplum conversionis,& quòd Deus sine acceptione personarum velit omnes salvos fieri.

Ad 11. transf. ant. n. con. nam per hanc fidem, extra statum viæ exercitam, illi non meruerunt consecutionem salutis, neque in limbo fuerunt detenti ex eo, quòd consecutionem gloriæ necessariò debeat præcedere fides explicita in Christum; sed potiùs ex eo, quòd non decuerit, ut aliquis à Christo redemptus ante eum consequeretur salutem.

Cùm igitur Deus requirat à nobis viatoribus fidem ùt meritoriam, & necessariam ad justificationem, fides, quæ in limbo aut purgatorio exercetur post statum viæ, non conducit ad justificationem, aut consecutionem salutis, sed solùm ad majorem vim satispassionis; ùt cum sanctis Patribus advertunt Theologi.

Ad 12. n. ant. nam sancti Patres cum Scriptura eodem modo requirunt fidem ad justificationem, quo illam requirunt ad salutem; juxta laudatum textum Apostoli: *Sine fide autem impossibile est placere Deo*, seu esse justum & amicum Dei; adeoque aliqui adversarii, qui fidem explicitam in Christum requirunt ad consecutionem salutis non verò ad justificationem, non explicant faciliùs Scripturam aut sanctos Patres, & nullum habent suæ mediæ sententiæ fundamentum.

Ad id, quod additur, n. ant. nam iste modus medius explicandi necessitatem fidei in Christum ad consecutionem salutis non verò justitiæ, non potest sententiam reddere probabiliorem; cùm careat omni fundamento. Cæterùm nostra sententia probabilitate intrinseca rationum & extrinseca authoritate Scripturæ est longè probabilior, quàm sententia etiam extremè opposita; nam Apostolus ad Hebr. 11. v. 6. postquam dixerat: *Sine fide autem impossibile est placere Deo*, sine mentione fidei in Christum præcisè addit: *credere enim*

opor-

oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.

Ad 13. n. seq. maj. nam hi gentiles, utpote idololatræ non crediderunt unum verum Deum ùt amicabilem remuneratorem per beatitudinem æternam; adeoque non potuerunt illum super omnia amare, & justificari, & consequenter neque salutem æternam consequi, juxta citatum textum Apostoli: *Sine fide autem impossibile est placere Deo &c.*

Ad id, quod additur, c. maj. n. min.; nam in hoc nullum est absurdum, si dicatur, Judæos & Mahometanos, qui veritatem fidei Christianæ inculpabiliter ignorant, interim tamen credunt unum verum Deum, ùt amicabilem remuneratorem bonorum per beatitudinem æternam, eúmque super omnia diligunt, justificari; & si in bono perseverant, aut lapsi per contritionem perfectam ritè pœniteant, salvari. Ratio hujus est: quia Alexander VIII. inter alias propositiones damnavit sequentem num. 5. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum accipiunt à JEsu Christo influxum; adeoque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficiente.* Cùm igitur Judæi & Mahometani habeant gratiam supernaturalem ad eliciendum actum fidei & amoris erga Deum ùt amicabilem remuneratorem per beatitudinem æternam, talis amor est supernaturalis, & po-

potest esse justificativus ; ùt fusiùs declaravi *in Theol. Specul. tract. 7. disp. 2. q. 2. a. 4.*

44 Ex his tamen minimè sequitur, Judæis, aut Mahometanis, licitum esse purum Deismum, seu solam fidem in unum verum Deum ùt remuneratorem amicabilem per beatitudinem æternam, sine fide explicita mysterii SS. Trinitatis & incarnationis Verbi Divini propter nostram salutem. Ratio hujus est: quia mysterium Trinitatis & incarnatio Verbi Divini in novo testamento est clarè revelata, & fides utriusque mysterii omnibus hominibus præcepta, ac necessaria necessitate primaria præcepti ; ùt patet ex illo Matth. 27. v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Item patet ex textibus supra num. 42. in objectione prima relatis. Unde, si hæc mysteria Judæo, aut Mahometano, satìs credibiliter proponuntur, & iste illa culpabiliter non vult credere, & fidem Christianam amplecti, peccat graviter, & damnatur; juxta illud Joan. 3. v. 18. *Qui autem non credit, jam judicatus est ; quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Taceo, quòd quis sine fide, quod Deus sic dilexerit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, difficulter possit Deum super omnia amare amore constanti amicitiæ ; adeoque quilibet tenetur hanc fidem explicitam firmiter amplecti, ut possit

Deum

Deum perfectè & constanter super omnia diligere.

CAPUT V.

Quinam de fide & bonis operibus successivè fuerint Hæreticorum errores.

SUMMARIUM.

45. *Quinam ante & tempore Apostolorum fuerint errores de nimia virtute liberi arbitrii & operum naturalium?*
46. *Quinam de observanda lege cæremoniali, & merito illius ad fidem?*
47. *Quinam fuerint errores de sufficientia solius fidei tempore Apostolorum & postea?*
48. *Hunc errorem rejecerunt ipsimet Apostoli.*
49. *Qualis de sufficientia solius fidei ad salutem primitus fuerit error Lutheri & Melanchthonis?*
50. *Quomodo Lutherus & Melanchthon suum errorem correxerit?*
51. *Quidnam de fide & bonis operibus doceat liber concordiæ Lutheranorum?*
52. *Cur primam doctrinam Lutherani mutaverint?*
53. *Quidnam de fide & bonis operibus docuerit Calvinus?*

UT in sequentibus capitibus justificatio per solam fidem solidiùs possit refutari, & obje-

objectiones Hæreticorum clariùs solvi, verúsque sensus S. Scripturæ de fide justificante debitè intelligi, necessariò declarandi priùs sunt Hæreticorum errores, qui de fide & bonis operibus successivè fuerunt. Igitur

45 *Quæres 1.* Quinam ante & tempore Apostolorum fuerint errores de nimia virtute liberi arbitrii & operum purè naturalium?

℞. *ad 1.* Ante tempora Apostolorum circa nimiam virtutem liberi arbitrii & operum naturalium errabant Philosophi præsertim Stoici, de quibus Cicero lib. 3. de natur. Deor. ait: *Vitæ quidem hujus commoditates à Diis se habere profitebantur, virtutem autem nemo unquam acceptam Deo retulit.* II. Errabant Judæi, qui pariter putabant, se suis naturæ viribus & sine gratia Dei posse implere legem, sicque per opera legis sine gratia Dei justificari.. De quibus Apostolus ad Rom. 13. v. 3. inquit: *Ignorantes enim justitiam Dei, & suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Hunc fuisse superbum errorem Judæorum testatur S. Augustinus secundùm editionem Congregationis S. Mauri edit. Venet. *tom. 2. columna 76. 85. 86. 626. & 732. tom. 5. col. 751. & 835. & tom. 10. col. 91.*

℞. *ad 2.* Tempore Apostolorum propter præcedentem persuasionem eodem modo adhuc errabant Judæi ad Christum recenter conversi. Unde Christus (forsan etiam ex cordibus

dibus discipulorum hunc errorem eliminare volens) dixit Joan. 15. v. 5. *Ego sum vitis vos palmites . . quia sine me nihil potestis facere.* Et Apostolus 2. ad Corinth. 3. v. 4. pariter talem errorem eliminare studet, dicens: *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum: non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et 1. Corinth. 12. v. 3. *Nemo in Spiritu Dei loquens. . potest dicere, Dominus JEsus, nisi in Spiritu Sancto.*

Sed neque post tempora Apostolorum desiit iste error in cordibus Hæreticorum; nam I. in primo sæculo post Christum anno 90. teste Clemente Alexandrino lib. 2. & 4. Strommatum: *Basilides cum Valentinianis dixit, fidem esse naturalem, hominésque natura electos & salvos fieri.* II. Ab initio sæculi quinti anno 405. eundem errorem seminare cœpit Pelagius, aliíque Pelagiani. Unde S. Augustinus Epist. 196. tom. 2. col. 732. de illis ait: *Non quidem nomine sed tamen errore Judaizant.* III. In eodem sæculo quinto anno 440. circa initium justificationis & salutis per solas vires naturæ errarunt Semipelagiani IV. in sæculo 14. anno 1390. erravit Joannes Wicleffus; in sæculo 16. anno 1540. Joannes Paffingerus Lipsiensis; anno 1545. Zœlius Socinus; & in sæculo 17. anno 1618. Jacobus Arminius: quorum aliqui cum suis inciderunt in Pelagianismum, alii in Semipelagianismum. Hos

Hos omnes errores fusè rejeci tract. præced. cap. 9. & 10. contra Pelagianos & Semipelagianos.

46 *Quæres 2.* Quinam fuerint errores de observanda lege cæremoniali, & merito illius ad fidem?

℞ *ad 1.* Error de observanda lege cæremoniali antiqui testamenti cum lege Evangelica fuit tempore Apostolorum hæresis Pharisæornm. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam modernorum heterodoxorum.*

Responsio clarè patet ex S. Scriptura; nam Actor. 15. v. 5. dicitur: *Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum* (nempe ad Christum conversorum) *qui crediderunt dicentes: quia oportet circumcidi eos* (nempe gentiles ad Christum conversos & baptizatos) *præcipere quoque servare legem Moysi.* Contra hanc hæresim ibidem v. 10. S. Petrus in Concilio Apostolorum Jerosolymis congregato respondit: *quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices Discipulorum, quod neque Patres nostri neque nos portare potuimus.* Et dein v. 28. totum Concilium Apostolorum misit cum Barnaba & Paulo Judam & Silam in urbem Antiochiam cum sequenti responso: *visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria: ut abstineatis ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.*

catione. Contra hanc hæresim dein scripsit Paulus Apostolus Epistolam ad Galatas, in qua probat, Christum gratìs mortuum fuisse, si circumcisio & reliqua cæremonialia adhuc obligarent, aut justificarent, cap. 2. v. 21. *Si per legem justitia, ergo Christus gratìs mortuus est.* Unde etiam Ecclesia in capit. *majores* de Baptismo ait : *Absit, ut in illam damnatam hæresim incidamus, quæ perperam affirmabat, legem cum Evangelio & circumcisionem cum Baptismo esse servandam.*

℟. *ad 2.* Error de merito operum legis cæremonialis, præsertim externorum, ad fidem in Christum consequendam, aut internorum purè naturalium, pariter fuit quorundam Judæorum ad fidem Christi recenter conversorum, qui putabant, se per externam & naturalem observantiam legis antiquæ meruisse fidem in Christum. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam modernorum heterodoxorum.*

Responsio patet ex tota respectivè Epistola Pauli ad Romanos, in qua duo præcipuè puncta docet ; primò gratiam fidei & Evangelii omnibus necessariam esse, & à Deo dispensari sive Judæis sive Gentibus, apud quem non est distinctio Judæi & Græci. Secundò, gratiam illam planè gratuitam esse, & nullis præcedentibus meritis dari. De primo puncto ad Rom. 3. v. 22. ait : *Justitia autem*

autem Dei per fidem JEsu Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum; non est enim distinctio &c. Et cap. 10. v. 12. *Non enim est distinctio Judæi & Græci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum.* Item ad Galat. 5. v. 5. *Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini: à gratia excidistis. Nam in Christo JEsu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides, quæ per charitatem operatur.*

De altero puncto verò ad Rom. 3. v. 24. inquit: *Justificati gratìs per gratiam ipsius, quæ est in Christo JEsu, quem proposuit Deus propositionem per fidem.* Et ad Ephes. 2. v. 8. *Gratìs enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ne quis glorietur.*

Hunc fuisse errorem Judæorum ad fidem Christi recenter conversorum inter alios sanctos Patres testatur S. Augustinus lib. 83. Quæst. tom. 6. col. 67. dicens: *In hoc enim se gentibus in Christum credentibus Judæi præferre cupiebant, quod dicebant, se meritis bonorum operum, quæ in lege sunt, ad Evangelicam gratiam pervenisse.*

Quòd tamen homines pii per fidem supernaturalem in unum Deum, ejus amorem, & alia opera supernaturalia, mereantur quandoque fidem in Christum, docet inter alios Patres S. Augustinus lib. de prædest. Sanctor.

cap.

cap. 7. tom. 10. col. 798. his verbis : *Solet enim dici, ideo credere meruit, quia vir bonus erat & antequam crederet. Quod de Cornelio dici poteſt, cujus acceptæ ſunt eleemoſynæ, & exauditæ orationes, antequam credidiſſet in Chriſtum : nec tamen ſine aliqua fide donabat, & orabat. Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat.*

Quæres 3. Quinam fuerint errores de ſuffi- 47
cientia ſolius fidei ad ſalutem tempore Apoſtolorum, & poſtea?

℞. *ad 1.* Tempore Apoſtolorum circa ſufficientiam ſolius fidei ſine bonis operibus circa annum Chriſti 50. errarunt. I. Quidam pſeudo-apoſtoli non intelligentes, quod ait ipſe Apoſtolus : *Arbitramur juſtificari hominem, per fidem ſine operibus legis*, putaverunt, eum dicere, ſufficere homini, etiamſi malè vivat, & opera bona non habeat ; uti teſtatur S. *Auguſtinus lib. de fide & operibus cap. 14. tom. 6. colum. 176. & lib. de grat. & liber. arbit. cap. 7. col. 727. & alibi.* II. circa annum 60. Simon Magus dicebat, liberum hominibus eſſe, ut agerent, quæcunque vellent, non extimeſcendas eſſe minas legis, & rationem attexebat, ſecundùm ipſius Dei gratiam ſalvari homines, non ſecundùm operationes juſtas ; ùt teſtatur S. *Irenæus lib. 1. cap. 20. Theodoretus de Hæreticorum fabulis, & Nicetas lib. 4. Theſauri cap. 1.*

℞. *ad 2.* Post tempora Apostolorum eodem modo errarunt I. In secundo sæculo anno 140. Valentiniani, qui continentiam & bona opera haud quaquam sibi ùt spiritualibus, sed nobis ùt psychicis ad salutem necessaria, docebant; utì testatur *Irenæus lib. 1. cap. 1.* II. In quarto seculo anno 350. Eunomius usque adeo bonis operibus fuit inimicus, ut asseveraret, quod nihil cuiquam obesset quorumlibet perpetratio peccatorum, si hujus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset; utì testatur *S. Hieronymus ad cap. 4. Oseæ, & Augustinus hæresi 54.*

48 *Quæres 4.* An errorem Pseudoapostolorum rejecerint ipsimet Apostoli?

℞. Errorem Pseudoapostolorum de sufficientia solius fidei ad salutem sine bonis operibus, ortum ex Epistolis Pauli malè intellectis, rejecit ipse Paulus & alii Apostoli. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam aliorum heterodoxorum, contra Lutheranos & Calvinistas.*

Responsio patet I. ex S. Paulo, qui jam ad Rom. 3. v. 31. huic errori præcavere voluit, dicens: *Legem ergo destruimus per fidem? absit: sed legem statuimus.* Item ad Rom. 2. v. 13. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum; sed factores legis justificabuntur.* Et 1. ad Corinth. 6. v. 9. *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes &c. regnum Dei possidebunt.*

II. Ex

II. Ex S. Petro, qui 2. Epiſt. 3. à v. 15. ait : *Chariſſimus frater noſter Paulus ſecundùm datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus epiſtolis, loquens in eis de his : in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cœteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.* Præmiſit autem de die judicii & bonis operibus v. 14. *Propter quod chariſſimi, hæc expectantes, ſatagite immaculati & inviolati ei inveniri in pace.* Imò utrámque ſuam epiſtolam ex profeſſo ſcripſit de fide & bonis operibus, tanquam neceſſariis ad ſalutem.

III. Ex S. Joanne, qui 1. Epiſt. 5. v. 3. ait : *Hæc eſt enim charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus : & mandata ejus gravia non ſunt. Quoniam omne, quod natum eſt ex Deo, vincit mundum : & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.* Imo in utraque priori Epiſtola præter neceſſitatem fidei ubique docet neceſſitatem charitatis Dei & proximi, aliarúmque virtutum.

IV. Ex S. Jacobo, qui ſuam Epiſtolam Catholicam ſcripſit ad omnes fideles, in qua cap. 2. oſtendit, quòd homo per opera juſtificetur, & fides ſine operibus mortua ſit; nam à v. 21. ait : *Abraham Pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuper Altare? vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius : & ex operibus fides conſummata eſt?* Et v. 26. ſubjungit : *Sicut enim corpus*

sine Spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.

V. Ex S. Juda Thaddæo Apostolo, qui, postquam futuras pœnas impiorum commemoraverat, veros fideles monet ad exercitium orationis & dilectionis Dei, v. 20. dicens: *Vos autem charissimi superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu Sancto orantes, vosmetipsos in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Domini nostri JEsu Christi in vitam æternam.*

Præterea responsio constat ex sanctis Patribus, inter quos S. Augustinus lib. de fide & operibus cap. 14. tom. 6. colum. 177. de errore Pseudoapostolorum ejúsque rejectione ait: *Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ Epistolæ, Petri, Joannis, Jacobi, Judæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant fidem sine operibus non prodesse: sicut etiam ipse Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem & planè Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt . . quæ per dilectionem operatur.*

Et lib. de grat. & liber. arbit. cap. 7. tom. 10. col. 727. de eodem errore ait: *Homines autem non intelligentes, quod ait ipse Apostolus,* arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis, *putaverunt eum dicere: sufficere homini fidem, etiamsi malè vivat, & bona opera non habeat. Quod absit, ut sentiret vas electionis: qui, cum*

cum dixiſſet quodam loco : In Chriſto JEſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; *mox addit :* Sed fides, quæ per dilectionem operatur. *Ipſa eſt fides, quæ fideles Dei ſeparat ab immundis dæmonibus; nam & ipſi, ſicut dicit Apoſtolus Jacobus,* credunt, & contremiſcunt; *ſed non bene operantur.*

Porrò, quòd Apoſtoli in doctrina de fide & bonis operibus ſibi non fuerint contrarii, declarat S. Auguſtinus lib. 83. quæſtionum q. 76. tom. 6. col. 68. dicens : *Qui putant iſtam Jacobi Apoſtoli ſententiam contrariam eſſe illi Pauli Apoſtoli ſententiæ, poſſunt arbitrari etiam ipſum Paulum ſibi eſſe contrarium ; quia dicit alio loco:* Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur. *Et alio loco:* Sed fides, quæ per dilectionem operatur. *Et iterum :* Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini.

Ratio reſponſionis verò eſt: quia talis error de ſufficientia ſolius fidei ſine bonis operibus, quæ per legem naturalem & Divinam moralem præcipiuntur, fuit morum perverſivus, & contrarius doctrinæ Chriſti Salvatoris, qui Matth. 5. v. 17. huic errori præcavere voluit, dicens: *Nolite putare, quoniam veni ſolvere legem aut Prophetas : non veni ſolvere, ſed adimplere:* ergo decuit, ut Apoſtoli hunc errorem, ſuo jam tempore ex mala intelligentia Scripturæ, aut potiùs perverſitate carnalium

hominum ortum, statim per Epistolas publicas rejiecerent; ne iste fidem & doctrinam Christianam macularet, & obscuraret.

49 *Quæres 5.* Qualis de sufficientia solius fidei ad salutem primitus fuerit error Lutheri & Melanchthonis?

℞. *ad 1.* Error Lutheri de sufficientia solius fidei ad salutem sine bonis operibus primitus, & statim post suam defectionem plenam à fide Catholica, fuit turpissimus, & idem cum præcedenti errore Pseudoapostolorum, Simonis Magi, Valentinianorum, & Eunomianorum.

Responsio patet ex propriis ejus operibus, typis editis; nam Concione 1. pag. 1. Concione 15. pag. 186. & Concione 17. pag. 205. ad populum publicè dixit: *Pecca fortiter, sed fortiùs fide, & gaude in Christo, qui victor est peccati, mortis, & mundi: peccandum est, quamdiu hìc sumus &c. Sufficit, quòd agnovimus per divitias gloriæ Dei Agnum, qui tollit peccatum mundi, ab hoc non avellet nos peccatum* (proh pudor!) *etiamsi millies, millies uno die fornicemur, aut occidamus.* Tomo 2. Jenens. Latin. lib. de Captivit. Babyl. cap. de Baptismo fol. 271. *Qui credit, non potest damnari, etiamsi vellet, & committat peccata, quanta & quoties velit; dummodò non fiat infidelis.* In argumento Epistolæ ad Galatas editionis primæ: *Summa ars & sapientia Christiana est nescire legem, ignorare opera, & totam justitiam activam.* Ad Caput 2. ad

ad Galat. *Sola fides Chriſti neceſſaria eſt, ut juſti ſimus; cætera omnia liberrima, neque præcepta ampliùs neque prohibita &c. Quando ſic docetur; fides juſtificat quidem, ſed ſimul ſervare oportet mandata Dei, quia ſcriptum eſt:* Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata (ſunt verba Chriſti Salvatoris Matth. 19. v. 17.) *ibi ſtatim Chriſtus negatus eſt, & fides abolita: quia mandatis Dei ſive legi tribuitur, quod eſt ſolius Dei.* De libertate Chriſtiana: *Sola fides & verbum Dei in anima regnant, ut clarum ſit, homini Chriſtiano ſuam fidem ſufficere pro omnibus: nec operibus opus fore, ut juſtificetur. Quod ſi operibus non habet opus, nec lege opus habet: ſi lege non habet opus, certè liber eſt à lege, verúmque eſt:* Juſto non eſt lex poſita. *Atque hæc eſt Chriſtiana libertas fides noſtra.* De votis monaſticis: *Opus non poteſt doceri, niſi lædas fidem; cùm fides & opera in re juſtificationis extremè adverſentur. Ita ut doctrina operum neceſſariò ſit doctrina dæmoniorum.* Ad Evangelium Dominicæ 8. poſt Trinitatem: *Nullum opus tam malum eſt, quod hominem damnare queat: neque ullum opus tam bonum eſt, quod ſalvare poſſit. Cæterum ſola fides ſalvat: ſola incredulitas damnat.* Sermone de eo: Sic Deus dilexit mundum &c. *Ego tibi dico, quia anguſta eſt via, oportet te fieri tenuem, ſi vis per eam tranſire. Cæterùm, qui operibus ornati ſunt, ſicut conchilibus videmus onuſtos Jacobi peregrinos, ii non poterunt penetrare.* Sermone de piſcatura Petri: *Erga Deum non operibus*

ribus sed nuda fide indigemus. Debemus enim cum solo Isaac venire, hoc est, cum fide: servos & asinos, hoc est, opera deorsum dimittere oportet. Quantò sceleratior es, tantò citiùs Deus suam gratiam infundit. Si adornes te ùt Cattus bonis operibus, ut te Deus acceptet, nihil efficies. Et in Assertionibus artic. 31. *Justus in omni opere bono peccat.* Artic. 32. *Opus bonum, optimè factum, est veniale peccatum.*

Cùm vero Epistolam Catholicam S. Jacobi Apostoli Lutherus viderit suæ doctrinæ nimis apertè esse contrariam in colloquiis convivalibus cap. de Scripturis Sacris illam Epistolam appellat *stramineam.* Sic ab anno 1520. crocitavit niger corvus, absque dubio ex instinctu impuri Asmodæi, Martinus Lutherus.

℞. *ad 2.* Idem fuit primitus error Philippi Melanchthonis, præcipui Adjutantis Lutheri.

Responsio iterum patet ex ejus operibus, typis editis; nam in locis communibus editione prima anno 1521. ait: *Omnia hominum, quamvìs laudabilia, opera planè vitiosa sunt, & morte digna peccata.* Editione secunda pag. 76. *Necesse est, ut fateamur, decalogum quoque abrogatum esse. Sophistæ nostri* (id est Catholici Doctores, quos hæretici ordinariè Sophistas appellant) *judicialia & cæremonias abrogatas esse dicunt: legem de moribus novo Christo auctam Adeò ex Christo bis Mosen faciunt.* Et ad Caput 6. Epistolæ ad Romanos editione prima inquit: *Cæremo-*

remonialia & judicialia ſunt antiquata: & lex morum antiquata. Idem primitus docuerunt omnes alii Lutherani.

Porrò Lutherus & alii hoc primitus docuerunt, ut ſuos lapſus & ſacrilegas nuptias coram rudi plebe poſſent excuſare, & apparenter cohoneſtare; dein ſuam turpem doctrinam aliqualiter emendaturi: ùt patet ex Epiſtola Lutheri ad Melanchthonem ex Eremo Coburgenſi anno 1530. in die S. Auguſtini Ratisbonam miſſa, in qua ait: *Si vim evaſerimus, pace obtenta, poſtea dolos, mendacia, & lapſus noſtros facilè emendabimus;* utì legere eſt apud ipſum Chytræum in hiſtoria Auguſtanæ Confeſſionis Francofurti impreſſa anno 1578. apud Georg. Cœleſtinum tom. 3. hiſt. comit. f. 24. pag. 2. & alios. In quem textum Joannes Weislinger obſervat, Lutherum per dolos, mendacia & lapſus, ominoſè expreſſiſſe literas D. M. L. quibus Lutherani brevitatis cauſa ſcribunt nomen ſui Hæreſiarchæ, nempe *Doctor Martinus Lutherus.*

Quæres 6. Quomodo Lutherus & Melanch- 50
thon ſuum primævum errorem correxerit?

℞. *ad 1.* Lutherus ſuum errorem primævum correxit aliqualiter hoc modo; in articulis Schmalkaldicis, quos anno 1537. juſſus fuit ſcribere, ad Concilium Mantuæ aut alibi celebrandum mittendos, docere incepit I. quòd, licet ſola fides juſtificet *ut quo*, bona

opera tamen sint exercenda propter voluntatem Divinam, & tanquam fructus fidei, hujusque testimonium. II. Quòd per peccatum mortale prædominans, & omissionem bonorum operum amittatur fides, & consequenter justificatio.

Responsio patet ex articulis Schmalkaldicis à Luthero prædicto anno 1537. scriptis, à Lutheranorum Ministris subscriptis, & anno 1580. Libro Concordiæ Lutheranorum insertis in quibus 3. parte articulo 3. de pœnitentia circa finem rejicit errorem illorum, qui docent, *quod omnes illi qui semel Spiritum Sanctum seu remissionem peccatorum acceperunt, aut fideles facti sunt, etiamsi deinde peccent, tamen maneant in fide, & pecctum illis non obsit.* Et subdit hanc rationem: *Quia Spiritus Sanctus non permittit peccatum dominari, & prædominari, ut illud perficiatur &c. Si autem peccatum operatur, quod vult, tunc Spiritus Sanctus & fides non adest.*

Et articulo 13. de justificatione ait: *Fidem, renovationem, & reinissionem peccatorum, sequuntur bona opera &c. Dicimus etiam ulterius, quòd, ubi bona opera non sequuntur, ibi fides est falsa, & non vera.*

℟. *ad 2.* Eodem modo suum errorem mutavit, & utrumque punctum de bonis operibus, & amissione fidei per peccatum prædominans. asseruit Philippus Melanchthon.

Re-

Responsio patet ex ejus operibus, typis impressis; nam anno 1530. in Confessione Augustana, ab ipsó compilata, & Augustæ Imperatori Carolo V. porrecta, jam mitiùs loquitur articulo 6. de bonis operibus, dicens: *Item docent* (nostræ Ecclesiæ) *quòd fides illa debeat bonos fructus parere, & quòd oporteat bona opera, mandata à Deo, facere propter voluntatem Dei; non ut confidamus per ea opera justificationem coram Deo mereri.*

Et dein post 30. annos in libro, cui titulus Corpus Doctrinæ Christianæ, Lipsiæ anno 1560. edito, quæstione 4. de bonis operibus pag. 480. ait: *Multæ sunt causæ* (propter quas sunt facienda bona opera) *Necessitas, Dignitas, Præmia.* Et dein omnes tres causas exponens inquit: *Necessitas retinendæ fidei est, quia Spiritus Sanctus expellitur, & perturbatur, cum admittuntur peccata contra conscientiam . . . Excussit igitur David fidem & Spiritum Sanctum, cum raperet alterius conjugem.* Idem docet in altero tomo suorum operum, Wittebergæ anno 1562. edito, in quo quæstione 3. de bonis operibus pag. 208. docet, illa placere Deo: quæstione 4. illa propter necessitatem, dignitatem & præmia esse facienda: & quæstione 5. ait: *Cùm dictum sit, in renatis manere peccata, necesse est tradi discrimen. Nam hos, qui ruunt in delicta contra conscientiam, certum est non manere in gratia, nec retinere fidem &c.* Quod ultimum per lon-

longum probat ex Scriptura, & per diversa hujus exempla.

Tu, benevole Lector! considera, quantum hæc doctrina Lutheri & Melanchthonis sit primævæ eorum sententiæ, priori numero relatæ, contraria; & clarè videbis, quòd suos dolos, mendacia, & lapsus aliqualiter emendaverint. Interim tamen scito, quòd etiam in hac illorum doctrina adhuc lateant doli, mendacia, & semita ad lapsus; utì in sequentibus capitibus videbimus.

51 *Quæres 7.* Quidnam de fide & bonis operibus doceat Liber Concordiæ Lutheranorum?

℟. Iste Liber Lutheranorum Symbolicus (anno 1580. compilatus, & non solùm à Principibus Lutheranis, sed etiam ab eorum Theologis aliisque Ministris in Saxonia, Brandenburgo, Brunsuico, Wirtenbergia, Borussia &c. subscriptus) de connexione fidei cum bonis operibus docet eadem duo puncta, quæ ultimatò Lutherus & Melanchthon, in priori responsione relati, docuerunt. Sic graculus graculum cum turba sequitur, usquedum omnes in una arbore, aut silva considеant.

Responsio patet ex ipso ordine Libri Concordiæ; nam in illo post Symbolum Apostolorum, Concilii Nicæni, & S. Athanasii præmissum, statim ponitur Confessio Augustana ejusque Apologia, à Melanchthone scriptæ; dein articuli Schmalkaldici cum minori & majori

jori Catechiſmo à Luthero concinnati; & tandem ſummaria repetitio Confeſſionis Auguſtanæ cum Controverſiis inter ipſos Lutheranos ante Librum Concordiæ agitatis, & harum deciſione; ùt ex indice in frontiſpicio & progreſſu totius Libri clarè patet.

Interim tamen advertendum eſt, quòd, licèt Lutherani poſt correctum ſuum primævum errorem doceant, neceſſariam eſſe connexionem & ſocietatem inter fidem & bona opera; dicant tamen 1. hominem per ſolam fidem juſtificari formaliter *ut quo*, ſeu tanquam per conditionem, & actum, quo apprehendimus & noſtram facimus juſtitiam Chriſti. 2. Quòd per bona opera nullo modo mereamur noſtram juſtificationem, ejus augmentum, aut vitam æternam, ſed utraque à Deo nobis detur prorsùs gratìs propter merita solìus Chriſti; utì magis patebit ex capitibus ſequentibus.

Quæres 8. Cur primam ſuam doctrinam Lutherani mutaverint? 52

℞. Lutherani primam ſuam doctrinam de abrogatione legis etiam moralis, & ſufficientia ſolius fidei ſine bonis operibus, mutaverunt ob ſequentes rationes.

I. Quia viderunt hunc ſuum errorem nimis clarè & apertè repugnare doctrinæ Chriſti, qui Matth. 5. v. 17. ex profeſſo monuit ſuos Diſcipulos: *Nolite putare, quoniam veni ſolvere*

legem,

legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere. De quo plura vide tract. præced. cap. 15. num. 117. Unde Melanchthon in tom. anno 1560. edito, de bonis operibus non ampliùs dixit: *Omnia hominum, quamvis laudabilia, opera planè vitiosa sunt, & morte digna peccata;* aut: *Necesse est, ut fateamur, Decalogum quoque abrogatum esse;* utì anno 1521. in prima & secunda editione dixerat; sed longè aliter ait in hoc ultimo tom. pag. 23. *Requiruntur opera lege Dei præcepta, non tantùm externa sed etiam interiores motus. Necesse est enim legem inchoari, sicut Christus ait: Nisi abundaverit justitia vestra &c. Item: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

II. Quia clarè & apertè viderunt suum errorem esse hæresim Valentinianorum, Eunominianorum, Simonis Magi, & Pseudoapostolorum, ab ipsis Apostolis rejectam; ùt patet ex dictis suprà num. 47. & 48.

III. Quia populus Lutheranus, audiens legem Decalogi esse abrogatam, & ad salutem sufficere solam fidem sine operibus, nimium se dedit vitiis, & incepit agere vitam Epicurræam. Unde necessarium fuit primam doctrinam mutare, & necessitatem operum docere.

53 *Quæres 9.* Quidnam de fide & bonis operibus docuerit Calvinus?

℞. Licèt Calvinus lib. 3. Instit. cap. 16. §. 2. dicet: *Ubi fiducia justificationis quæritur, nul-*

nulla legis vel operum ratio habeatur ; nullibi tamen ex professo docuit, legem moralem Decalogi esse abrogatam ; sicut primitus docuit Lutherus & Melanchthon.

Interim tamen de fide & operibus quatuor præcipuè docuit errores, 1. quòd sola fides justificet formaliter *ùt quo*, seu tanquam conditio sine qua non, & tanquam actus, quo apprehendimus justitiam Christi, & facimus nostram. 2. Quòd gratia & vera fides detur solùm electis. 3. Quòd talis fides sit inamissibilis per peccatum. 4. Quòd omnia opera bona inficiantur à peccato originali, & evadant mala ; quamvís hæc malitia electis non imputetur. Ut igitur hos Lutheranorum & Calvinistarum errores per sequentia capita ordinatè rejiciamus, sit.

CAPUT VI.

An nos gratis justificemur per justitiam Christi & fidem, aut hæc sola sufficiat ad justificationem & salutem?

SUMMARIUM.

54. *Præsens controversia est præcipua inter Lutheranos & Catholicos : quid in ea doceant Lutherani, & Calvinistæ.*

55. *Nos non justificamur formaliter per justitiam Christi, sed per jus morale, quod in nobis*

nobis resultat ex ordinatione ac promissione Divina, & meritis Christi.

56. *Solvuntur quædam objectiones.*

57. *Fides non justificat formaliter* ut quo, *sed potiùs actus charitatis est conditio & meritum, quo posito in nobis resultat justitia.*

58. *Fides sola sine charitate Dei nunquam sufficit ad primam justificationem, & salutem; neque sine operibus ad conservationem justitiæ.*

59. *Quidnam adversarii objiciant ex S. Scriptura pro sola fide?*

60. *Hæc clarè solvuntur.*

61. *Quænam contra justificationem per charitatem Dei?*

62. *Hæc iterum clarè solvuntur.*

63. *Quænam objiciant ex sanctis Patribus?*

64. *Hæc clarè solvuntur.*

65. *Quænam à ratione Theologica?*

66. *Hæc pariter clarè solvuntur.*

54 ANtequam ipsam controversiam aggrediar, pro hujus dignitate & claritate *Nota I.* Quòd præsens controversia per gratuitam justificationem præcisè ex meritis Christi sine nostris contineat præcipuum fundamentum, quod Lutherani cum Calvinistis contra nos Catholicos ex S. Scriptura putant se habere. Unde Melanchthon in corpore doctrinæ Christianæ, anno 1560. Lipsiæ edito, §. de justifi-

stificatione Carolum V. Imperatorem pag. 66. sic alloquitur : *Cùm autem in hac controversia præcipuus locus doctrinæ Christianæ agitetur, qui rectè intellectus illustrat, & amplificat honorem Christi, & affert necessariam & uberrimam consolationem piis conscientiis, rogamus, ut Cæsarea Majestas de rebus tantis clementer nos audiat.*

Nota 2. Quòd in præsenti controversia Lutherani & Calvinistæ quoad substantiam doctrinæ conveniant, & duo puncta de justificatione nostra afferant. I. Quòd nos formaliter justificemur per justitiam Christi fide apprehensam & nobis à Deo imputatam. II. Quod fides sola nos justificet formaliter *ùt quo*, & per modum actûs, quo apprehendimus, & nostram facimus justitiam Christi. Unde Lutherus fidem comparat manui, qua aliquid apprehendimus ; Calvinus verò ollæ pecuniis refertæ, lib. 3. Instit. cap. 11. §. 7. dicens: *Fides etiamsi per se nullius dignitatis sit, vel pretii, justificat nos, Christum adferendo ; sicut olla pecuniis referta hominem locupletat.*

Porrò tam Lutherani quàm Calvinistæ non solùm spei & charitati aliísque operibus bonis sed etiam actui fidei denegant vim merendi apud Deum ipsam justificationem & salutem; ut possint apparenter magìs rejicere vim bonorum operum, & defendere, justificationem & vitam æternam à Deo nobis dari prorsus gratìs, & præcisè ex sua misericordia

propter merita Christi. Sic Calvinus l. c. ait: *Fides est duntaxat instrumentum percipiendæ justitiæ.* Item cap. 13. §. 5. *Quoad justificationem res est mera passiva fides* Idem docet Lutherus; & Melanchthon l. c. pag. 73. dicens: *Fides non ideo justificat, aut salvat, quia ipsa sit opus per sese dignum, sed tantùm, quia accipit misericordiam promissam.* Lutherani igitur & Calvinistæ volunt, quòd etiam ipsa fides in Christum non habeat rationem meriti, sed solùm rationem conditionis *sine qua non*, & puri medii, quo credentibus ex pura misericordia Divina communicantur satisfactiones & merita Christi; utì cum aliis docet *Brochmand in Systemat. Univers. Theolog. tom. 1. pag. 672.* jam

55 *Quæres 1.* An nos formaliter justificemur per justitiam Christi, seu immediate per ejus satisfactiones & merita, nobis imputata?

℞. Nos non justificamur formaliter per justitiam Christi, seu immediatè per ejus satisfactiones, satispassiones & merita, nobis à Deo imputata; sed formaliter completè justificamur per jus morale, quod resultat in nobis ex ordinatione ac promissione Divina, & meritis Christi, tanquam effectus moralis. *Ita quoad rem cum sanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam Socinianorum & Arminianorum, contra Lutheranos & Calvinistas.*

Responsio colligitur clarè ex S. Scriptura, quæ sæpius asserit nostram justitiam primariò resul-

reſultare ex ordinatione & promiſſione Divina; ùt ad Epheſ. 1. v. 5. *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per JEſum Chriſtum.* Et 2. Petri 1. v. 4. de Deo & Chriſto dicitur: *Per quem maxima & pretioſa promiſſa nobis donavit Deus, ut per hæc efficiamini Divinæ conſortes naturæ:* Atqui id, quod ex promiſſione Divina, præſertim ſub conditione oneroſa, reſultat in linea morali, tanquam effectus moralis, eſt jus morale: ergo nos formaliter, ſaltem completè, juſtificamur per jus morale, quod in nobis reſultat ex ordinatione ac promiſſione Divina, & meritis Chriſti, tanquam cauſa morali primaria. Unde S. Auguſtinus lib. 3. contra Fauſtum tom. 8. pag. 191. ait: *cùm jus adoptionis apud Patres noſtros & Scripturis ſanctis uſitatum ſit . . rectè dicimus: Pater noſter, qui es in cælis.*

Ratio reſponſionis verò eſt: quia ſatisfactiones, ſatispaſſiones & merita Chriſti non ſunt moraliter noſtra, ſeu noſtræ actiones, ſed ſolùm pro nobis: ergo nos non juſtificamur formaliter & immediatè per ipſas ſatisfactiones, ſatispaſſiones & merita Chriſti, ſed ſolùm cauſaliter & mediatè, nempe per jus reſultans ex ordinatione Divina & meritis Chriſti. Ant. patet; quia nos non fuimus moraliter una perſona cum perſona humano-Divina Chriſti; nam aliàs in Chriſto ipſimet fuiſſemus Mediatores, ſicut in Adamo fuimus

peccatores. Neque nostræ voluntates, utpote peccato originali infectæ, fuerunt à Deo moraliter transfusæ in voluntatem sanctissimam Christi Mediatoris; sicut in voluntatem Adami ùt protoparentis. Con. etiam constat; quia hoc ipso, quòd non simus moraliter una Persona Humano-Divina Christi, & in eo nostri Mediatores aut Redemptores; redemptio non est moraliter nostra, sed solùm pro nobis. Unde in Symbolo Nicæno, quod etiam Lutherani in libro concordiæ amplectuntur, dicitur de Christo: *Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato.* Et 1. Petri 2. v. 21. *Christus passus est pro nobis.* Econtra de Adamo & nobis, quocum fuimus moraliter una persona, & in eo peccatores ait Paulus ad Rom. 1. v. 12. *In quo omnes peccaverunt.*

Præterea jus adoptionis qua tale, seu jus ad amorem amicitiæ increatum & vitam æternam (quod formaliter importat justificatio hominis coram Deo) debet primariò & immediatè resultare ex ordinatione Dei adoptantis nos propter merita Christi: ergo nos non justificamur formaliter & immediatè per ipsas satisfactiones, satispassiones & merita Christi, sed per jus adoptionis & cohæreditatis, quod resultat ex ordinatione Divina & meritis Christi.

Addi-

Addidi autem in responsione : *Sed formaliter complete justificamur &c.* nam materialiter & radicaliter simul justificamur, & renovamur per habitum supernaturalem Charitatis à Deo nobis infusum ; juxta illud Apostoli ad Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Unde Concilium Tridentinum Sess. 6. can. 10. saluberrimè statuit : *Si quis dixerit, homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter homines justificari ; anathema sit.* Et Can. 11. *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat ; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantùm favorem Dei ; anathema sit.*

Unde justificatio impii adæquatè sumpta tria importat, nempe remissionem peccatorum, infusionem habitûs charitatis aliarúmque virtutum, & formaliter completè jus adoptionis, seu jus ad amicitiam Divinam increatam & beatitudinem æternam; juxta illud Apostoli ad Galat. 3. à v. 28. *Omnes enim vos unum estis in Christo JEsu. Si autem vos Christi : ergo semen Abrahæ estis* (NB.) *secundùm promissionem hæredes.* Et fusiùs ad Rom. 8. à v. 15. *Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum ad-*

 optio-

optionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater) ipse enim Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quòd sumus Filii Dei. Si autem Filii & hæredes. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Sed

76 Objiciunt Lutherani & Calvinistæ. I. Apostolus ad Rom. 5. v. 19. ait: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis* (nempe Adami) *peccatores constituti sunt multi; ita & per unius* (nempe Christi) *obeditionem justi constituentur multi:* atqui per inobedientiam Adami, nobis imputatam, formaliter constituimur Peccatores peccato originali: ergo etiam per obedientiam Christi, qua factus est obediens usque ad mortem crucis, formaliter constituimur justi. Min. patet ex dictis tract. 6. cap. 5. num. 56.

II. Idem Apostolus 1. ad Corinth. 1. v. 30. inquit de Christo: *Qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio; ut, quemadmodùm scriptum est: qui gloriatur, in Domino glorietur:* Ergo nos formaliter justificamur per obedientiam, seu justitiam, sanctitatem, & redemptionem Christi: nè de nostra justitia, quæ esset ex operibus bonis, possimus gloriari.

III. Peccatum inobedientiæ Adami moraliter perseverat in reatu culpæ, ita ut per generationem naturalem fiat nostrum, & nobis moraliter intrinsecum: ergo etiam obedientia & justitia Christi moraliter perseverat in jure ex ipsa resultante, ita ut per fidem

in

in misericordiam Dei & merita Christi fiant justitia nostra & nobis moraliter intrinseca.

IV. Christus ùt redemptor non minùs fuit caput morale totius generis humani ad præstandam pro nobis condignam satisfactionem, & transfundendam suam justitiam, quam Adam ad contrahendam & transfundendam in posteros culpam: ergo satisfactio & justitia Christi per baptismum aut fidem non minus fit moraliter nostra & nobis intrinseca, quàm per generationem naturalem inobedientia & culpa Adami fit moraliter nostra & nobis intrinseca. Ant. patet ex Apostolo ad Coloss. 1. v. 18. ubi de Christo dicit: *Ipse est caput corporis Ecclesiæ*

V. Ecclesiastici 29. v. 20. de Christo sub figura fidejussoris dicitur: *Gratiam fidejussoris né obliviscaris; dedit enim pro te animam suam.* Unde etiam Apostolus ad Hebr. 7. v. 22. ait: *In tantum melioris testamenti sponsor factus est JEsus:* atqui fidejussor est moraliter una persona cum debitore principali, & illius satisfactio, aut satispassio, est moraliter satisfactio, aut satispassio hujus: ergo satisfactio & satispassio Christi est moraliter nostra.

VI. Isaiæ 53. v. 6. de Christo dicitur: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Et Apostolus ad Galat. 3. v. 13. inquit: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum:* ergo signum est, quòd Deus nostras voluntates moraliter transfuderit in vo-

voluntatem Christi; & consequenter, quòd satisfactio Christi, postquam per fidem apprehenditur, in linea morali sit nostra, & non tantùm pro nobis.

℞. *ad 1.* Explico textum: ita per unius obeditionem justi constituentur multi formaliter, & per ipsam obeditionem, quasi hæc esset in linea morali illorum propria; seu ita quoad modum; n. maj. ita per unius obeditionem justi constituentur multi causaliter, & per jus resultans ex obeditione; seu ita quoad vim moralem justificandi; c. maj. & concessâ min. n. con. Adamus fuit à Deo creatus primus homo, tanquam parens totius generis humani, & constitutus hujus caput morale, quatenus propter continentiam generis humani in ejus semine, in illius voluntatem fuerunt à Deo moraliter transfusæ, eique alligatæ voluntates omnium posterorum in ordine ad conservandam vel amittendam justitiam originalem; adeoque cum toto genere humano fuit moraliter una persona. Christus verò fuit à Deo constitutus caput morale totius generis humani præcisè propter excellentiam suppositi Humano-Divini per modum Mediatoris inter Deum & homines, quin horum voluntates, peccato originali infectæ, fuerint moraliter transfusæ in ejus sanctissimam voluntatem; adeoque Christus cum genere humano non fuit moraliter una per-

persona, sed persona moraliter media inter Deum & homines. Unde peccatum Adami per naturalem generationem, tanquam conditionem ad illius posteritatem requisitam, fit in linea morali formaliter nostrum, nobísque proprium: econtra satisfactio Christi non fit moraliter nostra, sed potiùs pro nobis, aut nostra solùm quoad effectum moralem, seu jus resultans ex satisfactione illius, tanquam Mediatoris.

Ad 2. C. ant. n. con. nam aliàs essemus etiam formaliter sapientes per sapientiam Christi, & nostri redemptores, sicut ipse est noster Redemptor; quia Apostolus eodem modo ait, Christum esse nobis factum sapientiam, justitiam, sanctificationem & redemptionem. Christus igitur non formaliter, sed solùm exemplariter & meritoriè factus est nobis sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio. Et ratio hujus est: quia Christus non fuit nobiscum moraliter una persona sed moraliter media, seu Mediator; juxta illud Apostoli 1. ad Timoth. 2. v. 5. *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum Homo Christus JEsus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*

Neque ex eo, quòd per nostram cooperationem e. g. per amorem Dei super omnia de congruo & solùm secundariò mereamur nostram justificationem, de hac possumus gloriari; tum, quia sine gratia supernaturali, pro-

 pter

pter merita Christi nobis collata, non possumus per proprias vires elicere ullum actum supernaturalem; tum, quia remissio peccati & jus adoptionis primariò resultat ex satisfactione & meritis Christi, tanquam Redemptoris & Mediatoris inter Deum & homines.

Ad 3. C. ant. n. con. Disparitas est: quia nostræ voluntates fuerunt moraliter transfusæ, & alligatæ voluntati Adami, juxta illud Apostoli ad Rom. 5. v. 12. *In quo omnes peccaverunt;* adeoque, dum concipimur, in nobis moraliter resultat non solùm reatus culpæ, sed etiam ipsa culpa originalis. Econtra voluntates nostræ non fuerunt moraliter transfusæ in voluntatem Christi, utpote personæ mediæ, seu Mediatoris inter utramque partem; adeoque, dum justificamur, & regeneramur, in nobis solùm resultat jus ex meritis Christi, non verò simul merita Christi. Unde in S. Scriptura nunquam dicimur nos in Christo satisfecisse, sicut in Adamo peccâsse; sed solùm ipse Christus pro nobis passus fuisse, pro nobis satisfecisse, & nobis vitam æternam meruisse.

Ad 4. d. ant. Christus ùt Redemptor non minus fuit caput morale generis humani, quàm Adam, & eodem modo; n. ant. diverso tamen modo; c. ant. & n. con. Disparitas patet tam ex responsione præcedente quàm prima de transfusione morali nostrarum voluntatum in

in voluntatem Adæ, non verò in voluntatem Chriſti, utpote Mediatoris, & conſequenter perſonæ moraliter mediæ inter Deum & hominem. Unde Apoſtolus ad Galat. 3. v. 20. ait: *Mediator autem unius non eſt*; adeoque mediator neceſſariò debet eſſe duorum, & perſona ſaltem moraliter media.

Ad 5. C. maj. d. min. atqui fidejuſſor ſtrictè dictus, & qui moraliter induit perſonam debitoris principalis, eſt moraliter una perſona cum debitore principali &c. c. min. fidejuſſor minus ſtrictè dictus, qui à Creditore conſtituitur mediator, quin ipſe moraliter induat perſonam debitoris principalis, eſt moraliter una perſona cum debitore principali &c. n. min. & con. Chriſtus non fuit fidejuſſor ſtrictè dictus hominum, ſed potiùs Mediator inter Deum & homines; adeoque debuit moraliter eſſe perſona media, & à genere humano diſtincta: nam aliàs fuiſſet mediator unius, ſeu ſolius Dei, contra citatum Apoſtoli textum: *Mediator autem unius non eſt.*

Taceo, quòd non tantùm ſit contra officium Mediatoris, quà talis, inter Deum & homines, ſed etiam contra dignitatem Theandricam Chriſti, ſeu Perſonæ Humano - Divinæ, ut nobiſcum peccatoribus ſit moraliter eadem perſona; ſicut fuit Adam cum ſuis poſteris, in ſuo ſemine contentis. Unde hanc rationem moralem indecentiæ ex profeſſo inſinuat

sinuat Apostolus ad Hebr. 7. v. 26. de Christo dicens: *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus* (NB) *segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus.* Hoc bene perpendant Adversarii, qui volunt, Christum nobiscum peccatoribus fuisse moraliter unam personam in satisfaciendo, sicut Adam fuit in delinquendo.

Ad 6. explico utrumque textum: Deus in Christo posuit iniquitatem omnium nostrum, & ille factus est pro nobis maledictum quoad ipsam culpam, seu reatum culpæ, ita ut nobiscum fuerit moraliter una persona, Deo exosa; n. ant. solùm quoad debitum satisfaciendi & satispatiendi, ita ùt Christus solùm fuerit Mediator, & persona moraliter media inter Deum & homines; c. ant. & n. con. Si Christus fuisset moraliter nobiscum una persona, tunc usque ad satisfactionem nobiscum fuisset Deo exosus: & post satisfactionem illius nos possemus dici ipsi pro nobis satisfecisse, & nos redemisse; sicut dicimur in Adamo peccasse, sicque satisfactio esset nobis propria, sicut peccatnm originale: hæc autem dicere est absurdum. Sed

Dices: S. Bernardus volum. 1. tom. 2. serm. de sepulchro pag. 553. num. 22. ait: *Porrò mors in Christi morte fugatur, & Christi nobis justitia imputatur:* ergo juxta S. Bernardum nos justificamur per justitiam Christi nobis imputatam.

℞. c. ant. d. con. ergo nos juſtificamur per juſtitiam Chriſti nobis imputatam formaliter & quoad ipſam actionem Chriſti; n. con. nobis imputatam cauſaliter, & quoad jus reſultans ex actione & meritis Chriſti; c. con. Hanc eſſe mentem S. Bernardi ipſemet l. c. pag. 555. num. 27. clarè innuit, de Chriſto dicens: *Quia juſtus exſolvendo, quæ non rapuit, jure omninò, quod amiſerat* (nempe tam ipſe per mortem quàm homo per peccatum) *recepit.*

Quæres 2. An fides nos juſtificet formaliter *ut quo?* 57

℞. Fides nos non juſtificat formaliter *ut quo*, ſed potiùs ipſe actus amoris Dei eſt conditio & meritum, quo poſito reſultat in nobis juſtitia, ſeu jus adoptionis ex promiſſione Divina & meritis Chriſti cum habitu charitatis infuſo. *Ita cum ſanctis Patribus communis Catholicorum contra Lutheranos, & Calviniſtas.*

Reſponſio patet I. ex S. Scriptura; nam Apoſtolus ad Rom. 5. v. 5. de fide & ſpe juſtificante ait: *Spes autem* (ſeu firma fiducia in miſericordiam Divinam propter Chriſtum) *non confundit; quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* 1. ad Corinth. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Et v. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc: major autem horum eſt charitas.* Ad Galat. 5. v. 6. *In Chriſto*

JEſu

JEſu neque Circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur. 1. ad Timoth. 1. v. 5. *Finis autem præcepti eſt charitas de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta.* In quibus textibus Apoſtolus præeminentiam & vim juſtificandi proximam tribuit charitati, & non fidei præcisè ſecundùm ſe ſumptæ: ergo fides non juſtificat formaliter *ut quo*, ſed hoc ſolùm eſt charitatis Divinæ, qua elicita, tanquam conditione & merito, in nobis ex promiſſione Divina, & meritis Chriſti tanquam cauſa morali primaria, reſultat juſtitia, ſeu jus adoptionis Divinæ una cum habitu charitatis infuſo.

Paulo Apoſtolo conſonat S. Petrus 1. Epiſt. 4. v. 8. dicens: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* S. Joannes 1. Epiſt. 3. v. 1. ubi de charitate per jus adoptionis, ex meritis Chriſti & promiſſione Divina reſultans, qualificata, tanquam de juſtitia formali, ait: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus.* Et v. 14. *Qui non diligit, manet in morte.*

Hanc præeminentiam charitatis & vim juſtificandi hi Diſcipuli didicerunt à ſuo cæleſti Magiſtro JEſu Chriſto, qui Matth. 22. v. 38. de dilectione Dei dixit: *Hoc eſt primum & maximum mandatum.* Et Lucæ 7. v. 47. Simoni Phariſæo de Magdalena repoſuìt: *Propter hoc dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.*

II. Con-

II. Constat ex sanctis Patribus in citata loca S. Scripturæ, quorum verba referre nimìs longum foret. Unde solùm allego S. Augustinum, qui lib. de fide & operibus cap. 14. tom. 6. col. 177. ait: *Etiam ipse Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed etiam salubrem planéque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt . . quæ per dilectionem operatur.* Et lib. 15. de Trinitate cap. 18. inquit: *Ipsam fidem non facit utilem, nisi charitas. Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non prodesse.* Quod probat ex illo Apostoli ad Galat. 5. v. 6. *In Christo JEsu neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.*

Ratio responsionis verò est: quia etiam fides specialis, & fiducia in misericordiam Divinam propter merita Christi, est apprehensio justitiæ Christi solùm intentionalis, affectiva, & se sola inefficax ad causandam primam justificationem: ergo nos non justificat re ipsa formaliter ùt quo. Ant. prob. Apprehensio efficax justitiæ Christi, seu potius nostra cooperatio ad jus resultans ex meritis Christi debet esse in linea morali proximè proportionata ad causandam primam justificationem: atqui fides etiam specialis & fiducia in misericordiam Divinam propter merita Christi non est cooperatio in linea morali proximè proportionata ad causandam primam justifi-

ficatio-

ficationem: ergo. Maj. patet; nam aliàs etiam fides naturalis, aut simplex apprehensio intellectualis justitiæ Christi sine fiducia voluntatis nos efficaciter, seu formaliter ùt quo, justificaret: quorum utrumque negant etiam Adversarii. Min. prob. Ad primam justificationem, seu ad jus amicitiæ Divinæ in linea morali proximè cooperatur solus amor amicitiæ Dei: atqui nec fides, nec spes est amor amicitiæ, sed solùm dispositio ad talem amorem: ergo neutra in linea morali est proximè proportionata. Min. per se est clara. Maj. pariter: Unde in S. Scriptura sæpissimè dicitur, *quòd Deus diligentes se diligat*; & Apostolus 1. ad Corinth. 13. v. 13. ait: *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.*

Præterea prima justificatio importat remissionem peccatorum, seu aversionis ab ultimo fine: atqui hanc remissionem instrumentaliter & secundariò meretur solus amor amicitiæ, qui est perfecta conversio creaturæ ad Deum, tanquam finem cui: ergo. Unde S. Joan. 3. v. 14. dicitur: *Qui non diligit, manet in morte.*

58 *Quæres 3.* An sola fides sine charitate Dei aliquando sufficiat ad primam justificationem & salutem; aut sine bonis operibus ad conservationem justitiæ?

℞. ad

℞. *ad 1.* Sola fides ſine charitate Dei nunquam ſufficit ad primam juſtificationem & ſalutem. *Ita cum ſanctis Patribus communis Catholicorum contra Lutheranorum primævum errorem.*

Reſponſio patet ex textibus S. Scripturæ præcedente numero abunde relatis.

Ad declinandam aliqualiter vim horum textuum Lutherani & Calviniſtæ dicunt, quòd ſola fides juſtificet, interim tamen ſemper ſit cum charitate conjuncta. Sic Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini ad Canonem 9. ait: *Adde, quòd hominem ſola fide juſtificari cum dicimus, fidem non fingimus charitate vacuam, ſed ipſam ſolam juſtificationis cauſam eſſe intelligimus.* Et ad Can. 11. *Fides ergo ſola eſt, quæ juſtificat, fides tamen, quæ juſtificat, non eſt ſola.* Idem docent Lutherani in Libro Concordiæ Summario Controverſiarum controv. 3. de juſtificatione & controv. de bonis operibus.

Verùm per hoc ſenſum S. Scripturæ minimè ſalvant; nam illa vim proximam juſtificandi attribuit ſoli charitati, & fidei ac ſpei ſolùm remotam & radicalem, quatenus diſponunt ad charitatem.

℞. *ad 2.* Sola fides ſine bonis operibus, quando ad hæc exercenda urget præceptum, non ſufficit ad conſervandam juſtitiam; adeoque hæc amittitur tum, quando omittuntur opera bona præcepta, tum, quando contra conſcientiam committuntur opera mala. *Ita*

cum sanctis Patribus communis Catholicorum contra primævam doctrinam Lutheranorum.

Responsio abunde patet ex textibus S. Scripturæ art. præced. num. 48. ubi clarè monstravi, quòd oppositum errorem ipsimet Apostoli rejecerint. Unde etiam suam primam doctrinam correxerunt aliqualiter Lutherus & & Melanchthon; ùt retuli ibidem num. 50. Hanc correctionem secuti fuerunt communiter alii Lutherani in Libro Concordiæ, ubi controvers. 4. de bonis operibus §. 2. num. 1. dicunt: *Pro fundamentali declaratione & decisione hujus controversiæ est nostra doctrina, fides, & confessio: quòd bona opera veram fidem, si hæc non mortua sed viva fides est, certè & indubitatè sequantur, tanquam fructus bonæ arboris.* Et num. 3. dicunt, quòd bona opera omnes homines, præsertim justificati teneantur exercere; interim tamen num. 2. negant bona opera mereri justificationem & salutem, dicuntque utramque à Deo conferri prorsus gratìs propter merita Christi. Sed

59 *Quæres 4.* Quidnam Lutherani objiciant pro justificatione per solam fidem ex S. Scriptura?

℞. Præter ea, quæ tract. præced. cap. 15. à num. 179. objecta & soluta fuerunt, objiciunt sequentia.

I. S. Scriptura ubique soli fidei tribuit nostram justificationem: ergo sola fides nos justifi-

ſtificat formaliter *ut quo.* Ant. prob. Apoſtolus ad Rom. 3. v. 28. ait: *Arbitramur enim juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.* Ad Rom. 4. v. 5. *Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam ſecundùm propoſitum gratiæ Dei.* Ad Galat. 2. v. 16. *Scientes autem, quòd non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem JEſu Chriſti, & nos in JEſu Chriſto credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis.* Ad Epheſ. 2. v. 8. *Gratia enim ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt; non ex operibus, nè quis glorietur.* Ad Philipp. 3. v. 9. *Et inveniar in illo, non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti JEſu.* Et Actor. 10. v. 43. dicitur de Chriſto & fide in eum: *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.*

II. S. Scriptura à virtute juſtificandi non ſolùm excludit opera legis cæremonialia, ſed etiam moralia: ergo ſola fides juſtificat. Ant. prob. Apoſtolus ad Rom. 3. v. 27. ait: *Ubi ergo eſt gloriatio tua? Excluſa eſt. Per quam legem? Factorum? Non, ſed per legem fidei.* Ad Rom. 11. à v. 5. de Judæis inquit: *Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt. Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia.* Ad

Ephes. 2. v. 9. *Gratia enim salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est, ut nè quis glorietur.* Ad Tit. 3. v. 5. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam salvos nos fecit :* ergo nos justificamur per solam fidem in Christum.

III. S. Scriptura sæpius asserit, quòd omnes illi, qui credunt in Christum justificentur : ergo signum est, quòd sola fides justificet formaliter ùt quo, & per modum actûs, quo re ipsa apprehendimus, & nostram facimus justitiam Christi. Ant. prob. Joan. 3. v. 16. Christus ipsemet dixit : *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et Actor. 13. v. 39. dixit Paulus de Christo & fide in eum : *In hoc omnis, qui credit, justificatur.* Con. patet : quia, nisi sola fides nos justificaret, non posset dici, quòd omnes illi justificentur, qui credunt in Christum.

IV. S. Scriptura proponit nobis exempla Sanctorum, & docet, hos per solam fidem sine operibus fuisse justificatos : ergo signum est, quòd sola fides nos justificet formaliter *ùt quo.* Ant. prob. Apostolus ad Romanos 4. v. 2. ait : *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum, quid enim dicit Scriptura? credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Lucæ 7. v. 50. dixit

dixit Chriſtus Mariæ Magdalenæ : *Fides tua ſalvam te fecit : vade in pace.* Et Lucæ 3. v. 50. dixit patri puellæ mortuæ : *Noli timere, crede tantùm, & ſalva erit.*

℞. *ad 1.* D. Ant. S. Scriptura ubique ſoli 60
fidei tribuit noſtram juſtificationem tanquam radici, fundamento, & initio noſtræ ſalutis; c. ant. tanquam actui ſe ſolo & formaliter juſtificativo ; n. ant. & con. hæc diſtinctio clarè patet ex textibus Scripturæ ſupra num. 57. relatis, præſertim ex illo ad Galat. 5. v. 6. *In Chriſto JEſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Clariſſimè vero nobis Catholicis conſtat ex doctrina Eccleſiæ in Concilio Tridentino, quod Seſſ. 6. cap. 8. ait : *Cùm verò Apoſtolus dicit, juſtificari hominem per fidem & gratìs ; ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit, & expreſſit ; ut ſcilicet per fidem ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis . . gratìs autem juſtificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationem promeretur.* Neque Lutherani cum Calviniſtis unquam ex S. Scriptura potuerunt probare hæc duo puncta, 1. *quod ſola fides juſtificet* ; 2. *quòd illa ſola juſtificet formaliter, ut quo:* quorum tamen utrumque pro

primario fundamento suæ doctrinæ volunt habere.

Ut autem ad singulos textus Scripturæ pro probatione allatos in particulari pateat genuinus sensus; *primus textus* loquitur de operibus legis cæremonialibus, quæ per se non poterant à peccato liberare, & justificare sine fide & gratia interna; & post adventum Christi cessaverunt, ac inutilia sunt facta. Quod clarè patet ex 1. v. citati cap. 3. ad Rom. ubi Apostolus ait: *Quid ergo ampliùs Judæo est? aut quæ utilitas circumcisionis?* unde ibi v. 27. distinguit *legem factorum* à *lege fidei*: & de hac ultima v. 31. inquit: *Legem ergo destruimus per fidem? absit; sed legem statuimus.*

Secundus textus vult: quòd ille, qui non operatur, nec operatus est opera legis (sicut hæc operatus est Abraham) credit tamen fide viva, & cum charitate conjuncta, justificetur absque similibus operibus legis antiquæ per talem fidem. Quod etiam moderni Lutherani dicere debent; quia contra primævum suum errorem nunc communiter docent, quòd fides inefficax, quæ non habet charitatem conjunctam, non justificet; ùt patet ex dictis supra num. 58. *Tertius textus* iterum loquitur de operibus legis antiquæ, præsertim cæremonialibus, non vero de operibus legis fidei, seu Evangelicæ. Quod clarum est; nam citato cap. 2. à principio usque ad v. 15. Apo-

Apoſtolus loquitur de abrogatione legis Judaicæ. Et v. 19. de lege Evangelica ſubdit: *Ego enim per legem* (Evangelicam) *legi* (Judaicæ) *mortuus ſum, ut Deo vivam.*

In quarto textu Apoſtolus rejicit duplicem errorem Judæorum neo-converſorum, 1. quòd fides ſit ex gratia & non ex viribus naturæ. 2. Quòd illi hanc fidem non meruerint per opera cæremonialia legis antiquæ; prout utrumque clarè patet ex citato v. 8. *Gratia enim ſalvati eſtis, per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt; non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Imò de bonis operibus, quæ fidem conſequi debent, ibi v. 10. ſtatim ſubjungit: *Ipſius enim* (Dei) *ſumus factura, creati in Chriſto JEſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.*

In quinto textu Apoſtolus vult, quòd non ſit juſtus ex juſtitia legis cæremonialis, ſed juſtitiâ, quæ eſt ex gratia & fide Chriſti JEſu. Quòd iterum clarum eſt; nam cit. cap. 3. ad Philipp. à v. 4. præmiſit: *Si quis alius videtur confidere in carne* (circumciſa) *ego magìs, circumciſus octavo die, ex genere Iſrael, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, ſecundùm legem Phariſæus, ſecundùm æmulationem perſequens Eccleſiam Dei, ſecundùm juſtitiam, quæ in lege eſt, converſatus ſine querela.*

Sextus textus denique vult, quòd omnes ſine diſtinctione Judæi à græco, ſeu gentili, acci-

piant remissionem peccatorum per merita Christi, qui credunt in eum fide efficaci, & conjuncta cum charitate. Quod iterum clarum est; nam ibi S. Petrus à v. 34. præmiserat: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi.*

Porrò ratio, ob quam Apostolus Paulus in suis Epistolis toties dicat, nos gratìs justificari per fidem, & sine operibus legis Judaicæ, fuit multiplex error Judæorum; ùt patet ex dictis cap. præced. num. 45. & seqq. Indolendum igitur est, quòd ex his Epistolis Pauli non solùm antiqui sed etiam moderni Hæretici illas depravantes sumpserint occasionem stabiliendi suos errores; juxta illud 2. Petri 3. v. 16. *Charissimus Frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus Epistolis . . in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.*

Ad 2. n. ant. præsertim loquendo de operibus moralibus supernaturalibus, quæ fiunt post fidem; de his enim ait Apostolus Paulus ad Rom. 2. v. 13. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Et Jacobus 2. à v. 21. *Abraham Pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? vides, quoniam*

niam fides cooperabatur operibus illius : & ex operibus fides consummata est? & suppleta est Scriptura dicens : credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, & amicus Dei apellatus est. Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm? Quid, quæso, pro sententia Catholica tempore Apostolorum, & modò, potuisset clariùs & solidiùs à S. Jacobo exprimi contra Pseudoapostolos & modernos Hæreticos, Epistolis Pauli abutentes?

Ad 1. textum dico, Apostolum ibi manifestè loqui de Judæis gloriantibus in sua circumcisione; nam eodem cap. 3. ad Rom. v. 1. præmisit : *Quid ergo amplius Judæo est? aut quæ utilitas circumcisionis?* Quod Apostolus conclusit ex cap. 2. ubi v. 26. dixerat : *Si igitur præputium justitias legis custodiat* (id est homo incircumcisus & infidelis legē moralem) *nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur?* Et ex v. 29. ubi de circumcisione talis fidelis dixerat : *Circumcisio cordis in Spiritu, non in litera : cujus laus non ex hominibus sed ex Deo est.*

Ad 2. textum dico, Apostolum velle, quòd Judæi ad fidem conversi hanc non meruerint per circumcisionem & alia opera naturalia, ac externa legis, sed fides sit ex gratia Dei. Idem vult Apostolus ad Ephes. 2. v. 9. & ad Titum 3. v. 5. nam loquitur de operibus justitiæ legalis, factis ante conversionem; ùt pa-

patet ex contextu, qui à v. 4. sic sonat : *cùm autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos* (nempe justitiæ legalis in Judaismo) *sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritûs Sancti.*

Ad 3. d. ant. S. Scriptura sæpius asserit, quòd omnes illi, qui credunt in Christum fide viva & efficaci, quæ per charitatem operatur ; c. ant. qui credunt in Christum fide mortua ; seu inefficaci, quæ per charitatem non operatur, neque hanc producit ; n. ant. & con. quòd fides justificans impium debeat esse efficax & conjuncta cum charitate, tanquam radix cum suo fructu, abundè patet ex textibus S. Scripturæ supra num. 57. relatis.

Ad 1. textum eadem est responsio ; nam Christus cit. cap. 3. Joan. v. 19. subjungit : *Hoc est autem judicium* (damnationis) *quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magìs tenebras quàm lucem : erant enim eorum mala opera.* Item ad textum 2. nam cit. cap. 13. Actor. Paulus loquitur de illa fide in Christum, de qua ad Galat. 5. v. 6. dixerat : *In Christo JEsu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Et 1. ad Corinth. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum . . nihil mihi prodest.*

Ad

Ad 4. d. ant. S. Scriptura nobis proponit exempla Sanctorum, & docet, hos per solam fidem vivam & efficacem, sine operibus præcedentibus, aut cæremonialibus legis Mosaicæ, fuisse justificatos; c. ant. per solam fidem mortuam & inefficacem, quæ non est cum charitate Dei conjuncta, fuisse justificatos; n. ant. & con.

Ad 1. textum de Abraham dico, Apostolum velle, quòd Abraham sine circumcisione per fidem & amorem Divinum fuerit justificatus; nam, priusquam Abraham Genes. 17. dicitur fuisse circumcisus, de eo Genes. 15. v. 6. dicitur: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Item vult, quòd vim justificandi apud Deum justitiâ internâ non habeat circumcisio, sed fides, quæ per charitatem operatur; nam addit: *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.*

Ad 2. textum de Magdalena dico, Christum velle, quòd fides efficax, & conjuncta cum charitate, illam salvam fecerit; nam Christus l. c. v. 47. de illa priùs dixit Simoni Pharisæo: *Propterea hoc dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.*

Ad 3. textum dico, hunc non esse ad rem præsentem; quia ibi non est sermo de justificatione interna animæ, sed de resuscitatione & salute corporali puellæ; quam hujus

pater

pater per firmam fidem & fiduciam in omnipotentiam & divinitatem Christi promeruit. Unde ipsimet adversarii fateri debent, quòd ibi sermo non sit de fide justificante, sed de fide miraculorum.

61 *Quæres 5.* Quidnam adversarii objiciant ex S. Scriptura contra justificationem per charitatem?

℞. Quamvìs Lutherani contra vim meritoriam charitatis Divinæ, aliorumque bonorum operum multa objicere conentur, utì in cap. 10. à num. 112. videbimus; hìc tamen Melanchthon de concursu fidei ad justificationem præ charitate in Apologia Confess. August. titulo de dilectione &c. *pag. 87.* ex S. Scriptura sic specialiter arguit: Christus Lucæ 7. v. 47. Pharisæo dixit: *Propter hoc dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*; & dein v. 50. seu ultimo dixit ipsi Magdalenæ: *Fides tua te salvam fecit*: ergo aliud reposuit Pharisæo secundùm illius opinionem de justificatione per charitatem, & aliud Magdalenæ de justificatione per solam fidem, quam hæc crediderat.

62 ℞. c. ant. n. con. nam Christus per hoc non voluit Pharisæum confirmare in sua opinione de actu amoris justificativo, quasi erronea esset (quia non potuit positivè cooperari ad errorem) sed ei, utpote in lege versato, assignavit actum charitatis proximè justi-

ſtificativum; Magdalenæ verò, jam fideli, fidem tanquam radicem amoris & ſuæ juſtificationis.

Quæres 6. Quæ Adverſarii objiciant ex ſanctis Patribus? 63

℞. Sequentia I. S. Hilarius cap. 8. in Matth. de remiſſo peccato Paralytici ait: *Remiſſum eſt ab eo, quod lex laxare non poterat; fides enim ſola juſtificat.* Idem docet S. Baſilius homil. 2. in illa verba Apoſtoli: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, inquiens: *Hæc eſt enim integra & perfecta in Deo gloriatio, cum quis non ob ſuam juſtitiam extollitur, ſed novit deſtitui ſe quidem vera juſtitia, verum ſola in Chriſtum fide juſtificatum eſſe:* ergo ſecundùm hos duos Patres, qui vixerunt in ſæculo quarto, ſola fides juſtificat.

II. S. Ambroſius tom. 2. commentar. in cap. 3. Epiſt. ad Rom. v. 24. inquit: *Juſtificati ſunt gratìs, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, ſola fide juſtificati ſunt dono Dei.* Et in caput 4. v. 5. *Quomodò ergo Judæi per opera legis juſtificari ſe putant juſtificatione Abrahæ; cùm videant Abraham non per opera legis, ſed ſola fide juſtificatum? non ergo opus eſt lege, quando impius per ſolam fidem juſtificatur apud Deum. Secundum propoſitum gratiæ Dei ſic decretum dicit Apoſtolus, ut ceſſante lege ſolam fidem gratia Dei poſceret ad ſalutem.* Ibidem in v. 6. ait: *Beatos dicit* (nempe Apoſtolus cum David) *de*

qui-

quibus hoc sanxit Deus, ut sine labore, & aliqua observatione, sola fide justificentur apud Deum. Item in v. 7. *Manifestè beati sunt, quibus sine labore vel opere aliquo remittuntur iniquitates, & peccata teguntur, nulla ab his requisita pœnitentiæ opera, nisi tantùm, ut credant. Beatus etiam hic vir est, cui non imputavit Dominus peccatum. Remittere, tegere, & non imputare, una ratio & unus est sensus; omnia enim uno modo obtinentur, & donantur.* Et comment. in 1. Epist. ad Corinth. cap. 1. v. 4. inquit: *Hoc constitutum est à Deo, ut, qui credit in Christum, salvus sit sine opere: sola fide gratis accipit remissionem peccatorum:* ergo juxta S. Ambrosium accipit remissionem peccatorum, & justificatur impius sola fide in Christum etiam sine charitate & opere morali.

III. S. Chrysostomus tom. 1. opusculo de fide & lege naturæ ait: *Non oportet quidem nudam ab operibus esse fidem, ut nè vituperetur. Verumtamen sublimior est fides quàmopera . . Eum, qui operatur opera justitiæ, sine fide non potes probare vivum esse: fidelem autem absque operibus possum monstrare & vixisse, & regnum cælorum assecutum fuisse. Nullus sine fide vitam habuit: Latro autem credidit duntaxat, & justificatus est.* Et sic pergit: *Illud unum asseveraverim, quòd sola fides salvum fecerit. Hoc autem nunc quæritur, & agitur, quòd fides per se salvum fecerit: opera autem per se nullos unquam operarios justificaverint.* Item tom.

tom. 9. homil. 8. in Epist. ad Rom. ait: *Qui enim legi adhæret, quasi ea salutem afferat, is vim fidei dehonestat.* Et de fide subdit: *Viden! quo pacto non modo peccatum deleat; sed nè quidem oriri sinat.* Et tandem tom. 11. homil. 3. in Epist. ad Titum, postquam dixisset, non esse obtemperandum fabulis gentilium & legibus Judæorum, subdit: *Si enim fidei credis, cur alia inducis, ac si fides non sufficiat ad justificandum?*

IV. S. Augustinus tom. 3. part. 2. in Evangel. Joan. tract. 42. colum. 583. ait de fide: *Qua sola possent à peccatorum obligatione liberari.* Tom. 4. Enarrat. in Psalm. 88. colum. 951. *Sola fides Christi mundat corda hominum.* Tom. 5. in appendice serm. 3. (aliàs 68. de tempore) colum. 7. *Credidit Abraham, & reputatum est illi ad justitiam. Ecce sine opere justificatur ex fide. & quidquid legali posset illi observatione conferri, totum credulitas sola donavit.* Et tandem tom. 10. lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 21. colum. 492. *Quantælibet virtutis antiquos prædices justos, non eos salvos fecit, nisi fides Mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit.*

V. S. Bernardus serm. 22. in Cantica pag. 1337. inquit: *Quisquis pro peccatis compunctus esurit, & sitit justitiam credat in te, qui justificas impium, & solam justificatus per fidem, pacem habebit apud Deum.* Idem de justificatione per solam fidem innuit Epist. 77. Et serm. 14. in

Psalm.

Pſalm. *Qui habitat*, ait: *Gratìs dupliciter dedit ſine merito tuo, ſine labore tuo.*

VI. Idem de juſtificatione per ſolam fidem docuit Origenes lib. 3. in Epiſt. ad Romanos; Primaſius in Epiſt. ad Rom. 4. Victor Maſſilienſis, & alii Patres, qui diverſis temporibus vixerunt: ergo ſancti Patres de juſtificatione per ſolam fidem idem docuerunt, quod Lutherus.

64 ℞. *ad 1.* c. ant. in ſenſu S. Hilarii & Baſilii. D. con. ergo ſola fides juſtificat excludendo opera naturalia, quæ fidem unius ſolius Dei præceſſerunt, aut etiam excludendo opera externa legis Moſaicæ; c. con. ſola fides juſtificat excludendo actus internos ſpei & præſertim charitatis, ſeu dilectionis Dei, aut etiam alios actus ſupernaturales, qui fidem vivam & efficacem conſequuntur; n. con. Licèt igitur S. Hilarius & Baſilius à virtute juſtificandi excludant opera naturalia, quæ fidem unius veri Dei præcedunt, aut etiam opera cæremonialia legis Judaicæ; & dicant, ſolam fidem juſtificare; hoc tamen intelligunt de fide conjuncta cum charitate. Sic S. Baſilius in Epiſt. 75. ait: *Fides* (nempe viva, efficax, & juſtificans) *ſine charitate præſtari non poteſt.* Et in regulis brevioribus interrogatione 271. de operibus naturalibus, quæ fidem præcedunt, & ſupernaturalibus, quæ eam ſequuntur, inquit: *Homo per ſe ipſe ad emendationem ido-*

idoneus satis non est: sed eget inprimis misericordiæ Dei & Sanguine Christi, in quo redemptionem habemus reliquorum etiam omnium, facientes in singulis fructus dignos pœnitentiæ.

Ad 2. dico S. Ambrosium in 1. textu velle, Judæos & Græcos per opera legis antecedentia fidem, non meruisse fidem & justificationem, sed sola fide efficaci & conjuncta cum charitate fuisse justificatos. In 2. textu vult, quòd ad justificationem non requiratur Circumcisio & alia opera legis Mosaicæ, sed sola fides cum charitate; nam addit hanc rationem: *Quia sine operibus legis credenti impio, id est, gentili, in Christum, reputatur fides ejus ad justitiam.* In 3. & 4. textu vult, quòd homo etiam sine opere externo pænitentiæ per solam fidem vivam & efficacem, seu conjunctam cum charitate, possit obtinere justificationem. Idem vult in textu 5. Unde n. con. quoad 1. membrum.

Neque de mente S. Ambrosii ullum est dubium, quòd ille ad justificationem requirat fidem cum charitate conjunctam; nam in 1. Epist. ad Corinth. 13. v. 3. ait: *Sine charitate nihil prodest; quia fundamentum Religionis charitas est. Quidquid ergo sine charitate fit, caducum est.* Et in Epist. ad Galat. 5. v. 5. *Sola fide opus est in charitate ad justificationem.*

Ad 3. dico S. Chrysostomum in 1. textu velle, hominem justificari per fidem vivam

& cum charitate Dei conjunctam, etiamsi hìc & nunc non ponat alia opera externa, sicut latro in cruce. Nam, si iste Deum & Christum non dilexisset, non fuisset justificatus, sed damnatus; juxta sententiam Apostoli 1. ad Corinth. 16. v. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum JEsum Christum, sit anathema, Maran-Atha.* In 2. textu loquitur de illo, qui vult adhærere legi Mosaicæ cæremoniali, postquam hæc per legem fidei seu Evangelicam fuit abrogata. In secunda parte textûs verò loquitur de fide viva & cum charitate Dei conjuncta. Idem vult in textu 3. ùt patet ex præcedentibus illius verbis. Interim tamen nunquam vult, quòd fides sine charitate justificet; nam eodem tom. 11. homil. 3. in Epist. ad Ephes. cap. 1. de Apostolo Paulo ait: *Ubique conjungit, & conglutinat fidem & dilectionem, bigam quandam admirabilem.* Et homil. 4. in Epist. ad Thessal. cap. 3. inquit: *Non est, non est ullum peccatum, quod non tanquam ignis consumat vis charitatis & dilectionis. Faciliùs enim resistit vile sarmentum magno ignis rogo, quàm natura peccati potestati charitatis.* Præterea S. Chrysostomus in quatuor locis expresse negat, quòd *sola* fides sine charitate & bonis operibus sufficiat ad salutem, nempe *homilia 11. 48. & 70. in Matthæum, & Oratione 7. in caput 4. ad Hebræos.*

Ad

Ad 4. dico S. Augustinum in 1. textu velle, quòd Judæi, qui in Christum credere noluerunt, non potuerint per opera cæremonialia legis à suis peccatis liberari, sed per solam fidem in Christum conjunctam cum charitate. Idem respectivè vult in secundo textu. In 3. vult, quòd Abraham non fuerit justificatus Circumcisione, aut alia observatione legali, sed sola fide viva & cum charitate conjuncta in Deum. Idem vult in textu quarto.

Neque de mente S. Augustini ullum est dubium; nam tom. 3. part. 2. tract. 22. in Joan. colum. 468. ait: *Qui autem vel non credunt, vel sicut dæmones credunt, trementes & malè viventes, Filium Dei confitentes & charitatem non habentes, mortui potiùs deputandi sunt.* Et tom. 8. lib. 15. de Trinit. cap. 18. colum. 990. inquit: *Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non & prodesse.*

Ad 5. dico S. Bernardum velle, quòd fides viva, & cum charitate conjuncta sine aliquo opere externo possit justificare, & justificet impium. Unde etiam S. Augustinus tom. 5. serm. 2. de tentatione Abrahæ colum. 10. ait: *Cùm fides per dilectionem operetur in corde, etiamsi foras non exit in opere.*

Neque de mente S. Bernardi ullum pariter est dubium; nam volumine 1. tom. 3. serm. 2. tempore Paschali ait: *Itaque vita quidem corporis est anima, per quam movetur & sentit: vita*

verò fidei charitas est; quia per illam operatur. Et ibidem tom. 2. de officio Episcoporum cap. 4. de triplici fide ait: *Et mortuam quidem Apostolus* (Jacobus) *diffinit eam esse, quæ sine operibus est, id est, quæ non operatur ex dilectione, quasi non habens animam ipsam dilectionem, qua vegetetur.*

Ad 6. c. ant. De sola fide viva, quæ est cum charitate Dei conjuncta. n. con. nam sancti Patres & Catholici de justificatione hominis à doctrina hæretica Lutheri in duobus punctis præcipuè differunt; I. Lutherus dicit, quòd homo formaliter justificetur per solam fidem, ita ut actus charitatis ad hanc justificationem non concurrat, sed eam per fidem jam acquisitam supponat: econtra sancti Patres & Catholici dicunt, quòd fides justificet hominem radicaliter solùm, ita ut ad justificationem actus charitatis concurrat. II. Lutherus dicit, quòd homo justificetur prorsus gratìs, ita ut justificationem nec fides, nec charitas mereatur: econtra sancti Patres & Catholici dicunt, quòd homo quidem primariò justificetur gratìs per gratiam ex meritis Christi collatam, ita tamen ut ad justificationem impii concurrat actus fidei & charitatis, & iste illam secundariò & saltem de congruo mereatur; uti infra cap. 9. n. 99. clariùs patebit.

Quæ-

Quæres 7. Quænam Adversarii objiciant à ratione Theologica ? 65

℟. sequentia. I. Nos per solam fidem, & fiduciam in misericordiam Divinam propter Christum, apprehendimus justitiam Christi : ergo per solam fidem justificamur formaliter *ùt quo*. Ant. patet; quia talis fides & fiducia apprehendit justitiam Christi tam intentionaliter ex parte intellectûs quàm affectivè ex parte voluntatis : quorum neutrum præstat charitas.

II. Apprehensio justitiæ Christi debet esse firma & indubitata ; juxta illud Apostoli ad Rom. 8. v. 16. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei :* atqui apprehensio propter testimonium Spiritûs Sancti, firma, & indubitata, fit per fidem, & fiduciam in misericordiam Divinam propter Christum : ergo.

III. Apprehensio justificationis debet esse sine timore ; juxta illud Apostoli l. c. v. 15. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba(Pater)* atqui de nostra justificatione non possemus esse sine timore, nisi justificaremur gratìs omninò, & per solam fidem : ergo. Min. patet; quia aliàs semper possemus dubitare, & timere, an ex parte nostra posuerimus sufficientem cooperationem, & meritum justificationis.

IV. Justificatio fit à Deo gratìs per fidem; juxta illud Apostoli ad Rom. 3. v. 24. *Justificati gratìs per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo JEsu, quem Deus proposuit propitiationem per fidem in Sanguine ipsius:* ergo justificationem non debemus mereri per charitatem, sed eam priùs apprehendimus per solam fidem.

V. Justificatio à Deo ita fit gratìs per solam fidem, ut nemo de illa possit gloriari; juxta illud Apostoli ad Ephes. 2. v. 9. *Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ut nè quis glorietur:* sed, si per actum charitatis mereremur justificationem, possemus de hac gloriari: ergo.

VI. Peccatum mortale, cùm sit malitiæ infinitæ, aut saltem altioris ordinis quàm satisfactio puræ creaturæ, non potest deleri, nisi per meritum infinitum, aut satisfactionem valoris infiniti: ergo non potest deleri per actum charitatis, sed solùm per satisfactionem Christi fide apprehensam, & ejus justitiam nobis imputatam.

VII. Tandem objiciunt communiter sic: vel justificamur ex solis operibus, vel ex sola fide, vel ex operibus & fide simul? Non primum; quia *sine fide impossibile est placere Deo, ad Hebr. 11. v. 6.* Tertium negat Apostolus *ad Rom. 3. & 4. ad Galat. 2. & 3. ad Titum 3. &*

& *ad Epheſ.* 2. ergo juſtificamur per ſolam fidem.

℞. *ad* 1. d. ant. Nos per ſolam fidem, & 66
fiduciam in miſericordiam Divinam propter Chriſtum apprehendimus juſtitiam Chriſti intentionaliter, affectivè, & inefficaciter; c. ant. realiter, meritoriè, & efficaciter; n. ant. & con. Apoſtolus 1. ad Corinth. 13. v. 2. ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum . . nihil mihi prodeſt*: ergo falſum eſt, quòd fides ſe ſola & ſine charitate Dei poſſit efficaciter apprehendere juſtitiam Chriſti, ſeu potiùs noſtram juſtitiam ex juſtitia Chriſti reſultantem.

Ad 2. d. maj. Apprehenſio juſtitiæ Chriſti debet eſſe firma & indubitata, quantum eſt ex parte revelationis & promiſſionis Divinæ; c. maj. quantum eſt ex parte noſtræ cooperationis, infirmitatis, & indiſpoſitionis; n. maj. & transmiſsâ min. n. con. Dico transmiſsâ min. quia teſtimonium Spiritûs Sancti eſt ſolùm conditionatum ſub conditione noſtræ cooperationis ſufficientis per dilectionem Dei & contritionem; adeòque etiam actus fidei & fiduciæ eſt ſolùm conditionatus. Unde Concilium Tridentinum Seſs. 6. cap. 9. ait: *Sicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet; ſic quilibet, dum ſe ipſum, ſuamque propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de*

 ſua

sua gratia formidare & timere potest: cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

Ad 3. eadem est distinctio; nam revelatio de adoptione Divina est implicitè saltem conditionata, nempe sub conditione nostræ cooperationis sufficientis per dilectionem Dei, & contritionem. Porrò, licèt quis experimentaliter sciat, se amare Deum, & esse contritum, tamen nequit certitudine fidei & morali perfecta scire, se esse justificatum; quia nescit, an talis amor sit supernaturalis, & ortus ex gratia, vel potius naturalis, & ortus à natura ac Philautia. Unde Apostolus 1. ad Corinth. 4. v. 4. de se ipso ait: *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Taceo, quòd homo etiam non sciat certitudine reflexa fidei, aut morali perfecta, an credat in Deum fide satis firma & supernaturali, aut solùm naturali.

Ad 4. d. ant. Justificatio fit â Deo gratìs per fidem excludendo opera naturalia, & cæremonialia, fidem antecedentia; c. ant. excludendo charitatem supernaturalem, aut alia opera supernaturalia, fidem consequentia; n. ant. & con. Apostolus l. c. à justificatione

ne

ne solùm excludit opera naturalia fidem præcedentia, & circumcisionem cum aliis operibus legis Mosaicæ, non verò charitatem Dei supernaturalem, aut alia opera legis fidei, seu Evangelicæ; nam loquitur de eadem fide, de qua 1. ad Corinth. 13. v. 2. ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.. nihil mihi prodest.* Et ad Galat. 5. v. 6. *In Christo JEsu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.*

Ad 5. Transf. maj. quia Apostolus l. c. solùm à merito fidei excludit opera naturalia, non verò à merito justificationis charitatem Dei supernaturalem, aut opera supernaturalia, quæ fidem consequuntur; ùt patet ex dictis supra num. 60. in responsione ad 4. textum. d. min. Sed, si per actum charitatis mereremur justificationem, possemus de hac gloriari tanquam de dono Dei, & per gratiam acquisito; c. min. tanquam præmio nostris viribus acquisito, aut promerito; n. min. & con. licet per actum charitatis de congruo mereamur primam justificationem, tamen neque de actu charitatis neque de ipsa justificatione possumns gloriari nisi in Domino. Primò: quia ad actum charitatis supernaturalem, & meritorium justificationis, necessariò requiritur gratia Dei

præveniens. Secundò: quia jus adoptionis, quod importat justificatio, primo & principaliter oritur ex gratuita ordinatione Divina & meritis Christi; & ex actu charitatis à nobis, quamvis cum gratia Dei elicito, solùm oritur secundariò & instrumentaliter. Unde Apostolus 1. ad Corinth. 1. v. 31. ait: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et 4. v. 7. *Quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

Ad 6. d. ant. Peccatum mortale non potest deleri de condigno, primario, & principaliter nisi per meritum infinitum & satisfactionem infiniti valoris; c. ant. non potest deleri de congruo solùm, secundariò, & instrumentaliter nisi &c. n. ant. & sub eadem distinctione n. con. Licèt igitur nulla pura creatura possit de condigno satisfacere pro peccato mortali, aut mereri de condigno illius remissionem per modum causæ moralis & principalis, sicque ad præstandam condignam satisfactionem necessaria fuerit incarnatio Verbi Divini; utì dixi tract. 4. cap. 4. num. 46. potest tamen pura creatura per gratiam supernaturalem, & ex meritis Christi à Deo collatam satisfacere de congruo, secundariò, & per modum causæ moralis instrumentalis.

Ad 7. transf. maj. quia præter opera naturalia, cæremonialia, aut alia externa, datur cha-

charitas & amor Dei internus & supernaturalis, per quem coram Deo justificamur secundariò & instrumentaliter.

Ad 1. membrum min. dico, nos non justificari per sola opera, præsertim naturalia & fidem antecedentia; bene tamen per opera supernaturalia fidem consequentia: & quidem per charitatem Dei justificamur justificatione prima; per alia opera supernaturalia verò, quæ dein facimus in statu justitiæ, justificamur justificatione secunda, seu augmento justitiæ prioris. Ad ultimum membrum dico, Apostolum solùm negare nos justificari per opera naturalia & cæremonialia legis Mosaicæ; ùt clarè patet ex responsionibus ad illius textus supra num. 60. Unde n. connam ex eo, quòd nos non justificemur per opera naturalia, aut cæremonialia legis Judaicæ, minimè sequitur, quòd justificemur per solam fidem absque charitate, aut aliis operibus Evangelicis. Iste igitur paralogismus Lutheranorum continet fallaciam negationis à particulari ad universale.

Unde miror 1. quòd Mentzerus in Exegesi Confessionis Augustanæ art. 4. §. 4. pag. 179. istum paralogismum audeat nominare *syllogismum verè Apostolicum, hoc est immotum & firmissimum:* cùm tamen iste paralogismus fuerit Pseudoapostolorum, desumptus ex Epistolis Pauli malè intellectis.

Mi-

Miror 2. qua fronte Lutherus hunc textum Apostoli ad Rom. 3. v. 28. *Arbitramur enim justificari, hominem per fidem sine operibus legis*; in editione Germanica S. Scripturæ sic perverterit: *Arbitramur enim, justificari hominem sine operibus legis per solam fidem*: cùm tamen Apostolus toto cap. 2. & 3. ad Rom. à justificatione nullatenus excludat charitatem & opera *legis fidei*, seu Evangelicæ, sed solùm circumcisionem, & alia opera legis Judaicæ.

Mirari tamen desino, dum manifestè video, Lutheranos non posse aliter ex S. Scriptura probare, quòd sola fides, exclusa charitate & operibus legis Evangelicæ, justificet; nisi Scripturam pervertant, & utantur manifestis fallaciis.

CAPUT VII.

De amissibilitate fidei, & justitiæ, hujúsque incertitudine.

SUMMARIUM.

67. *Quos in præsenti controversia foveant errores Calvinistæ?*
68. *Quos errores foveant Lutherani?*
69. *Etiam verè fideles possunt amittere, & amiserunt quandoque fidem, & consequenter justitiam.*
70. *Quidnam objiciant Calvinistæ?*

71. Hæc clarè solvuntur.
72. Fideles non amittunt fidem per quodlibet peccatum mortale, bene tamen justitiam cum charitate.
73. Quidnam objiciant Lutherani?
74. Hæc clarè solvuntur.
75. Verè fidelis non potest fide Divina credere se esse justificatum, neque hoc scire certitudine morali perfecta.
76. Quidnam objiciant Lutherani & Calvinistæ.
77. Hæc clarè solvuntur.
78. Nemo sine speciali revelatione potest scire, se esse finaliter perseveraturum in bono & salvandum.
79. Unde una solùm est fides, & falsa est fides specialis modernorum Hæreticorm.

Q*Uæres 1.* Quos in præsenti controversia foveant errores Calvinistæ? 67

℞. Præterquam, quòd cum Lutheranis doceant, solam fidem nos formaliter justificare, in præsenti controversia fovent, & tuentur sequentes tres errores, I. Fidem veram & supernaturalem esse propriam solis electis; eò quòd admittant gratiam dari solis electis. II. Fidem à verè fidelibus, seu electis, & consequenter etiam justitiam, nunquam amitti; etsi peccatum sit regnans, & contra conscientiam commissum. III. Fideles non solùm certos esse de sua fide & justitia, sed etiam

etiam de sua perseverantia finali, & salute æterna. *Ita docet Calvinus in Antidoto Concilii Trident. Sess. 6. ad cap. 10. 13. & 14. Beza volum. 1. pag. 17. & 2. parte respons. ad colloq. Mompelg. pag. 71. Sohnius in explicatione art. 18. August. Confess. Zanchius tom. 1. Miscell. tract. de perseverantia Sanctorum, Bucanus loco 16. pag. 180. Piscator volum. 1. loco 12. thes. 37. & Contraremonstrantes in collat. Hagensi pag. 280. & 381.*

68 *Quæres 2.* Quos errores in præsenti controversia foveant Lutherani?

℟. Lutherani in præsenti controversia duos sequentes præcipuè fovent errores. I. Quòd fides per quodlibet peccatum mortale, seu admissum contra conscientiam, amittatur; adeoque etiam amittatur justitia. Quamvìs enim Lutherus & Melanchthon primitus docuerint, justitiam non amitti nisi per infidelitatem; ùt patet ex dictis supra cap. 5. num. 49. hunc tamen suum errorem correxerunt; ùt patet ex dictis ibidem num. 50. Unde etiam reliqui Lutherani in libro concordiæ controvers. 3. de justificatione num. 8. dicunt: *Non tamen debet fingi fides, quæ cum proposito peccandi, & contra conscientiam agendi, esse & manere posset.. fides vera & viva nunquam est sola, sed semper charitatem & spem secum habet.*

II. Hoc tamen non obstante docent, quòd fideles, quamdiu nullum peccatum contra

con-

conſcientiam committunt, aut quando poſt illud commiſſum iterum credunt, ſe juſtificari gratìs per ſolam juſtitiam Chriſti, ſimul certè credere debeant, ſe eſſe juſtos per juſtitiam & ſatisfactionem Chriſti. Sic Melanchthon in volum. ſuorum operum Wittebergæ edito anno 1562. de pœnitentia pag. 87. docet, remiſſionem peccatorum contingere *fide illa ſpeciali, qua unusquisque credit ſibi propter Chriſtum remitti peccata.* Idem docet alibi ſæpius. Ut igitur prædicti errores Calviniſtarum & Lutheranorum ordinatè rejiciantur.

Quæres 3. An verè fideles poſſint amittere, 69
& quandoque amiſerint fidem.

℞. Verè fideles poſſunt amittere, & quandoque imò ſæpius amiſerunt fidem, & conſequenter etiam juſtitiam. *Ita cum ſanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam Lutheranorum, & Arminianorum, ſeu Remonſtrantium, contra rigidiores Calviniſtas, & Jovinianum, antiquum hæreticum.*

Reſponſio patet ex Scriptura; nam Ezechielis 33. v. 18. de fide & juſtitia generaliter dicitur: *Cùm enim receſſerit juſtus à juſtitia ſua, feceritque iniquitates, morietur in eis.* Et 1. ad Corinth. 10. v. 12. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat, nè cadat.* Et de amiſſione fidei ſpecialiter ait Chriſtus Lucæ 8. v. 13. *Qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Cui conſonat Paulus 1. ad Timoth. 1. v. 19.

de fide & bona conscientia, dicens: *quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt.* Item ad Hebr. 6. v. 4. de verè fidelibus ait: *Impossibile est enim eos, qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritûs Sancti .. & prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam*, nempe primam per Baptismum. Quòd autem justi per quodlibet peccatum mortale amittant saltem justitiam, patet ex innumeris aliis S. Scripturæ locis.

Ratio responsionis verò est: quia Deus etiam reprobis dat gratias sufficientes ad fidem ex meritis Christi, & illi etiam fidem supernaturalem liberè possunt amittere per infidelitatem, aut justitiam per quodlibet peccatum mortale: ergo etiam verè fideles possunt amittere fidem & justitiam.

70 *Quæres 4.* Quidnam objiciant Calvinistæ?

℟. Sequentia I. Deus electis & verè credentibus promisit conservationem fidei: ergo illi non possunt totaliter excidere â fide. Ant. patet; nam sic Jerem. 32. v. 40. dicitur: *Et feriam eis pactum sempiternum, & non desinam eis benefacere: & timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me.*

II. Matth. 24. v. 24. dixit Christus: *Surgent enim Pseudochristi & Pseudoprophetæ; & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi:* ergo electi

electi & verè fideles non poſſunt induci totaliter in errorem, & amittere fidem.

III. 1. Joan. 2. v. 19. de apparenter credentibus dicitur : *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis : nam, ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum :* ergo verè fideles, ſicut fuerunt Apoſtoli, nunquam amittunt fidem ſaltem totaliter.

IV. 1. Joan. 3. v. 9. dicitur : *Omnis, qui natus eſt ex Deo peccatum non facit : quoniam ſemen ipſius in eo manet & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt. In hoc manifeſtati ſunt Filii Dei & filii diaboli :* ergo verè fideles, qui habent fidem ſupernaturalem, non poſſunt hanc amittere, & per hoc diſtinguuntur à filiis diaboli, ſeu tantùm apparenter credentibus.

V. Textus ſupra pro noſtra ſententia citati ſolùm loquuntur de apparenter non verò de verè fidelibus : ergo ex illis textibus nihil probatur.

℞. *ad 1.* d. ant. Deus, electis & verè fide- 71
libus promiſit conſervationem fidei abſolutè, & ſine conditione eorum liberæ cooperationis ; n. ant. promiſit illis conſervationem fidei conditionatè, ſeu ſub conditione liberæ cooperationis ; c. ant. n. con. diſtinctio manifeſtè patet ex S. Scriptura ; nam Chriſtus Joan. 8. v. 31. dixit Judæis, qui crediderunt ei, ſub conditione : *Si vos manſeritis in ſer-*

mone meo, verè discipuli mei eritis. Et de Judæis, quibus apud Jeremiam facta est promissio conditionata, Paulus ad Rom. 11. v. 20. ait: *Propter incredulitatem fracti sunt rami.* Gentiles verò admonet v. 21. *Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, nè fortè nec tibi parcat.*

Ad 2. c. ant. n. con. nam in citato textu sermo est vel de errore finali, in quem electi non possunt induci potentia simultatis, seu in sensu composito præscientiæ & prædestinationis Divinæ, bene tamen simultate potentiæ; vel sensus est de errore solùm ad tempus, in quem Pseudoprophetæ non poterunt electos inducere propter protectionem Divinam, & illustrationes internas. Et in hoc sensu Christus Joan. 10. v. 28. de electis dixit: *Ego vitam æternam dabo eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eos quisquam de manu mea*; utì egregiè exponit S. Augustinus lib. 20. de Civit. Dei cap. 19.

Ad 3. Explico textum: Non erant ex nobis quoad præscientiam & prædestinationem Divinam, aut perseverantiam propriam; c. ant. non erant ex nobis quoad fidem veram ad tempus; n. ant. & con. ibidem dicitur *ex nobis prodierunt*; adeoque inter nos fuerunt quoad fidem. *Sed non erant ex nobis* quoad perseverantiam & constantiam in tentationibus. Unde similes fuerunt, de quibus Christus

stus Lucæ 8. v. 13. dixit: *Qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.*

Ad 4. explico textum: Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit vi gratiæ & seminis Divini, neque potest peccare pro sensu composito gratiæ sanctificantis, seu potentia simultatis; c. ant. peccatum non facit vi suæ libertatis, neque potest peccare pro sensu diviso, seu simultate potentiæ; n. ant. & con. Quòd verè fideles, justi, & electi, vi suæ libertatis possint peccare, & per peccatum amittere justitiam, clarè docet S. Joannes eadem 1. Epist. cap. 2. v. 1. dicens: *Filioli mei hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem JEsum Christum &c.* Et Paulus ad Ephes. 4. v. 30. rogat: *Nolite contristare Spiritum S. Dei, in quo signati estis.*

Ad 5. n. ant. nam S. Scriptura amissionem fidei solùm apparenter talis, aut justitiæ solùm naturalis, & Philosophicæ, non curat; adeoque loquitur de amissione fidei veræ & justitiæ supernaturalis coram Deo. Quod præsertim manifestum est ex textu Pauli ad Hebr. 6. v. 4. ubi loquitur de lapsu finali & totali eorum, *qui semel illuminati sunt, gustaverunt donum cæleste, & participes facti sunt Spiritûs Sancti.* Unde doctrina Joviniani, teste S. Hieronymo lib. 2. contra eum, & modernorum Calvinistarum de inamissibilitate

veræ fidei & justitiæ manifestè repugnat S. Scripturæ.

72 *Quæres 5.* An fideles amittant fidem per quodlibet peccatum mortale ?

℞. Licèt fideles per quodlibet peccatum mortale, scienter & liberè commissum amittant charitatem infusam, & gratiam sanctificantem, non tamen fidem; sed hanc amittunt per solum peccatum mortale infidelitatis. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum contra Lutherum, Melanchthonem, & alios Lutheranos locis supra num. 68. relatis.*

Responsio patet I. ex S. Scriptura, quæ in peccatoribus sæpiùs supponit fidem sine justitia & charitate Dei; nam Christus Matth. 7. v. 21. de peccatoribus fidelibus & fidem retinentibus dixit: *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est.* Et v. 22. de illis subdit: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus . . & tunc confitebor illis; quia nunquam novi vos. Discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Christo consonat Paulus 1. ad Corinth. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*; adeoque supponit, aliquem fidelem posse habere fidem sine charitate & justitia. Clarissimè verò S. Jacobus in sua Epist. Catholica cap. 2. v. 26. *Sicut enim corpus sine spiritu*

ritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est: adeoque, sicut corpus mortuum manet corpus, ita fides sine charitate & operibus manet fides. Idem constat ex pluribus aliis Scripturæ locis.

II. Constat ex communi doctrina sanctorum Patrum in loca citata S. Scripturæ: quos singillatim allegare nimìs longum foret. Unum adduco S. Augustinum, qui tom. 8. lib. 15. de Trinit. cap. 18. colum. 990. ait: *Ipsam fidem non facit utilem nisi charitas. Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non prodesse.* Et tom. 5. serm. 90. de Verbis Domini colum. 492. in fine inquit: *Hoc moneo, hoc exhortor, hoc in nomine Domini doceo charitatem vestram, ut habeatis fidem cum dilectione: quia potestis habere fidem sine dilectione*

III. Responsio nobis Catholicis est certa ex Concilio Tridentino, quod Sess. 6. Can. 28. oppositam Lutheranorum doctrinam damnat, his verbis: *Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul & fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licèt non sit viva; aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum; anathema sit.*

Porrò Concilium Tridentinum cit. Sess. 6. de justificatione adhuc duo explanat, quæ ad integritatem præsentis controversiæ pertinent. I. Quòd fides, nempe infusa & in actu primo talis, tollatur per solùm peccatum mortale

infidelitatis, gratia justificans verò etiam per quodlibet aliud peccatum mortale; cap. 15. dicens: *Asserendum est, non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamvìs non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti.* II. Gratiam justificantem non amitti per peccata venialia (id est per solos motus primò primos, secundò primos, aut etiam actus deliberatos, qui de se sunt peccata solùm venialia, ùt e. g. mendacium jocosum) cap. 11. dicens: *Licèt enim in hac vita mortali, quantumvìs Sancti & Justi in levia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi.* Imò peccata venialia de habitu charitatis, seu gratiæ sanctificantis nullum prorsus tollunt gradum; ùt docet communis Theologorum: nam aliàs plura venialia prorsus tollerent gratiam sanctificantem: quod est contra præcedentem doctrinam hujus Concilii. Quomodo autem peccata venialia minuant fervorem charitatis, declaravi *in Theol. Specul. tract. 7. Disp. 5. q. 2. a. 3. in fine.*

Ratio responsionis verò est I. quia Deus fideles peccantes vult convertere ad pœnitentiã; juxta illud Ezech. 33. v. 11. *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat:* adeoque Deus à peccatore fideli non aufert habitum fidei infusæ, ut ille habeat principium

pium ſupernaturale credendi, & ſe convertendi permanens; niſi per peccatum mortale infidelitatis, fidei directè oppoſitum, ſe reddat ſimili habitu indignum.

II. Quia quodlibet peccatum mortale, deliberatè commiſſum, inducit coram Deo debitum ſuſtinendi odium inimicitiæ Divinæ & pœnæ æternæ: adeoque quodlibet peccatum mortale tollit gratiam ſanctificantem, ſeu habitum charitatis infuſæ, & jus ad vitam æternam. Venialia autem, cùm non inducant debitum ſuſtinendi odium inimicitiæ Divinæ, ſed solùm debitum ſuſtinendi ſimplicem diſplicentiam Divinam, & pœnam temporalem, non tollunt gratiam ſanctificantem, ſeu habitum charitatis infuſum & jus ad vitam æternam.

Quæres 6. Quidnam objiciant Lutherani? 73

℞. Quamvìs Lutherani ex S. Scriptura non poſſint probare, quodlibet peccatum mortale excludere fidem, ſicut quodlibet peccatum mortale excludit gratiam ſanctificantem, ſeu juſtitiam; Melanchthon tamen eorum princeps in corpore doctrinæ Chriſtianæ tit. de bonis operibus quæſt. 4. pag. 481. & in volum. anno 1562. edito, eodem tit. & quæſt. pag. 209. objicit ſequentia, quæ ego aliqualiter nervoſiùs & fuſiùs proponam.

I. Spiritus Sanctus expellitur, & conturbatur, cùm admittuntur peccata contra conſcien-

ſcientiam: ergo per quodlibet peccatum mortale amittitur fides. Ant. patet ex illo 1. Joan. 3. v. 7. *Filioli, nemo vos ſeducat.. qui facit peccatum, ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat.* Item ex illo ad Rom. 8. v. 13. *Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Con. prob. Qui eſt ex diabolo non poteſt retinere fidem, quæ eſt ex Deo: ergo, qui mortaliter peccat, non poteſt retinere fidem.

II. Fides non ſolùm amittitur per peccatum infidelitatis, ſed etiam per alia peccata mortalia purè omiſſionis: ergo amittitur per quodlibet peccatum mortale. Ant. prob. Paulus 1. ad Timoth. 5. v. 8. ait: *Si quis autem ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior:* ergo fides amittitur etiam per negligentiam curæ ſuorum domeſticorum.

III. Fides non poteſt eſſe in his, qui indulgent pravis cupiditatibus, nec agunt pœnitentiam: ergo amittitur per pravas cupiditates & impœnitentiam. Ant. prob. Iſaiæ 66. v. 2. dicit Dominus: *Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* ergo &c.

IV. Fides debet pacem afferre conſcientiæ: ergo hoc ipſo non poteſt ſtare cum peccato contra conſcientiam. Ant. patet; nam Paulus ad Rom. 5. v. 1. ait: *Juſtificati ergo ex fide*

pa-

pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum. Con. prob. Peccatum condemnat conſcientiam: ergo peccatum non poteſt ſtare cum fide; juxta illud Apoſtoli ad Rom. 14. v. 23. *Omne autem, quod non eſt ex fide peccatum eſt.*

V. Qando quis actu peccat contra conſcientiam non poteſt habere fidem, ſicut non poteſt habere charitatem, ſeu dilectionem Dei: ergo peccatum contra conſcientiam excludit fidem, ſicut excludit dilectionem Dei. Præterea non eſt major ratio, cur peccatum contra conſcientiam potiùs deberet excludere charitatem, quàm fidem & ſpem: ergò æquè excludit unam virtutem ac alteram.

℞. *ad 1.* n. Lutherano ant. juxta primæva 74
principia Lutheri & Melanchthonis; principium ad Evangelium Dominicæ 8. poſt feſtum Trinitatis, & alibi ſæpius, fuit: *Sola fides ſalvat; ſola incredulitas damnat.* Et Melanchthonis in locis communibus etam in ſecunda editione pag. 76. fuit: *Neceſſe eſt, ut fateamur Decalogum quoque abrogatum eſſe. Sophiſtæ noſtri* (id eſt Catholici Doctores, quibus Lutherus & Melanchthon ex odio ſæpiſſimè hoc nomen impoſuerunt) *judicialia & cæremonias abrogatas eſſe dicunt: legem de moribus novo Chriſto auctam. Adeò ex Chriſto bis Moſen faciunt.* Unde juxta hæc principia Spiritus Sanctus non contriſtatur, nec tollitur fides, niſi per peccatum infideli-

tatis. Si autem etiam Melanchthon vult aſſere-re obligationem legis moralis, & neceſſitatem bonorum operum, juxta propriam ſententiam Sophiſta factus eſt, & ex Chriſto bis Moſen facit; adeoque ipſi, utpote inſtabili & Sophiſtæ facto, nihil eſt credendum.

In forma c. ant. Si peccata contra conſcientiam admiſſa ſint gravia, & non ſolùm venialia. N. con. nam allati textus ſolùm probant, per quodlibet peccatum tolli gratiam ſanctificantem, non verò etiam fidem. Ad prob. D. ant. qui eſt ex diabolo per omnia, non poteſt retinere fidem, quæ eſt ex Deo; c. ant. qui eſt ex diabolo ſolùm quoad ſuggeſtionem peccati, & conſenſum in peccatum; ſubd. non poteſt retinere fidem vivam, & efficacem; c. ant. fidem mortuam, & inefficacem; n. ant. & con. Juxta S. Jacobum in Epiſt. Catholica cap. 2. v. 19. *Et dæmones credunt, & contremiſcunt:* adeoque ex eo, quòd peccator fidelis quoad ſuggeſtionem peccati & conſenſum in peccatum dicatur eſſe ex diabolo, non poteſt inferri, quòd ille per quodlibet peccatum mortale amittat fidem, quæ eſt ex Deo; ſicut non poteſt inferri, quòd amittat ſuam ſubſtantiam, quæ eſt ex Deo.

Ad 2. n. ant. nam, licèt fides, ſeu habitus fidei, tollatur per peccatum mortale infidelitatis, aut per dubium deliberatum poſitivum in fide, & probabiliùs etiam per dubium de-

libe-

liberatum negativum, non tamen per aliud peccatum, etiamsi peccatum esset omissio actûs fidei hìc & nunc graviter præcepti; ùt dixi *in Theol. Specul. tract. 7. Disp. 3. q. 3. a. 1. n. 6.* Ad prob. d. ant. Fidem negavit immediatè quoad seipsam; n. ant. mediatè & solùm quoad effectum, quem illa deberet habere; c. ant. & n. con. Expositio est communis sanctorum Patrum, qui in l. c. dicunt, quòd talis fidem neget, quatenus infidelibus dat scandalum, curam suorum domesticorum negligendo; quam tamen etiam gentiles communiter habent. Neque Apostolus vult, quòd talis fidelis fidem interna mente, aut externa voce negaverit.

Ad 3. d. ant. Fides viva & efficax non potest esse in his, qui indulgent pravis cupiditatibus &c. c. ant. Fides mortua & inefficax; n. ant. & con. Sicut corpus mortuum manet corpus sine anima, ita fides mortua manet fides sine justitia, seu charitate & operibus; ùt patet ex Epist. S. Jacobi cap. 2. v. 26. Item ex S. Bernardo, qui volum. 1. tom. 2. de officio Episcop. cap. 4. triplicem distinguit fidem, dicens: Et mortuam *quidem Apostolus* (S. Jacobus) *diffinit eam esse, quæ sine operibus est, id est, quæ non operatur ex dilectione, quasi non habens animam ipsam dilectionem, qua vegetetur.*

Ad 4. eadem est responsio; nam, licèt fides viva & efficax, quæ charitatem & per hanc alias virtutes operatur, afferat conscientiæ pacem; non tamen fides inefficax, quæ similia non operatur, & ex sua infirmitate aut præsumptione admittit peccata contra conscientiam. Ad prob. c. ant. n. con. nam ex antecedente solùm sequitur, quòd peccatum contra conscientiam admissum non possit stare cum pace conscientiæ; non autem, quòd non possit stare cum fide. Apostolus per allatum textum pariter nihil aliud vult, quàm quod omne id, quod est contra dictamen conscientiæ, sit peccatum: fides quippe l. c. accipitur pro conscientia; ùt patet ex præcedentibus verbis ejusdem versûs: *Qui autem discernit* (id est manducationem carnis, in antiquo testamento prohibitam, putat esse peccatum) *si manducaverit, damnatus est*, seu reus damnationis.

Ad 5. n. ant. quia talis non solùm potest habere fidem habitualem, sed etiam actualem in intellectu, imò etiam fiduciam præsumptuosam in voluntate, quando ex præsumptione in misericordiam Divinam propter Christi merita peccat; juxta illud egregium adagium Lutheri: *Pecca fortiter, sed fortiùs fide.*

Ad id, quod additur, n. ant. nam peccatum mortale est à Deo prohibitum sub amis-

sione

ſione amicitiæ Divinæ; adeoque peccatum mortale in linea morali directè & per ſe excludit amicitiam Divinam, ſeu habitum charitatis cum jure ad mutuam amicitiam Dei increatam. Quòd autem Deus fidelem non privet habitu fidei, niſi propter peccatum infidelitatis mortale ei directè oppoſitum, aut habitu ſpei, niſi propter peccatum deſperationis, aut infidelitatis, eſt iterum ſpecialis ratio: quia iſti duo habitus ſunt principium ſupernaturale permanens ad reſurgendum à peccato.

Quæres 7. An verè fidelis poſſit, aut de- 75
beat credere fide Divina, ſe eſſe juſtificatum; aut hoc ſcire certitudine morali?

℟. *ad 1.* Verè fidelis non debet, nec poteſt fide Divina credere ſe eſſe juſtificatum. *Ita cum ſanctis Patribus communis Catholicorum contra Lutheranos & Calviniſtas.*

Reſponſio patet I. ex S. Scriptura; nam Job 9. v. 21. ait: *Etiam ſi ſimplex* (id eſt juſtus, ùt patet ex verſu præced.) *fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* David Pſalm. 18. v. 13. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* Eccleſiaſtes 9. à v. 1. *Sunt juſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit: ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* Proverb. 20. v. 9. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum?* Eccleſiaſticus 5. v. 5. *De propitiato pec-*

cato

cato noli esse sine metu. Et S. Paulus 1. ad Corinth. 4. v. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Qui autem judicat me, Dominus est.* Ecce benevole Lector! tanti tamque sancti viri nescierunt, an re ipsa fuerint justi coram Deo; & Lutherani cum Calvinistis præsumunt dicere, quemlibet fidelem fide Divina debere credere, se esse justificatum.

II. Constat ex unanimi doctrina sanctorum Patrum in citatos textus S. Scripturæ. Ex quibus duos solùm testes allego; S. Basilium, qui in constitut. monast. cap. 2. ait: *Cùm multis in rebus offendamus Deum, majorem tamen offensarum partem nec intelligamus quidem; idcirco Apostolus dicit: nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Propter hanc causam Propheta ait: delicta quis intelligit?* Dein S. Augustinum, qui in Psalm. 41. expendens prædicta Apostoli verba, inquit: *Cor hominis abyssus est. Quid enim profundius hac abysso? loqui homines possunt, videri possunt, & audiri in sermone: sed cujus cogitatio penetratur? cor inspicitur?* Serm. 34. de verbis Domini: *Fortasse tu nihil invenis in conscientia tua: invenit ille, qui melius videt.* Et homil. 25. *Quamdiu vivimus hic, de nobis ipsis nos ipsi judicare non possumus: non dico, quid cras erimus, sed quid hodie simus.*

III. Nobis Catholicis certò constat ex Concilio Tridentino, quod Sess. 6. cap. 9. con-

contra inanem Hæreticorum fiduciam docet: *Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, déque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet; sic quilibet, dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest: cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Et dein can. 13. damnat oppositum errorem Lutheranorum & Calvinistarum, his verbis: *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certò, & absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis, peccata sibi esse remissa; anathema sit.* Nec non can. 14. *Si quis dixerit hominem à peccatis absolvi ac justificari ex eo, quòd se absolvi ac justificari certò credat; aut neminem verè esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum & hac sola fide absolutionẽ & justificationẽ perfici; anathema sit.*

Ratio responsionis verò est: quia justificatio impii est revelata sub conditione amoris supernaturalis Dei super omnia, contritionis perfectæ, aut veræ pœnitentiæ intra Sacramentum: atqui nullus potest scire, & multò minus fide Divina credere, se elicuisse amorem supernaturalem Dei super omnia, contritionem perfectam, aut verè pœnituisse intra Sacramentum: ergo nullus debet, aut potest sine speciali revelatione absolutè credere, se esse justficatum. Maj. patet; nam Chri-

Christus Lucæ 13. v. 3. utique de supernaturali pœnitentia dixit: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Min. etiam constat; quia nullus potest scire, quòd sine occulta admixtione alicujus pravi affectûs naturalis elicuerit amorem supernaturalem Dei super omnia, contritionem perfectam, aut intra Sacramentum verè pœnituerit, fuerítque legitimè absolutus: neque ista alicui in particulari sunt à Deo revelata; adeoque nullus potest scire aut credere fide Divina, se esse justificatum, nisi hoc ei à Deo specialiter revelaretur. Ex quibus vides, quàm inanis & præsumptuosa sit fides specialis, per quam Lutherani & Calvinistæ volunt, suos fideles justificare, aut à Deo justificari.

℞. *ad 2.* Verè fidelis neque certitudine morali perfecta potest scire se esse justificatum. *Ita communis Theologorum.*

Responsio patet tam ex textibus S. Scripturæ & sanctorum Patrum priùs relatis, quàm à ratione prioris responsionis.

Addidi autem *certitudine morali perfecta*, quæ nempe excludit omne prudens dubium; ùt e. g. est certitudo de existentia urbis Romanæ; nam vir doctus & pius potest habere certitudinem moralem imperfectam de sua præsenti justitia; seu certitudinem, quæ excludit actuale dubium, non tamen potentiam dubi-

dubitandi & timendi : uti dixi *in Theol. Specul. tract. 6. diſp. 5. q. 2. a. 6.*

Ratio hujus eſt : quia vir doctus & pius non ſolùm ſcit, quòd Sacramenta validè & absque obice ſuſcepta infallibiliter cauſent gratiam, ſed etiam poteſt eſſe moraliter certùs, quòd Sacramentum pœnitentiæ ſuſceperit validè, & cum dolore ac propoſito ſufficiente & elicito ex motivo ſupernaturali : ergo poteſt eſſe de ſua juſtitia moraliter certus. Neque huic ſententiæ obſtat Concilium Tridentinum l. c. quia ſolùm rejicit certitudinem fidei & inanem fiduciam hæreticorum de propria juſtificatione præcisè ex meritis Chriſti.

Quæres 8. Quidnam objiciant Lutherani & 76
Calviniſtæ ?

℞. Sequentia. I. Apoſtolus ad Rom. 8. v. 16. ait : *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quòd ſumus Filii Dei :* ergo verè fidelis fide Divina debet credere, ſe eſſe Filium Dei adoptivum, ſeu juſtificatum. Con. prob. Hoc teſtimonium eſt revelatio Divina: atqui revelationi Divinæ debemus credere fide Divina : ergo.

II. Apoſtolus citato cap. 8. ad Rom. v. 38. ſubdit : *Certus ſum, quia neque mors neque vita . . neque creatura alia nos poterit ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto JEſu Domino noſtro :*

ergo Apostolus fide Divina credidit se esse justificatum.

III. Idem Apostolus 1. ad Corinth. 2. v. 12. inquit: *Nos autem non Spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum Dei, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ donata sunt nobis:* atqui iste Spiritus est revelatio de præsenti justificatione fidelium, & futura eorum beatitudine: ergo.

IV. Idem Apostolus Paulus 2. ad Corinth. 13. v. 5. monet fideles: *Vosmetipsos tentate, si estis in fide .. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus JEsus in vobis est? nisi fortè reprobi estis:* ergo reprobi sunt, qui non agnoscunt per fidem se esse in fide & gratia Christi; econtra quotquot justi, & prædestinati sunt, hoc agnoscunt per fidem.

V. S. Joannes 1. Epist. 3. v. 14. ait: *Nos scimus, quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Et 4. à v. 12. *Si diligimus invicem Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta est. In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis:* ergo verè fideles, qui experimentaliter sciunt, se diligere Deum, & proximum propter Deum, debent credere se esse justos. Con. prob. Quòd nos maneamus in Deo, & Deus in nobis, non possumus aliter cognoscere nisi per fidem: ergo.

77 ℞. *ad 1.* Explico textum: Spiritus Sanctus testimonium reddit Spiritui nostro, quòd sumus

mus Filii Dei in communi c. ant. quòd sumus Filii Dei in particulari; subd. absolutè; n. ant. conditionatè; c. ant. & sub hac distinctione n. con. Duplex potest esse testimonium Spiritûs Sancti de justificatione hominum: unum datur per revelationem, seu Verbum Dei expressum de justificatione & adoptione hominum in Filios Dei in communi, si credant in Deum & Christum, eúmque ament, aut infantes baptizentur: & hoc in communi sub his conditionibus saltem implicitis debemus fide Divina credere. Alterum est testimonium Spiritûs Sancti minus strictè tale per experimentalem quendam affectum & motionem: quam Apostolus l. c. appellat Spiritum nostrum.

Porrò hoc posterius testimonium non efficit, ut quis in particulari sciat, aut possit fide Divina credere absolutè, se à Spiritu Sancto moveri, & esse amicum Dei: quia quandoque intercurrit philautia, seu amor proprius naturalis, ad Deum amandum, & sub tali amore Spiritus malus potest se transfigurare in Angelum lucis. Unde homo in particulari circa se ipsum falli & decipi potest. Præterea, etiamsi e. g. Theologus pius & doctus posset esse moraliter certus, se ad fidem & amorem moveri à Spiritu Sancto, tamen ei non constat absolutè se moveri & affici eo modo, quo amici Dei afficiuntur:

quia etiam peccatores sæpius pulsantur & impelluntur. Hoc fassus fuit ipsemet Calvinus lib. 3. Instit. cap. 2. §. 5. dicens: *Experientia ostendit, reprobos interdum simili ferè sensu atque electos affici, ut nè suo quidem judicio quicquam ab electis differant.*

Ad 2. c. ant. n. con. nam Apostolus l. c. non loquitur de certitudine fidei Divinæ, sed solùm de certitudine morali, quæ habetur ex signis & conjecturis: nam in græco textu (utì etiam ex adversariis in novissima editione Amstelodamensi de anno 1710. cum Joanne Millio refert Ludolphus Kusterus) habetur verbum πέπεισμαι, id est, persuasus sum, seu confido. Unde etiam S. Ambrosius in locum citatum Apostoli, & S. Hieronymus in Epist. ad Algasiam quæst. 9. non legunt *certus sum*, sed *confido*. Imò ipsemet Apostolus in eadem Epist. cap. 15. v. 14. utitur eodem verbo, dum dicit: *Certus sum Fratres mei, quoniam pleni estis dilectione*: ubi certè non vult significare, se habere certitudinem fidei de dilectione Romanorum, sed solùm persuasionem moralem. Præterea Apostolus Paulus de sua justificatione & prædestinatione potuit habere revelationem Divinam specialem; sicut eam habuerunt alii Apostoli, juxta illud Christi Lucæ 10. v. 20. *Gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis.* Licèt igitur Paulus cum reliquis Apostolis potue-

tuerit fide Divina credere, se esse justificatum, hoc tamen non possunt credere Lutherani & Calvinistæ; quia hi de sua justificatione non habent specialem revelationem Divinam.

Ad 3. c. maj. d. min. atqui iste Spiritus est revelatio generalis & sub conditione dilectionis supernaturalis & perseverantiæ de præsenti justificatione fidelium & futura eorum beatitudine; c. min. est revelatio specialis & absoluta; n. min. & sub eadem distinctione n. con. quòd revelatio Divina de justificatione & æterna beatitudine pro conditione habeat dilectionem Divinam supernaturalem, satis clarè innuit Apostolus l. c. v. 9. dicens: *Oculus non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum. Nobis autem revelavit, Deus per Spiritum suum.*

Ad 4. c. ant. n. con. nam Apostolus non dicit: *Vos ipsi certi estis de vestra fide & remissione peccatorum, & certò creditis Christum in vobis esse;* sed longè aliter inquit: *Vosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate.* Ad quid autem deberent tentare & probare se esse in fide, si certi essent, se habere fidem, & esse justos. Præterea Apostolus ibi non loquitur de Christo habitante in Corinthiis per gratiam justificantem, sed per potentiam, & miracula, quæ apud illos fiebant; nam v. 3. præmisit: *An experimentum quæritis ejus, qui*

in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis? unde hortatur illos, ut tentent suam fidem, an firmiter credant in Christum, ejúsque potentiam; non autem, ut illi credant fide speciali se esse justos. Igitur non loquitur de propria cujusque justitia, sed de patratis miraculis fidei.

Ad 5. c. ant. n. con. S. Joannes ll. cc. non loquitur de certitudine fidei specialis, quæ deberet haberi per revelationem Divinam specialem de ejusmodi justitia; sed loquitur de certitudine morali, & conjecturali, quæ habetur per effectus justitiæ, seu arguitur ex hujus effectibus: qualis effectus specialiter est dilectio proximi propter Deum. Sed

Dices: Revelatio Dei universalis sufficit ad credenda particularia: atqui in citatis textibus datur revelatio universalis, quòd fideles diligentes Deum & proximum propter Deum sint justi; ergo fideles, qui experimentaliter sciunt, se firmiter credere, & Deum ac proximum propter Deum diligere, vi revelationis universalis possunt credere, se esse justos; etsi de hoc non habeant revelationem Divinam specialem.

℞. d. maj. Revelatio Dei universalis sufficit ad credenda particularia, quæ sub revelatione universali certò continentur; c. maj. quæ sub revelatione universali solùm probabiliter & conjecturaliter continentur; n. maj.

&

& conceſsâ min. de fidelibus diligentibus Deum amore ſupernaturali, & nullo modo vitiato; n. con. Etiam verè fideles & Deum amantes non poſſunt certò ſcire, ſe habere potiùs fidem & amorem ſupernaturalem quàm naturalem propter latentem fortè aliquem occultum ſuum defectum; adeoque non poſſunt fide Divina credere, ſe contineri ſub illa generali revelatione juſtitiæ.

78 *Quæres 9.* An aliquis ſine ſpeciali revelatione poſſit ſcire, ſe eſſe finaliter perſeveraturum in bono, & ſalvandum?

℞. Nemo ſine ſpeciali revelatione poteſt ſcire, ſeu credere, ſe eſſe finaliter perſeveraturum in bono, & ſalvandum. *Ita cum ſanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam Lutheranorum, contra Calviniſtas ſupra num. 67. relatos.*

Reſponſio patet I. ex S. Scriptura ll. cc. ſupra num. 69. ex quibus probavimus, juſtos poſſe finaliter amittere fidem, & conſequenter etiam perſeverantiam, ſicque non eſſe certos de futura ſua ſalute, & prædeſtinatione. Item Pſalm. 2. v. 11. dicitur: *Servite Domino in timore.. apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta.* Et Apoſtolus ad Rom. 11. à v. 20. admonet fideles à gentiliſmo ad fidem Chriſtianam converſos: *Tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non*

pepercit, nè fortè nec tibi parcat. Et ad Philipp. 2. v. 12. generaliter ait: *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.*

II. Constat ex textibus tam S. Scripturæ quàm Patrum, quibus supra num. 75. probavimus, quòd verè fidelis non possit certò scire se esse justificatum; adeoque multò minùs se esse in bono finaliter perseveraturum, & salvandum. Item specialiter constat ex Concilio Tridentino, quod Sess. 6. Can. 15. damnat oppositum errorem Calvinistarum. his verbis: *Si quis dixerit, hominem renatum & justificatum teneri ex fide ad credendum, se certò esse in numero prædestinatorum; anathema sit.* Et Can. 16. *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certò habiturum, absoluta & infallibili certitudine, dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit; anathema sit.*

Ratio responsionis verò est: quia nihil contingens futurum potest sciri, seu fide Divina credi, nisi sit à Deo revelatum: atqui perseverantia finalis in bono, & salus æterna, seu prædestinatio Divina, fidelibus in particulari non est à Deo revelata, ergo nullus fidelis potest fide Divina credere, se esse prædestinatum, finaliter in bono perseveraturum, & salvandum. Min. Calvinistis patet ab experientia negativè. Maj. verò constat ex eo, quòd fides Divina pro suo motivo formali

&

& specificativo debeat habere revelationem Divinam.

Præterea nullus potest scire, aut fide Divina credere, se esse hìc & nunc in statu gratiæ, seu justitiæ: ergo multò minus potest scire, aut fide Divina credere, se esse finaliter in bono perseveraturum, & salvandum. Ant. patet ex dictis supra num. 75. Con. verò constat ex eo, quòd etiam verè fidelis & justus possit libere peccare, & non solùm amittere justitiam, sed etiam fidem. Sed

Dices I. Quicunque orat pro dono perseverantiæ, certò debet credere se accepturum tale donum: sed omnes verè fideles orant pro dono perseverantiæ: ergo. Maj. prob. Jacobi 1. v. 6. dicitur: *Postulet autem in fide, nihil hæsitans;* adeoque jubemur petere sine hæsitatione: ergo jubemur certò credere, nos esse impetraturos, quod petimus. Præterea Christus Marci 11. v. 24. dixit: *Quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis:* ergo.

II. S. Joannes 1. Epist. 5. v. 13. ait: *Hæc scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei:* ergo verè fideles vi fidei jam habent vitam æternam, & credere debent, se esse à Deo prædestinatos, & re ipsa salvandos.

℞. *ad 1.* d. maj. Quicunque orat pro dono perseverantiæ, certò debet credere se accepturum tale donum sub conditione piæ & perseve-

ſeverantis orationis, ac propriæ cooperationis cum gratia ad perſeverandum data; c. maj. certò debet credere ſe accepturum tale donum abſolutè, & ſine tali conditione; n. maj. d. min. Sed omnes verè fideles orant pro dono perſeverantiæ perſeveranter, & ſemper cooperando gratiæ ad perſeverandum datæ; n. min. non tamen perſeveranter, non & ſemper cooperando gratiæ ad perſeverandum datæ; c. min. & ſub priori diſtinctione n. con.

Ad id, quod additur, eadem eſt reſponſio; nempe, quòd debeamus credere conditionatè, ſeu ſub conditione debitæ & proportionatæ petitionis. Nemo autem debitè & ſatis proportionatè petit perſeverantiam finalem, niſi qui hanc petit perſeveranter usque ad finem vitæ: cùm verò nemo certus ſit, ſe eam perſeveranter petiturum, nemo poteſt abſolutè credere ſe illam accepturum.

Ad 2. c. ant. d. con. ergo verè fideles vi fidei jam habent vitam æternam radicaliter, in ſpe, & conditionatè; c. con. formaliter, in re & abſolutè; n. con. Qui igitur credunt in miſericordiam Divinam propter Chriſtum, habent vitam æternam radicaliter & in ſpe, non verò formaliter & in re; juxta illud Apoſtoli ad Rom. 8. v. 24. *Spe enim ſalvi facti ſumus.* Ut autem re ipſa accipiant vitam æternam opus eſt continua fide & perſeverantia in

in bono; juxta eundem Apoſtolum ad Hebr. 3. v. 14. *Participes enim Chriſti effecti ſumus; ſi tamen initium ſubſtantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus* Cùm igitur ſine ſpeciali revelatione nullus poteſt ſcire, ſe firmam fidem usque ad finem retenturum, & in bono perſeveraturum, etiam nullus poteſt abſolutè credere fide Divina, ſe eſſe ſalvandum. Pro coronide hujus controverſiæ

Quæres 10. Quotuplex ſit fides Theologica? & an fides ſpecialis modernorum hæreticorum ſit falſa? 79

℞. *ad I.* Fides Theologica habitualis ſecundùm S. Scripturam & rationem Theologicam eſt una tantùm. *Ita cum ſanctis Patribus communis Catholicorum contra modernos hæreticos & indifferentiſtas.*

Reſponſio patet ex S. Scriptura; nam Apoſtolus ad Epheſ. 4. v. 5. ait: *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma.* Idem communiter docent ſancti Patres in citatum textum Apoſtoli.

Ratio reſponſionis verò eſt: quia omnia objecta fidei Theologicæ, ſeu à Deo revelata, creduntur propter idem motivum, nempe propter revelationem Divinam: ergo fides habitualis & infuſa eſt una tantùm; quamvìs objecta materialia fidei ſint diverſa. Ant. patet ex dictis ſupra cap. 2. num. 15. Con. etiam conſtat; quia habitus, præſertim ſupernatu-

rales

rales & infusi, qui dant simpliciter posse, solùm diversificantur penes diversum motivum formale & specificativum, non verò penes diversa objecta materialia.

Dixi autem *fides habitualis est una tantùm;* nam fides actualis seu actus fidei propter diversa objecta materialia sunt materialiter diversi, & multiplices: sic 1. generaliter cum hæreticis fides potest dividi in *fidem historicam*, qua credimus illa, quæ narrantur & revelantur in sacris literis; *in fidem promissoriam*, qua credentibus & bene operantibus promittuntur futura bona; in *fidem comminatoriam*, qua infidelibus & malè operantibus Deus comminater pœnas æternas; & in *fidem miraculorum*, qua credimus Deum esse omnipotentem, & propter fiduciam hominum ex rationabili causa sæpius patrasse miracula. 2. Actus fidei propter diversum objectum materiale in particulari sunt prorsus multiplices: sic alia est fides, qua credimus Deum esse unum; alia, qua credimus Filium Dei esse incarnatum; alia, qua credimus futurum esse judicium, vitam æternam &c.

℞. *ad 2.* Falsa est fides specialis absoluta modernorum hæreticorum. *Ita communis Catholicorum, imò etiam Majoristarum, Arminianorum, & Socinianorum, contra rigidiores Lutheranos & Calvinistas.*

Ratio

Ratio responsionis est: quia nemini in particulari est revelatum, sibi à Deo esse peccata remissa propter Christum; revelatio universalis verè est solùm conditionata: ergo fides specialis, qua quis absolutè credit sibi in particulari à Deo remissa esse peccata propter Christum, est falsa. Unde doctissimus Maldonatus in cap. 9. Matthæi, laudante eum Becano in Manuali controvers. lib. 1. cap. 16. pag. 433. de triplici fide modernorum hæreticorum, nempe historica, miraculorum, & promissoria speciali, aptè ait: *Ista triplex fides, quam isti nuper invenerunt, figmentum est, somnium, portentum est, Chimæra est: si unam haberent, omnem haberent; qui triplicem habent, nullam habent.*

Porrò etiam fiducia specialis omninò absoluta hæreticorum ex parte voluntatis est actus solùm naturalis, præsumptuosus, & peccaminosus; ùt declaravi supra cap. 1. num. 9.

CAPUT VIII.

Errores Lutheranorum & Calvinistarum de bonis operibus.

SUMMARIUM.

80. *Lutherani & Calvinistæ admittunt à Deo fidelibus dari gratias supernaturales ad fidem & opera interna bona.*

81. *Hoc*

81. *Hoc tamen non obstante Calvinus docuit omnia opera etiam justorum infici à peccato originali.*

82. *Idem primitùs docuit, & Calvino præluxit Lutherus, & Melanchthon, aliique Lutherani.*

83. *Hunc tamen errorem aliqualiter correxit uterque, nè populus ab exercitio bonorum operum omninò desisteret.*

84. *Idem actus internus voluntatis non potest esse formaliter bonus ex objecto, & malus ex fine, aut vicissim; sed per se loquendo est simpliciter malus; neque in illum influit gratia supernaturalis.*

85. *Finis operantis malus inficit opus bonum, quando intenditur per ipsum actum deliberatum; non verò, quando intenditur solùm per simplicem complacentiam antecedentem aut consequentem.*

86. *Opera bona justorum non semper inficiuntur à concupiscentia, occulta superbia, aut prava intentione operantis.*

87. *Quænam objiciant adversarii?*

88. *Hoc & sequenti num.*

89. *Clarè solvuntur.*

90. *Neque omnia opera justorum sunt peccata, etiamsi judicentur rigoroso judicio Divino.*

91. *Quænam objiciant adversarii.*

92. *Hæc clarè solvuntur.*

93. *Lu-*

93. Lutherani præcedentes errores tuentur, ut apparenter possint rejicere meritum bonorum operum.

UT subsequos errores Lutheranorum & Calvinistarum solidiùs rejicere possim, *Nota*, quòd Lutherani & Calvinistæ de necessitate gratiæ & infirmitate liberi arbitrii Pelagianis per excessum sint contrarii. 80

Unde dicunt 1. omnia opera infidelium esse peccata mortalia, & sine gratia Dei supernaturali non posse fieri ullum opus bonum; ùt patet ex tract. præced. cap. 12. num. 135. & 136.. Dein Calvinus & Lutherus docuerunt, hominem per gratiam Dei ita moveri ad actus bonos, ut merè passivè se habeat; ùt patet ex eodem tract. cap. cit. num. 137. Hunc ultimum tamen errorem Lutheri benignè interpretatur Liber Concordiæ titulo de libera voluntate num. 9. docens, quòd voluntas gratiæ Dei cooperatur, & quòd Lutheri doctrina non sit intelligenda, hominem *purè passivè* se habere in linea physica respectu consensûs, sed in linea morali *respectu Divinæ gratiæ in accendendis novis motibus.* Eandem interpretationem Lutheri Liber Concordiæ repetit titulo de humanis viribus in fine. Jam

Quæres 1. Quisnam sit error Calvini de bonis operibus? 81

R. Se-

℞. Sequens præcipuus, quòd, quamvìs ille sæpius asserat, hominem ad bonum ita efficaciter & irresistibiliter moveri per gratiam actualem à Deo, ut ille merè passivè se habeat; hujus tamen sui asserti quasi oblitus, dicat, omnia opera, etiam justorum infici à peccato originali.

Nam lib. 2. Instit. cap. 1. §. 8. loquens de peccato originali inquit: *Hæc perversitas nunquam in nobis cessat.* Et in Antidoto Concilii Tridentini Sess. 6. cap. 16. ait: *Vitiositas, quæ nobis inhæret, deformat coram Deo, quidquid à nobis operum prodit.* Unde lib. 2. Instit. cap. 12. §. 4. dicit: *Omnia hominum opera nihil sunt, nisi inquinamenta & sordes, & quæ justitia vulgò habetur, ea apud Deum mera est iniquitas.* Et cap. 15. §. 3. *Nihil ab homine exit, quantumvìs perfecto, quod non sit aliqua macula inquinatum. Tantum hoc homini assignamus, quòd ea, quæ bona erant, sua impuritate polluit, & contaminat.* Idem docet alibi sæpius.

82 *Quæres 2.* An idem docuerit Lutherus & Melanchthon.

℞. Idem primitus docuit, & Calvino præluxit Lutherus, & Melanchthon?

Nam Lutherus in diversis articulis statim post suam defectionem assertis, & anno 1520. à Leone X. damnatis (uti videre est apud ipsum Lutherum tom. 1. fol. 178.) art. 31. asseruit: *In omni opere bono justus peccat.* Art. 32.

Opus bonum optimè factum est peccatum veniale. Et art. 36. *Liberum arbitrium post peccatum* (Adæ) *est res de solo titulo; &, dum facit, quod est in se, peccat mortaliter.*

Idem docuit Melanchthon Generalis Adjutans Lutheri in locis communibus editionis primæ dicens: *Omnia hominum, quantumvìs laudabilia opera, planè vitiosa sunt, & morte digna peccata.* Suos Duces secuti sunt Wolfgangus Fabricius, Sebastianus Francus, Nicolaus Amsdorffius, & alii; ùt testatur Jodocus Coccius in Thesaur. Catholic. tom. 2. pag. 225.

Imò adhuc anno 1568. in Colloquio Altemburgi habito plures Theologi Lutherani dixerunt: *Falsa est propositio, opera sunt necessaria. Adeò illa necessaria non sunt, ut etiam ad salutem incommodent, sintque perniciosa;* utì legere est in hoc Colloquio Jenæ anno 1570. in 4. impresso. Idem testatur Liber Concordiæ Lutheranorum anno 1580. Dresdæ in Folio editus, & anno 1581. Magdeburgi in Quarto reimpressus, in articulis controversis tit. *De bonis operibus.*

Quæres 3. An iste error fuerit à Luthero & Melanchthone correctus; & cur ista correctio contigerit? 83

℞. *ad 1.* Iste error fuit aliqualiter & implicitè correctus tam à Luthero, quàm præcipuè à Melanchthone.

Lutherus quippe jam anno 1537. in articulis Schmalkaldicis, qui ad Concilium Mantuæ aut alibi celebrandum debuissent mitti, 3. part. art. 13. de justificatione in fine ait: *Dicimus etiam ulterius, quòd ubi bona opera fidem non sequuntur, ibi fides sit falsa, & non vera.* Imò jam anno 1536. in Disputatione de fide habita Thesi 29. asseruit: *Justificati autem sic gratìs, tum facimus opera, imò Christus ipse in nobis facit omnia.* Et 30. *Quòd si opera non sequuntur, certum est fidem hanc Christi in corde nostro non habitare, sed mortuam illam, scilicet acquisitam fidem:* quam in Thesi 2. appellat *historicam.* Utì videre est in tom. 1. ejus operum in fine fol. 503. editionis Jenensis de anno 1564.

Melanchthon suum errorem pariter implicitè sed aliqualiter magis correxit; nam in corpore Doctrinæ Christianæ Lipsiæ anno 1560. edito pag. 478. docet, quòd nostra bona opera placeantDeò propter Christum. Et pag. 483. de præmiis bonorum operum inquit: *Bona opera, cum placeant fide propter Mediatorem, ùt dictum est, merentur præmia spiritualia & corporalia in hac vita, & post hanc vitam.* Quod dein multis probat ex S. Scriptura. Idem omninò docet in volumine suorum operum, anno 1562. Wittebergæ edito, part. 1. pag. 210. Interim tamen versipellis Melanchthon, quamvìs de merito bonorum operum

rum & horum præmio spirituali post hanc vitam videatur appropinquare sententiæ Catholicorum; semper tamen negat, hominem cum gratia Dei posse mereri justificationem & vitam æternam, & asserit, utramque dari prorsus gratis, & præcisè propter merita Christi per fidem apprehensa.

℞. *ad 2.* Lutherus, Melanchthon, & Liber Concordiæ, ideo aliqualiter correxerunt primævum suum errorem de bonis operibus supra num. 82. relatum, nè populus Lutheranus ab exercitio bonorum operum omninò desisteret.

Responsio patet ex Libro Concordiæ Lutheranorum, in quo ipsimet art. 4. de bonis operibus & falsa doctrina num. 2. dicunt: *Rejicimus & damnamus hanc propositionem, tanquam scandalosam & Christianæ disciplinæ præjudiciosam, quando dicitur: bona opera sunt nociva ad salutem.*

Et subdit hanc causalem: *Nam præcipuè his ultimis temporibus non minùs necessarium est, homines ad Christianam disciplinam & bona opera admonere, quàm necessarium sit, ut illi in testimonium suæ fidei & gratitudinis erga Deum, se in bonis operibus exerceant . . quia homines per Epicuristicam opinionem de fide tam bene quàm per Papisticam & Pharisaicam fiduciam in propria opera & merita damnari possunt.*

Ratio responsionis verò est: quia, si verum esset, quòd omnia opera justorum sint

 pec-

peccata, & nociva ad salutem, populus deberet cessare ab exercitio bonorum operum, nè Deum offenderet, & sibi in consecutione æternæ salutis noceret: ergo, nè populus cessaret ab exercitio bonorum operum, debuerunt Lutherani saltem aliqualiter corrigere suam primævam doctrinam.

Ut autem nos hunc primævum Lutheranorum & Calvinistarum errorem tam ex principiis animasticis & moralibus quàm Theologicis clariùs evertamus; hinc

84 *Quæres 4.* An idem actus internus voluntatis possit esse formaliter bonus ex objecto & malus ex fine; aut in talem actum infectum influat gratia supernaturalis?

℞. *ad 1.* Idem actus voluntatis internus nequit esse formaliter bonus ex objecto & malus ex fine, aut vicissim, sed est simpliciter malus, saltem per se loquendo: *Ita Theologi tam Speculativi quàm Morales communiter.*

Responsio colligitur ex S. Scriptura; nam Apostolus ad Rom. 3. v. 8. ait: *Non faciamus mala, ut veniant bona:* ergo à fortiori non sunt facienda bona, ut eveniant mala. Unde commune est axioma Patrum & Theologorum, desumptum ex S. Dionysio lib. de Divinis nominibus cap. 4. *Bonum ex integra causa; malum ex quolibet defectu.*

Ratio responsionis verò est: quia actus, sive sit malus ex objecto sive ex fine est con-

tra

tra dictamen rectæ rationis: ergo est simpliciter malus; quia conjunctio libera boni cum malo morali repugnat rectæ rationi & legi Dei æternæ.

Dixi autem, *saltem per se loquendo:* nam, si quis ex conscientia invincibiliter erronea judicaret, e. g. mendacium esse honestum & à Deo præceptum in ordine ad conservandam pacem, famam, aut vitam proximi, tunc actus voluntatis posset per accidens esse formaliter bonus; quia per similem conscientiam erroneam malitia moralis intentionaliter & objectivè separaretur à mendacio, & consequenter illa non specificaret actum voluntatis.

℞. *ad 2.* Quando actus est malus & infectus malitia morali, in illum non influit gratia supernaturalis. *Ita quoad rem communis Theologorum.*

Responsio colligitur iterum ex S. Scriptura; nam Christus Matth. 7. v. 18. de gratia Dei sub metaphora arboris ait: *Non potest arbor bona malos fructus facere.*

Ratio responsionis verò est: quia gratia supernaturalis, actus supernaturalis, & quodlibet ens supernaturale quoad substantiam secundùm conceptum suum primarium est, quod Deum quidditativè sumptum, & prout iste est in se, exigit ex sua perfectione habere pro suo termino: atqui actus moraliter

malus, & infectus, utpote repugnans sanctitati Divinæ, nequit ex sua perfectione exigere Deum quidditativè sumptum pro termino: ergo talis actus nequit esse entitativè supernaturalis; & consequenter in illum nequit influere gratia supernaturalis.

Præterea illustratio & pia affectio supernaturalis, in qua consistit gratia actualis, non inclinat ad talem actum, sed solùm ad actum simpliciter bonum: ergo non influit in talem actum malum, sed solùm in actum simpliciter bonum & honestum.

Quando igitur homines peragunt actus externos bonos ex fine malo; ùt e. g. Hypocritæ ex vana gloria dant eleemosynam, orant, & alia opera peragunt, ut pii & justi videantur ab hominibus; tales actus sunt simpliciter mali, & in illos non influit gratia actualis.

85 *Quæres 5.* An finis operantis malus semper inficiat opus bonum?

℞. *1.* Finis operantis malus, quando intenditur immediatè etiam per ipsum actum deliberatum, semper inficit hunc actum; adeoque tale opus est simpliciter malum. *Ita tam Theologi Speculativi quàm morales communiter.*

Ratio responsionis est: quia in tali casu finis malus non solùm intenditur per simplicem complacentiam antecedentem aut consequentem, sed etiam per ipsum actum liberum

rum & deliberatum; adeoque à fine malo non solùm specificatur simplex complacentia, sed etiam ipse actus deliberatus, & consequenter etiam iste inficitur, & evadit malus.

℞. 2. Quando finis malus non intenditur immediatè per ipsum actum deliberatum, sed solùm per simplicem complacentiam antecedentem, concomitantem, aut consequentem, ille non inficitur à fine malo. *Ita iterum Theologi tam Speculativi quàm Morales communiter.*

Ratio responsionis est: quia sic operans per actum liberum & deliberatum non intendit similem finem malum extrinsecum, sed solùm intrinsecam honestatem operis; adeoque actus deliberatus non inficitur à fine malo, sed solùm simplex complacentia antecedens aut consequens. Unde

Collige 1. Quòd, si alicui e. g. largitio eleemosynæ proponeretur, tanquam conferens ad vitam æternam, & simul tanquam laudabilis apud homines, ejúsque omissio tanquam ignominiosa; quòd, inquam, homo hoc ipso à simplici complacentia circa laudem humanam, & à displicentia circa ignominiam, facilitetur, & moveatur ad dandam eleemosynam. Idem est proportionaliter de exercitio aliorum actuum bonorum; ùt nobis ab experientia constat. Porrò, si homo dein per actum voluntatis deliberatum dandi eleemosynam intendit simul vanam gloriam, talis

actus inficitur à vana gloria, evadit ſimpliciter malus, & in illum non influit gratia actualis; ùt patet ex prima reſponſione. Si verò homo per actum deliberatum intendit ſolam honeſtatem eleemoſynæ & beneplacitum Divinum, actus deliberatus eſt bonus, meritorius, & in illum influit gratia actualis, ſeu illuſtratio ſupernaturalis intellectûs & pia affectio voluntatis.

Collige 2. Quòd ſimplex complacentia de vana gloria, quæ actum bonum præcedit, concomitatur, aut conſequitur, ſit quidem formaliter mala, ſi non eſt motus præcisè primò primus, ſed aliquomodo libera: illa tamen non inficit actum deliberatum, qui ſit præcisè ex motivo honeſtatis & beneplaciti Divini. Ratio hujus eſt: quia ejusmodi complacentia eſt actus realiter diſtinctus à voluntate deliberata dandi eleemoſynam; adeoque hæc ſimplex complacentia per accidens ſe habet reſpectu ſimilis voluntatis deliberatæ, & honeſtæ. Unde in tali caſu, quodammodò locum habet regula 37. Juris in 6. *Utile non debet per inutile vitiari.* Jam, ut ad Polemica revertamur.

86 *Quæres 6.* An opera juſtorum ſemper inficiantur à concupiſcentia, occulta ſuperbia, aut prava intentione operantis.

℞. Opera bona juſtorum non ſemper inficiuntur à concupiſcentia mala, occulta ſuperbia,

perbía, aut prava intentione operantis. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum contra Lutherum & Calvinum, & plerosque Lutheranos & Calvinistas.*

Responsio patet I. ex S. Scriptura antiqui testamenti; nam Jobi 2. v. 3. dixit Deus diabolo: *Nunquid considerasti servum meum Job, quòd non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam?* Et David Psalm. 16. v. 3. ait ad Deum: *Probasti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.* Item Psalm. 17. v. 21. *Retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meam, & secundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi: quia custodivi vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo.*

II. Constat ex S. Scriptura novi testamenti; nam Christus Matth. 6. v. 22. & Lucæ 11. v. 34. de bona intentione sub metaphora oculi ait: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum* (id est opus) *tenebrosum erit:* ergo Christus supponit propter bonam intentionem posse ab homine fieri opus simpliciter bonum cum gratia Dei; nam aliàs frustra nos ad simplicem & bonam intentionem admoneret.

In quem textum S. Augustinus tom. 3. part. 2. colum. 218. ait: *Locus iste intelligendus est,*

ut noverimus omnia opera nostra, tunc esse munda, & placere in conspectu Dei, si fiant simplici corde, id est intentione superna sine illo charitatis . . Oculum ergo hic accipere debemus ipsam intentionem, qua facimus, quidquid facimus.

Ratio responsionis verò est: quia fideles & justi plurima opera bona faciunt ex bona intentione, e. g. propter amorem & beneplacitum Divinum; neque in illa potest influere fomes concupiscentiæ, aut superbia occulta: ergo non omnia opera justorum inficiuntur à concupiscentia, occulta superbia, aut prava intentione. Ant. quoad 1. membrum fidelibus & piis patet ab experientia; quoad 2. prob. Fomes concupiscentiæ aut occulta superbia non potest influere in opera sibi contraria: atqui in homine justo plurima dantur opera fomiti concupiscentiæ & occultæ superbiæ contraria: ergo. Min. patet in amore Divino, in actu obedientiæ, humilitatis, mortificationis, castitatis, abstinentiæ, abnegationis sui, & sexcentis aliis actibus.

Præterea Deus in opera justorum influit per gratiam supernaturalem; juxta illud Apostoli ad Rom. 8. v. 14. *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ij sunt Filii Dei:* ergo illa opera non sunt mala, sed intrinsecè bona, & supernaturalia; nam aliàs Spiritus Dei influeret in mala, quod repugnat Divinæ sanctitati.

Ex

Ex his clarè conſtat, quòd Leo X. anno 1520. inter alias 41. propoſitiones Lutheri jure merito damnaverit ſequentem 35. *Nemo eſt certus, ſe non ſemper peccare mortaliter propter occultiſſimum ſuperbiæ vitium.* Nam, licèt etiam in exercitio bonorum operum intercurrat quandoque vana gloria, aut ſaltem complacentia antecedens aut conſequens; homo tamen deliberatè & cum gratia Divina operans poteſt poſitivè excludere motivum vanæ gloriæ & ſuperbiæ. An autem Lutherus ſuperbiæ ita fuerit deditus, ut propter hujus vitium ſemper mortaliter peccaverit, & influxum gratiæ Divinæ in ſua opera ſemper impediverit propter manifeſtam ſuam toti Chriſtiano orbi ſuperbiam, ſoli Deo eſt notum.

Quæres 7. Quænam objiciant adverſarii? 87

℞. Sequentia, I. Opera juſtorum inquinantur à peccato originali: ergo ſunt mala. Ant. prob. Iſaiæ 64. v. 6. dicitur: *Facti ſumus ùt immundus nos omnes, & quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ.* Et David Pſalm. 13. v. 3. inquit: *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt, qui faciat bonum, non eſt usque ad unum:* ergo &c.

II. S. Auguſtinus enarrat. in Pſalm. 70. ſerm. 2. ait: *Supplicium tibi debetur: &, cum venerit prœmium, ſua dona coronabit Dominus, non merita tua:* ergo, licèt opera ſint bona, prout fiunt à Deo per influxum gratiæ, ſunt

ta-

tamen mala, prout fiunt à nobis; vel sunt bona ex genere suo, seu objecto, & mala ex circumstantiis, seu propter pravam cupiditatem; ùt vult Lutherus in assert. art. 6.

III. David in textibus pro sententia Catholicorum citatis non vult affirmare, sua opera esse *absolutè* in se omninò bona, sed solùm *comparativè* ad opera impia peccatorum & adversariorum suorum; ùt interpretatur Melanchthon & Calvinus: ergo ex illis textibus nihil probatur.

88 ℞. *ad 1.* n. ant. nam peccatum originale quoad reatum culpæ & rationem formalem peccati omninò tollitur per Baptismum & justificationem hominis; adeoque illud nequit opera bona justorum inquinare. Neque talia opera inquinantur à fomite concupiscentiæ, quando illa eliciuntur ex motivo & fine honesto, seu intentione pura; nam de simili intentione & opere ait Christus Matth. 6. v. 22. & Lucæ 11. v. 34. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.*

89 Ad 1. textum c. ant. n. con. nam Isaias non loquitur de peccato originali, aut justis ex pura intentione operantibus, sed de peccato actuali, personali, & mortali, ac de justitia per peccatum personale amissa & operibus mortificatis; nam in eodem c. v. 6. addit: *Et cecidimus quasi folium universi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* Et v. 7. subdit: *Non*

Non eſt, qui invocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te. Unde ſermo non eſt de operibus juſtorum per peccatum originale inquinatis, ſed de juſtitia & operibus præcedentibus juſtis per peccatum perſonale mortificatis.

Ad 2. textum dico Pſalmiſtam ibi non loqui de juſtis, aut horum operibus, ſed de gentilibus & atheis; nam eodem Pſalm. 13. v. 1. præmiſit: *Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus.*

Ad 2. Dico S. Auguſtinum velle, nos ex noſtris viribus peccare, & nihil mereri per opera naturalia, præcisè ex nobis, & ſolis noſtris viribus naturæ ſine gratia facta; non autem, quòd opera cum Divina gratia peracta ſint mala, aut nihil mereantur. Unde loco ab adverſariis citato ait: *Cùm venerit præmium, ſua dona coronabit Dominus.* Neque de mente S. Patris ullum poteſt eſſe dubium; nam merita vera & ſupernaturalia hominum ubique docet eſſe Dei dona; ùt *tom. 1. colum. 169. tom. 2. col. 667. tom. 5. col. 644. tom. 6. col. 237. tom. 8. col. 936. 961. & tom. 10. col. 211.*

Unde illatio & conſequens Lutheri non ſolùm repugnat doctrinæ S. Patris Auguſtini ſed etiam Apoſtoli Pauli, qui 2. ad Corinth. 6. v. 14. ait: *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ*

autem conventio Chriſti ad Belial? Si igitur opera bona fiunt ex bona intentione, ſunt purè bona, juxta citatam Chriſti doctrinam: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Si autem orationes, jejunia, & eleemoſynæ fiunt ex vana gloria, à Chriſto Matth. 6. & 7. rejiciuntur tanquam opera ſimpliciter mala.

Ad 3. n. ant. nam David ll. cc. loquitur de ſuis operibus, prout coram Deo peractis; adeoque ùt in ſe abſolutè bonis. Unde Pſal. 16. v. 3. de judicio Divino ſub metaphora ignis examinantis, omnia penetrantis, & quaſi diſſolventis ait: *Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte: igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.* Unde ulterius

90 *Quæres 8.* An opera juſtorum ſint peccata, ſi judicentur rigoroſo judicio Divino?

℟. Non omnia opera juſtorum ſunt peccata, etiamſi judicentur rigoroſo judicio Divino; ſed opera juſtorum, quæ facta ſunt ex pura intentione bona, ſunt talia etiam in judicio Divino. *Ita cum ſanctis Patribus communis Catholicorum, & aliorum, contra pleroſque Lutheranos & Calviniſtas.*

Reſponſio patet I. ex S. Scriptura antiqui teſtamenti, nam David Pſalm. 7. v. 8. confidenter ait: *Judica me Domine ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundùm innocentiam meam ſuper me.* Pſalm. 16. v. 2. *De vultu tuo judicium meum*

meum prodeat : oculi tui videant æquitatem. Probasti cor meum &c. Et Psalm. 25. v. 1. *Judica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum . . & complacui in veritate tua.* Quæ omnia David in Spiritu Sancto fuit locutus; neque in S. Scriptura de sua fiducia legitur redargutus, sed potiùs in omnibus laudatur. Actor. 13. v. 22. his verbis ex Psalm. relatis: *Inveni David filium Jesse virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.*

II. Constat ex S. Scriptura novi testamenti, & quidem ex verbis Christi sæpius laudatis: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Item ex Apost. qui 1. ad Corinth. 3. à v. 11. de Christo, de operibus fidelium justorum, & judicio Divino sub metaphora ignis, ait: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus JEsus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificat, NB. mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem.*

Quo loco indicatur 1. Christum & gratiam ex ejus meritis collatam ad fidem esse fundamentum justificationis. 2. Quædam opera su-

supra hoc fundamentum veræ fidei ædificata esse adeò bona, ut nihil omninò habeant vitii; nam hoc declarat comparatio eorum ad aurum, argentum, & lapides pretiosos. 3. Talia opera bona igne Divini judicii examinata manere bona, & acceptura esse mercedem. 4. Opera, quæ comparantur ligno, fœno, & stipulæ, esse opera, quæ ex vana gloria aut alia ratione intrinsecè vitiantur, & evadunt venialiter peccaminosa, esse sine prœmio, & pœna temporali plectenda: quod declarant ultima verba Apostoli l. c. v. 15. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse tamen salvus erit; sic tamen quasi per ignem.* Legatur de hoc (quæso) S. Augustinus tom. 4. enarrat. in Psalm. 29. col. 138. num. 9. & tom. 8. in Enchiridio de fide spe & charitate col. 222. ubi citatum locum Apostoli per totum sic egregiè exponit.

Ratio responsionis verò est: quia opera bona, quæ fiunt ex intentione pura & per influxum gratiæ Divinæ, sunt purè bona, & quidem in certo gradu intensionis: ergo, etiamsi illa judicentur rigoroso judicio Divino, non sunt peccaminosa, sed manent bona in certo gradu bonitatis. Ant. patet ex præcedente responsione supra num. 86. Con. patet; quia Deus est omniscius & omnia entia creata necessariò supercomprehendit; adeoque omnia cognoscit, prout sunt in se; juxta illud

illud Apostoli ad Hebr. 4. v. 13. *Omnia nuda & aperta sunt oculis ejus.* Præterea Deus est justus judex omnium operum: ergo, si opus est simpliciter bonum & supernaturale, secundùm exigentiam suæ justitiæ illi statuit prœmium; si est malum, illi statuit pœnam proportionatam; si denique opus deliberatum est bonum, & complacentiæ antecedentes aut consequentes vanæ; illi iterum debetur prœmium, & his pœna, si sint liberæ: uti omnia patent ex Apostolo 1. ad Corinth. 3. de opere ardente & non ardente in igne judicii Divini.

Quæres 9. Quænam objiciant adversarii? 91

℞. Sequentia. I. David Psalm. 142. v. 2. rogavit Deum: *Non intres in judicium cum servo tuo; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et 3. Reg. 8. v. 46. dicitur: *Non est enim homo, qui non peccet.* Idem asseritur 2. Paralip. 6. v. 36. & Eccle. 7. v. 21. unde S. Joannes 1. Epist. 1. v. 8. ait: *Si dixerimus: quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est:* ergo omnia opera justorum sunt peccata, saltem si judicentur rigoroso judicio Divino.

II. Job. 9. v. 2. inquit: *Verè scio . . quòd non justificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.* Unde v. 28. subjungit: *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti:*

ergo Job supponit, quòd omnia opera sint defectuosa & peccaminosa, si judicentur rigoroso judicio Divino.

III. Paulus Apostolus ad Galat. 3. v. 10. ait: *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Et S. Jacobus 2. v. 10. inquit: *Quicunque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*: ergo unum peccatum inficit omnia opera justorum, & à fortiori illa inficit peccatum originale.

IV. Homo nullum opus bonum potest ponere secundùm exigentiam legis Divinæ: ergo in omni opere peccat per defectum à lege. Ant. prob. Primum & maximum mandatum Divinum, à quo universa lex pendet & Prophetæ, est illud Matth. 22. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*: atqui hoc nullus justorum potest implere secundùm exigentiam legis & bonitatis Divinæ: ergo nullum opus bonum potest ponere secundùm exigentiam legis Divinæ, & consequenter in omni opere peccat per defectum à lege.

V. Si justi possent ponere opus ex omni parte perfectum, & in nullo deficiens, e. g. actum amoris Divini, & ex hujus imperio actus aliarum virtutum, tunc similem actum in judicio possent opponere iræ Divinæ: atqui hoc est contra sententiam Jobi supra in ob-

objectione 2. relatam: ergo. Præterea in judicio iræ Divinæ nihil poſſumus opponere niſi merita & obedientiam Chriſti usque ad mortem pro nobis peractam: ergo ſignum eſt, quòd opera juſtorum non ſubſiſtant in rigore judicii Divini.

℞. *ad 1.* c. ant. n. con. nam relati textus 92
solùm volunt, quòd etiam juſti ſæpius venialiter, ſaltem ſemideliberatè, peccent per concupiſcentiam, vanam gloriam, ſuperbiam, vel per impatientiam, iram &c. non verò, quòd etiam omnia illorum bona opera ſint peccata. Sicut igitur olim circa annum Domini 256. exorta fuit hæreſis Novatianorum & Catharorum, qui dicebant, juſtos eſſe & vivere ſine omni peccato; ita moderna hæreſis Lutheranorum & Calviniſtarum alterum extremum docet, quòd omnia opera etiam bona juſtorum ſint peccata. Medium ſemper docuit Eccleſia Catholica, nempe juſtos bene agere, quando exercent bona opera ſimplici oculo & pura intentione; eos tamen ſæpius peccare venialiter ex imperfectione humana: unde *Eccleſia Catholica à diverſis hæreticis ſemper in medio crucifigitur, ſicut Chriſtus inter duos latrones;* ùt ait S. Cyprianus & alii Patres.

Ad 2. c. ant. n. con. nam Job in primo textu vult, quòd non juſtificetur ullus homo compoſitus, ſeu comparatus Deo eſſentiali-

 ter

ter impeccabili; sed omnis homo etiam justus sæpius in vita peccet ad minùs venialiter, de quibus peccatis à Deo potest redargui. In secundo textu etiam optimè dicit Job, se vereri omnia opera sua, nè nempè in exercitio etiam bonorum operum peccaverit per concomitantem, antecedentem vel consequentem vanam gloriam, superbiam aut alium defectum. Cæterùm Job l. c. contra Lutheranos & Calvinistas docet, quòd Deus non parcat defectibus justorum venialibus; nam addit: *Sciens quòd non parceres delinquenti.*

Ad 3. c. ant. n. con. quia peccatum etiam præcedentia opera justorum non inficit ita, ut illa evadant mala; sed illa solùm moraliter mortificat, seu hominem privat jure formali ad amicitiam Divinam increatam, & vitam æternam; juxta illud dictum Divinum Ezechielis 18. v. 24. *Si autem averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem .. omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Idem vult l. c. Paulus; quia loquitur de eo, qui non permanet in omnibus, ad quæ lex sub gravi culpa obligat. S. Jacobus verò vult, quòd ille qui offendit in uno mortaliter, fiat omnium reus quoad finem legis, qui est amor Dei, & quoad offensam legislatoris omnium præceptorum; nam v. 11. subdit hanc rationem: *Qui enim di-*

dixit, non mœchaberis, dixit &, non occides. Quodsi non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.

Ad 4. n. ant. nam Deus exigit bonum opus secundùm mensuram actualium cuiuslibet hominis virium, seu secundùm mensuram gratiæ actualis & potentiæ naturalis; secundùm hanc mensuram verò quilibet potest liberè operari, si velit. Ad prob. c. maj. n. min. quoad 1. partem; nam Deus vult, ut quilibet illum diligat appretiativè super omnia secundùm mensuram gratiæ actualis & præsentium suarum virium; non verò vult, ut eum diligamus super omnia intensivè secundùm exigentiam suæ infinitæ bonitatis; quia hæc non potest adæquari nisi per amorem infinitum. Uno verbo Deus, cùm sit legislator sapientissimus, nihil exigit ultra præsentes hominis vires & facultatem moralem. Unde S. Augustinus tom. 6. lib. de fide contra Manichæos cap. 10. ait: *Quis non clamet stultum esse præcepta dare ei, cui libernm non est, quod præcipitur facere.* Et tom. 10. serm. 191. *Execramur etiam blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid à Deo esse præceptum, & mandata Dei non à singulis sed ab omnibus in communi posse servari.*

Ad 5. d. seq. maj. tunc similem actum possent in judicio opponere iræ Divinæ primariò; n. maj. possent opponere secundariò;

ſubd. prout ille fit per gratiam Divinam ex meritis Chriſti collatam, & ſecum habet annexum jus reſultans ex meritis Chriſti; c. maj. prout ille actus præcisè elicitur à nobis; n. maj. & ſic diſtinctâ min. n. con. Adid, quod additur, d. ant. In judicio iræ Divinæ nihil poſſumus opponere primariò & abſolutè, niſi merita & obedientiam Chriſti; c. ant. nihil poſſumus opponere ſecundariò & conditionatè; n. ant. & con. In hac vita iræ Divinæ primariò & abſolutè nihil poſſumus opponere niſi merita Chriſti ejúsque mortem pro nobis in cruce toleratam; quia ipſe eſt ſolus Mediator Dei & hominum, in quo poſuit iniquitates noſtras; & hoc ſolùm fide Divina abſoluta credimus. Noſtrum verò amorem, contritionem, aliásque ſatisfactiones, non poſſumus opponere iræ Divinæ niſi ſecundariò, cum tremore, & conditionatè; quia neſcimus, an ſimiles actus noſtri ſint ſupernaturales, perfecti, & ſine defectu. Imò, etſi hoc certò ſciremus, ſimiles actus non poſſemus opponere iræ Divinæ, prout ille liberè eliciuntur à nobis, ſed ſolùm, prout fiunt per gratiam Divinam à Deo propter merita Chriſti ex miſericordia collatam; quia ſub formalitate ſupernaturalitatis habent rationem meriti & ſatisfactionis.

93 *Quæres 10.* Cur Lutherani & Calviniſtæ præcedentes errores de bonis operibus tueantur.

℟. Lu-

℞. Lutherani & Calviniſtæ præcedentes errores de bonis operibus ideo tuentur & pertinaciter defendunt, ut poſſint opera etiam ſupernaturalia juſtorum à virtute ſecundaria juſtificandi & merendi vitam æternam excludere, ſicque ſolam fiduciam in merita Chriſti populo magìs commendare.

Reſponſio clarè colligitur ex libro Concordiæ Lutheranorum Dresdæ anno 1580. in folio edito, & Magdeburgi anno 1581. in quarto reimpreſſo, in quo art. 4. de bonis operibus dicitur: *Noſtra doctrina, fides, & confeſſio eſt, quòd bona opera veram fidem, ſi non mortua ſed viva fides eſt, certè & indubitatè ſequantur, tanquam fructus bonæ arboris.*

Et ſubditur: *Nos credimus, docemus, & confitemur etiam, quòd bona opera tamen tam, quando de ſalute quæritur, quàm in articulo de juſtificatione coram Deo, totaliter excludi debeant.* Et pro ſtabiliendo ſuo errore Lutherani l. c. præcipuè allegant illud Apoſtoli ad Epheſ. 2. v. 8. *Gratia enim ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt; non ex operibus, ut nè quis glorietur.*

Quam impertinenter autem hunc textum Apoſtoli pro fundamento ſui erroris ſtatuant, & illo abutantur manifeſtè patet ex eo, quòd Apoſtolus l. c. ſolùm loquatur de operibus naturalibus gentilium fidem præcedentibus; & aſſerat, per hæc opera Epheſios non me-

ruisse donum fidei; nam ibidem v. 11. ait: *Memores estote . . quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conversatione Israël . . & sine Deo in hoc mundo.* Ut igitur virtutem meritoriam bonorum operum tam circa justificationem quàm vitam æternam contra Lutheranos declaremus, sit

CAPUT IX.

Quomodo justi disponantur ad justificationem, eámque mereantur?

SUMMARIUM.

94. *Doctrina Concilii Tridentini de prima justificatione.*
95. *Ejusdem doctrina de acceptæ justificationis incremento.*
96. *Homo per opera, fidem de uno vero Deo antecedentia, nihil supernaturale meretur.*
97. *Homo per actum fidei, & alios actus amorem Dei præcedentes non meretur primam justificationem.*
98. *Quidnam homo fidelis per similes actus mereatur in statu peccati mortalis?*
99. *Impius tam per amorem Dei super omnia quam per contritionem perfectam de congruo meretur justificationem.*
100. *Quænam possint objici?*
101. *Hæc clarè solvuntur.*

102. Qua-

102. *Qualis actus amoris Divini & contritionis sit perfectissimus?*
103. *Homo justus per omnes actus supernaturales virtutum meretur augmentum justitiæ, seu gratiæ sanctificantis.*
104. *Quænam possint objici?*
105. *Hæc clarè solvuntur.*

QUæres 1. Quænam sit Doctrina Concilii 94
Tridentini de prima justificatione?

℞. Doctrina Concilii Tridentini de prima justificatione hominum præsertim infidelium, & nondum baptizatorum Sess. 6. cap. 6. est sequens: *Disponuntur autem ad justitiam, dum excitati Divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ Divinitus revelata & promissa sunt; atque illud imprimis, à Deo justificari impium per gratiam ejus per redemptionem, quæ est in Christo JEsu: &, dum peccatores se esse intelligentes, à justitiæ Divinæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illúmque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet: denique, dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare Divina mandata.*

Ad justificationem impii igitur per modum præviæ dispositionis ordinariè concurrunt sex sequentes actus peccatoris; nempe fides in Deum & Christum Mediatorem; timor justitiæ Divinæ peccatorum vindicativæ, spes & fiducia in misericordiam Divinam propter Christum; amor Dei saltem initialis; dolor & detestatio peccatorum propter Deum; & in infideli propositum suscipiendi Baptismum, in baptizato autem propositum suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ, & emendandi vitam.

95 *Quæres 2.* Quænam sit doctrina Concilii Tridentini de acceptæ justificationis incremento?

℞. Doctrina Concilii Tridentini de acceptæ justificationis incremento & augmento in justis Sess. 6. cap. 10. est sequens: *Sic ergo justificati, & amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem, renovantur, ùt Apostolus inquit, de die in diem: hoc est mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem, per observantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus crescunt, atque magìs justificantur, sicut scriptum est: Qui justus est, justificetur adhuc. Et iterum: Ne verearis usque ad mortem justificari. Et rursus: Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo & non ex fide tantùm. Hoc verò justitiæ incrementum*

tum petit ſancta Eccleſia, cum orat : da nobis Domine fidei, ſpei & charitatis augmentum. Ut autem ſingula, quæ ad præſentem controverſiam tam de prima juſtificatione quàm hujus augmento, nobis ordinatè innoteſcant; hinc

Quæres 3. Quidnam homo infidelis merea- 96
tur per opera fidem antecedentia ?

℞. Homo infidelis per opera fidem de uno vero Deo antecedentia non meretur fidem, aut gratiam ſupernaturalem. *Ita cum ſanctis Patribus communis Catholicorum, & aliorum, contra Semipelagianos.*

Reſponſio patet I. ex S. Scriptura ; nam Apoſtolus ad Epheſios (qui priùs erant infideles) 2. à v. 8. ait : *Gratia enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt ; non ex operibus, ut nè quis glorietur . . Propter quod memores eſtote . . quia eratis illo in tempore ſine Chriſto, alienati à converſatione Iſraël . . & ſine Deo in hoc mundo :* ergo Apoſtolus clarè docet, hominem infidelem per opera fidem de uno verò Deo antecedentia non mereri fidem, aut gratiam ſupernaturalem ad fidem. Unde etiam ad Hebr. 11. v. 6. inquit : *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.*

II. Conſtat ex ſanctis Patribus, inter quos S. Auguſtinus tom. 10. lib. de geſtis Pelagii cap.

cap. 14. col. 211. ait: *Nè quisquam existimet ad ipsam fidem meritis operum perveniri; cùm ipsa sit initium, unde bona opera incipiunt.* Idem docet alibi sæpius, & cum eo reliqui sancti Patres.

Ratio responsionis verò est: quia sine fide in unum verum Deum nihil potest fieri ex motivo supernaturali, & propter verum Deum; adeoque sine simili fide non datur ullum meritum supernaturale, & consequenter fides saltem de uno vero Deo non cadit sub meritum.

Dixi autem *de uno vero Deo*; nam, si quis crederet priùs in unum verum Deum, posset ex tali fide & cum gratia Divina operari supernaturaliter, sicque mereri fidem in Christum. Et in hoc sensu S. Augustinus tom. 10. lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 7. col. 798. ait: *Solet enim dici: Ideo credere meruit, quia vir bonus erat, antequam crederet. Quod de Cornelio dici potest, cujus acceptæ sunt eleemosynæ & exauditæ orationes, antequam crederet in Christum. Nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat; nam quomodò invocabat, in quem non crediderat?*

97 *Quæres 4.* An homo per actum fidei & alios actus, amorem Dei præcedentes, mereatur primam justificationem?

℞. Homo per actum fidei & alios actus amorem Dei præcedentes non meretur immediatè

diatè primam justificationem. *Ita cum sanctis Patribus Theologi communiter.*

Responsio patet ex textibus S. Scripturæ & sanctorum Patrum supra cap. 6. num. 57. & 58. relatis, in quibus dicitur, fidem non justificare sine charitate.

Ratio responsionis verò est: quia prima justificatio importat remissionem peccatorum & aversionis habitualis ab ultimo fine: atqui hanc remissionem meretur solus amor amicitiæ erga Deum, qui est perfecta conversio creaturæ ad Deum, tanquam finem cui: ergo fides & alii actus talem amorem Dei præcedentes non merentur immediatè primam justificationem. Unde 1. Joan. 3. v. 14. dicitur: *Qui non diligit, manet in morte.*

Neque obstat, quòd in sacris literis dicamur justificari per fidem, spem, timorem, & alios actus; nam per hos actus, saltem respectu primæ justificationis, solùm justificamur radicaliter, remotè, & dispositivè; quatenus nempe per illos disponimur ad amorem amicitiæ Divinæ & contritionis perfectæ, qui actus immediatè justificant. Unde S. Augustinus tom. 8. lib. 15. de Trinit. cap. 18. col. 990. ait: *Ipsam fidem non facit utilem, nisi charitas. Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non & prodesse.*

Quæres 5. Quidnam homo fidelis per simi- 98
les actus mereatur in statu peccati mortalis?

℞. Ho-

℞. Homo fidelis per similes actus amorem amicitiæ Divinæ & contritionem perfectam præcedentes in statu peccati mortalis meretur de congruo gratias uberiores ad amorem Divinum, contritionem, & debitam pœnitentiam, per quam dein consequi potest primam justificationem.

Ratio responsionis est: quia similes actus à peccatore eliciti intuitu obtinendæ à Deo peccatorum veniæ & justificationis non solùm sunt supernaturales, sed etiam habent à Deo promissas uberiores gratias ad obtinendam à Deo justificationem per amorem Divinum, contritionem perfectam, aut per Sacramentum pœnitentiæ: ergo similes uberiores gratias merentur de congruo. Ant. quoad 1. partem patet; quia similes actus fiunt ex motivo supernaturali, & fluunt ab habitu infuso fidei & gratiis actualibus; adeoque sunt actus intrinsecè supernaturales.

Quoad 2. partem constat ex Scriptura; nam Zachar. 1. v. 3. dicitur: *Convertimini ad me, ait Dominus: & ego convertar ad vos.* Et Tobiæ 12. à v. 8. *Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna . . quoniam eleemosyna à morte liberat, & facit invenire misericordiam.* Quòd autem similia opera & eleemosyna sine charitate non mereantur ipsam justificationem, clarè docet Apostolus 1. ad Corinth. 13. v. 3. *Et si distri-*

buero in cibos pauperum omnes facultates meas . . charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

Quæres 6. An impius tam per amorem supernaturalem Dei super omnia quàm per contritionem perfectam mereatur justificationem? 99

℞. *ad 1.* Impius per amorem supernaturalem amicitiæ Dei super omnia, saltem efficacem, de congruo meretur remissionem peccatorum & justificationem. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum contra Lutheranos & Calvinistas, qui putant, nos jam ante actum charitatis justificari per justitiam Christi fide apprehensam, & justificationem per nullum actum mereri; ut patet ex dictis supra cap. 6. per totum.*

Responsio patet I. ex S. Scriptura, quæ amori Divino tribuit meritum seu causalitatem justificationis. Sic enim Christus Lucæ 7. v. 47. Simoni Pharisæo de Maria Magdalena reposuit: *Propter hoc dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et Apostolus ad Galat. 5. v. 6. de fide viva ait: *In Christo JEsu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Item ad Rom. 5. v. 5. de spe efficaci: *Spes autem non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Unde etiam S. Petrus 1. Epist. 4. v. 8. inquit: *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

II. Constat ex sanctis Patribus, inter quos S. Chrysostomus tom. 11. homil. 4. in Epist. ad Thessal. cap. 3. ait: *Non est, non est ullum peccatum, quod non tanquam ignis consumat vis charitatis & dilectionis. Faciliùs enim resistit vile sarmentum magno ignis rogo, quàm natura peccati potestati charitatis.* S. Ambrosius in Epist. ad Galat. 5. cap. 5. *Sola fide opus est in charitate ad justificationem.* Et S. Augustinus tom. 5. serm. 2. de tentatione Abrahæ col. 10. docet, quosdam gentiles credentes, antequam eis prædicasset Paulus, & consequenter etiam antequam eos baptizasset, fuisse justificatos per fidem & charitatem, dicens: *Cùm fides per dilectionem operetur in corde, etiam si foras non exit in opere.*

III. Nobis Catholicis certò constat ex propositionibus oppositis, & à Summis Pontificibus damnatis; nam Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. inter alias propositiones Michaëlis Baii damnarunt etiam istam 31. *Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis quàm pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* Et 70. *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis potest habere veram charitatem; & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.*

Ratio responsionis verò est: quia actus charitatis, seu amor amicitiæ Divinæ, est actus

actus præstantissimæ virtutis, finis legis, & adimpletio primi & maximi mandati, à quo universa Lex pendet & Prophetæ; uti omnia patent ex S. Scriptura locis supra cap. 6. num. 57. relatis: ergo impius per talem actum meretur de congruo remissionem peccatorum & justificationem. Con. patet; quia per talem amorem homo impius se convertit ad Deum tanquam ultimum finem cui, à quo per peccatum priùs fuit aversus.

Addidi autem in responsione per amorem Dei *saltem efficacem*; quia verus amor Dei debet in peccatore statim generare contritionem de peccatis & propositum vitæ melioris. Ratio hujus est: quia peccator sciens, se esse in statu peccati mortalis, nequit elicere amorem amicitiæ perfectum erga Deum, nisi simul eliciat contritionem & dolorem de peccatis mortalibus. Item amor Dei efficax debet generare propositum servandi omnia mandata Dei & Ecclesiæ; adeoque etiam propositum confitendi peccata mortalia, ùt ex sequentibus magìs patebit.

℞. *ad 2.* Impius etiam per contritionem perfectam, seu dolorem de peccatis propter Deum summè bonum, saltem efficacem, meretur de congruo remissionem peccatorum & justificationem. *Ita iterum cum sanctis Patribus communis Catholicorum contra Lutheranos & Calvinistas, qui putant, nos jam ante actum amoris*

& contritionis justificari per justitiam Christi sola fide apprehensam, & per nullum actum mereri justificationem.

Responsio patet I. ex iisdem S. Scripturæ & Patrum testimoniis, quibus præcedens; nam contritio perfecta est odium peccati propter Deum summè bonum, & pertinet ad charitatem, tanquam ejus actus secundarius: ad eandem quippe virtutem pertinet amare bonum & odisse malum ei oppositum.

II. Nobis Catholicis certò constat ex Concilio Tridentino Sess. 14. de pœnit. cap. 4. ubi dicitur: *Docet præterea* (nempe sacra Synodus) *etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquàm hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominùs reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

Ubi duo à Concilio declarantur, I. quòd contritio charitate perfecta, seu quæ est odium & detestatio peccati propter Deum summè bonum offensum, justificet peccatorem extra Sacramentum pœnitentiæ, & antequam hoc actu suscipiatur. II. Quòd similis contritio perfecta Sacramentum pœnitentiæ seu propositum peccata sacramentaliter confitendi debeat includere. Interim tamen non est necessarium propositum formale & distinctum ab actu contritionis, sed sufficit propositum

ſitum virtuale & contritioni identificatum; nam Concilium ſignanter addit: *Quod in illa includitur.*

Unde ſufficit, quòd peccator virtualiter, implicitè, & vi ipſius contritionis ſit ita diſpoſitus, ut, ſi obligatio peccata confitendi ei incideret, vel ille occaſionem hæc confitendi haberet, ea ſacramentaliter confiteri vellet; uti communiter advertunt Theologi.

Ratio reſponſionis verò eſt: quia contritio ſupernaturalis & perfecta non ſolùm eſt odium & deteſtatio peccati propter Deum ſummè bonum offenſum ſed etiam ſimul eſt amor Dei ſummè boni; adeoque eſt averſio à peccato & converſio ad Deum, tanquam finem cui ultimum, & conſequenter in linea morali meretur remiſſionem peccati & infuſionem gratiæ juſtificantis.

Quæres 7. Quænam contra præcedentes reſponſiones poſſint objici? 100

℟. Sequentia, I. nos juſtificamur à Deo prorſus gratis per ipſam juſtitiam Chriſti: ergo per nullum actum meremur juſtificationem. Ant. prob. Apoſtolus ad Rom. 3. v. 24. ait: *Juſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem, quæ eſt in Chriſto JEſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum*: ergo nos à Deo juſtifica-

mur prorſus gratis per juſtitiam Chriſti ſola fide apprehenſam.

II. Si per amorem amicitiæ Divinæ & contritionem perfectam mereremur de congruo noſtram juſtificationem, tunc poſſemus de tali merito & juſtificatione noſtra gloriari: atqui Deus ita nos gratìs juſtificat, ut non poſſimus de merito & juſtificatione noſtra gloriari: ergo. Maj. patet; quia quilibet poteſt gloriari de ſuo merito. Min. prob. Apoſtolus ad Epheſ. 2. v. 8. inquit: *Gratia enim ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt; non ex operibus, ne quis glorietur:* ergo.

III. Præter ea, quæ ſupra cap. 6. objecta & ſoluta fuerunt, adhuc poteſt objici doctrina Concilii Tridentini, quod Seſs. 6. cap. 8. ait: *Gratis autem juſtificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur:* ergo juxta Concilium Tridentinum prima juſtificatio eſt prorſus gratuita, ita ut ipſam peccator neque de congruo mereatur per amorem Dei ſuper omnia, aut per contritionem perfectam.

IV. S. Auguſtinus tom. 2. Epiſt. 186. col. 666. num. 9. ait: *Juſtificati igitur ex fide pacem habemus ad Deum per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum: juſtificati autem gratis per gratiam ipſius, nè fides ipſa ſuperba ſit:* ergo juſtificatio prima hominis eſt ita prorſus gratuita, ut homo illam

lam neque per fidem, neque per alium actum ullo modo mereatur. Præterea S. Augustinus tom. 10. lib. 2. contra Julian. cap. 146. inquit: *Si ergo ex justorum imitatione justitia, Christus gratis mortuus est:* ergo justitiam non meremur per amorem Dei & contritionem ad exemplum justorum elicitam.

℞. *ad 1.* n. ant. quoad τò *prorsus gratis;* licèt 101
enim parvuli justificentur per Baptismum sine cooperatione propria, adulti tamen secundariò & instrumentaliter justificantur ex cooperatione propria, per gratiam, quæ datur ex meritis Christi, ab illis posita. Præterea non justificantur formaliter per justitiam Christi, sed per jus adoptionis resultans ex ordinatione Divina & meritis Christi; ùt declaravi supra cap. 6. num. 55. & 56.

Ad prob. c. ant. n. con. nam licèt Apostolus l. c. dicat, nos justificari *gratis*, excludendo opera naturalia, quæ præcedunt fidem, aut etiam opera cæremonialia; non tamen dicit, nos justificari *prorsus gratis*, excludendo fidem, & opera interna supernaturalia, quæ fidem consequuntur, & justificationem per modum dispositionis, seu meriti de congruo, præcedere debent. Quod manifestè patet ex ipso Apostolo, qui cap. præced. seu 2. ad Rom. v. 5. ait: *Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ & revelátionis justitiæ Dei, qui reddet unicuique se-*

secundùm opera ejus. Item v. 13. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Et postquam cap. 3. opera naturalia & circumcisionem à merito justificationis rejecisset, cap. 4. v. 3. de fide inquit: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Item cap. 5. v. 5. de spe & charitate, quæ fidem consequuntur, subdit: *Spes autem non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

Ad 2. d. seq. maj. tunc possemus de tali merito gloriari in Domino, & prout tale meritum producitur per gratiam supernaturalem, nobis à Deo ex meritis Christi collatam; c. maj. possemus gloriari de tali merito in nobis, & prout illud elicitur præcisè ex viribus nostri liberi arbitrii; n. maj. & sic distinctâ min. n. con. Ad prob. c. ant. n. con. nam Apostolus l. c. non dicit, quòd nos per fidem, spem & charitatem non mereamur justificationem, sed solùm, quòd per opera naturalia, quæ fidem præcedunt, non mereamur ipsam fidem; ùt patet ex citatis Apostoli verbis: *Et hoc non ex vobis, Dei enim donum* (fides) *est; non ex operibus* (nempe naturalibus fidem præcedentibus) *ne quis glorietur.* Apostolus igitur vult primò, quòd non possimus gloriari de operibus fidem præcedentibus, seu de merito primæ gratiæ, quæ est prin-

principium merendi. Secundò, quòd non possimus gloriari de fide & operibus supernaturalibus hanc consequentibus, quasi ista essent præcisè ex nostris viribus & sine gratia Dei; nam 1. ad Corinth. 4. v. 7. ait: *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Cæterùm, quòd possimus gloriari de operibus supernaturalibus, prout ista elicimus cum gratia Divina ex meritis Christi collata (saltem si sciremus aliquod opus in particulari esse supernaturale) in duplici loco clarè docet idem Apostolus Paulus; nempe 1. ad Corinth. 4. v. 5. dicens: *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo.* Et 2. ad Corinth. 10. v. 17. *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur: non enim, qui se ipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat.*

Ad 3. explico Concilium Trident. nihil eorum, quæ justificationis gratiam præcedunt, ipsam justificationis gratiam promeretur de condigno; c. ant. nihil justificationis gratiam promeretur de congruo; n. ant. & con. Neque de hac mente Concilii Trident. ullum est dubium; nam eadem Sess. 6. cap. 6. ait: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipien-*

 tes,

tes, liberè moventur in Deum: ubi per dispositionem intelligit meritum de congruo. Quòd autem peccator neque per dilectionem Dei super omnia de condigno mereatur primam justificationem, ratio est; quia pro priori signo naturæ non est in statu gratiæ sanctificantis, qui status requiritur ad meritum de condigno.

Ad 4. dico S. Augustinum in primo textu velle, quòd fides supernaturalis, quæ disponit ad justificationem, non sit ex viribus solius naturæ sed per gratiam ex meritis Christi à Deo collatam, nè quis de ipsa fide possit superbire. Cæterùm, quòd fides efficax, quæ charitatem operatur, inchoet meritum justificationis, clarè docet S. Augustinus tom. 10. lib. de prædest. Sanctorum cap. 3. col. 794. dicens: *Fides inchoat meritum, ut per munus Dei bene operetur . . sed fidei meritum etiam ipsum est donum Dei.* In secundo textu verò S. Augustinus vult, quòd justitia non sit ex imitatione justorum præcisè per vires naturæ sed per gratiam ex meritis Christi collatam; nam aliàs sufficeret solùm exemplum justorum, & Christus gratis mortuus esset pro nostra salute. Hoc iterum clarè patet ex S. Augustino, qui eodem tom. 10. lib. 4. contra Julianum Pelagianum cap. 3. col. 593. inquit: *Sicut de lege verissimè ait Apostolus: Si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est; ita verissimè dicitur:*

Si

Si per naturam voluntatémque juſtitia , ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Ex quo loco clarè conſtat, quòd S. Pater ſolùm rejiciat meritum juſtitiæ per vires ſolius naturæ , non verò meritum juſtitiæ per gratiam.

Quæres 8. Qualis actus amoris Divini & 102
contritionis ſit perfectiſſimus?

℞. Actus perfectiſſimus amoris Divini eſt, quo homo Chriſtianus , poſt elicitum actum fidei de myſterio Incarnationis Verbi Divini propter noſtram ſalutem, Deum propter ſuam infinitam bonitatem & hanc ſummam ejus benevolentiam ſuper omnia diligit: & actus perfectiſſimus contritionis eſt , quo homo Chriſtianus poſt ſimilem actum fidei ſincerè dolet de ſuis peccatis propter offenſam bonitatem & ſanctitatem Divinam, qua Deus ita deteſtatur peccata , ut ad ea tollenda voluerit Filium Dei aſſumere naturam humanam , & ſecundùm hanc ſubire amariſſimam mortem Crucis. *Ita quoad rem communis Catholicorum.*

Reſponſio colligitur I. ex S. Scriptura ; nam Chriſtus ipſemet nobis commendavit hanc benevolentiam Divinam, & conſequenter amorem Dei mutuum, Joan. 3. v. 16. dicens: *Sic enim Deus dilexit mundum , ut Filium ſuum unigenitum daret.: ut omnis, qui credit in eum , non pereat , ſed habeat vitam æternam.* Quòd autem hæc benevola ordinatio Divina ſit maximum nobis motivum & argumentum mutui amoris

 erga

erga Deum, docet S. Augustinus tom. 6. lib. de cathechizandis rudibus cap. 4. col. 267. dicens: *Quæ autem major est causa adventûs Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis, commendans eam vehementer; quia, cùm adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est . . Si ergo maximè propterea Christus advenit, ut cognosceret homo, quantum eum diligat Deus; & ideo cognosceret, ut in ejus dilectionem, à quo prior dilectus est, inardesceret &c.* Idem dein repetit lib. cit. cap. 22. col. 288.

II. Colligitur ex Concilio Tridentino, quod Sess. 6. cap. 6. de modo præparationis ad justificationem ait: *disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt; atque illud* Imprimis *à Deo justificari impium per gratiam ejus per redemptionem, quæ est in Christo JEsu: &, dum peccatores se esse intelligentes, à Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium.*

Ratio responsionis verò est: quia in æstimatione morali perfectissimus amor Dei erga nos est, quòd Deus voluerit Filium suum assumere naturam humanam, ut ille in hac pro

pec-

peccatis noſtris ſatisfaceret, ſatispateretur, & nobis æternam beatitudinem mereatur; ſicque Deus nos per tam ſingulare medium Incarnationis Verbi Divini poſſet in æternum ſecum beare: ergo etiam ex parte noſtra in æſtimatione morali perfectiſſimus amor eſt, quo Deum ſuper omnia diligimus propter ejus infinitam bonitatem, & hanc ſingularem benevolentiam, qua nos ſecum vult in æternum beare. Maj. patet; quia non eſt poſſibile majus donum quàm Incarnatio Verbi Divini & beatitudo æterna cum Deo. Con. etiam conſtat; quia in æſtimatione morali perfectiſſimus amor eſt amor mutuus amicitiæ & benevolentiæ.

Præterea infinita bonitas, beatitudo, & hæc ſpecialis benevolentia Divina erga nos miſeros homines non ſolùm eſt motivum amandi Deum efficaciſſimum ſed etiam puriſſimum: ergo amor, quo Deum diligimus propter ejus infinitam bonitatem, beatitudinem, & propter ſingularem benevolentiam, qua nos per Incarnationem Verbi Divini vult ſecum in æternum beare, eſt amor perfectiſſimus, puriſſimus, & ſecuriſſimus. Vide authoritatem S. Thomæ *infra cap. 11. num. 119.*

Idem eſt de actu contritionis, quo quis ſincerè & efficaciter dolet de ſuis peccatis; quia per illa Deum ſummè bonum, ſanctum, & benevolum offendit: talis quippe amor & con-

contritio procedit, & dirigitur à primario actu fidei Christianæ.

103 *Quæres 9.* An homo justus per omnes actus supernaturales virtutum mereatur augmentum justitiæ?

℞. Homo justus per omnes actus supernaturales virtutum meretur augmentum justitiæ, seu gratiæ sanctificantis. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum contra Lutheranos & Calvinistas, qui dicunt, hominem etiam fidelem per nullum actum mereri justificationem, sed gratis justificari per justitiam Christi fide speciali apprehensam.*

Responsio patet I. ex S. Scriptura; nam Psalm. 83. v. 8. de Deo & justis dicitur: *Benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.* Ad Rom. 6. v. 19. *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Jacobi 2. v. 24. *Videbitis, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.* 1. Joan. 3. v. 7. *Filioli nemo vos seducat: qui facit justitiam, justus est; sicut & ille justus est.* Et Apocal. 22. v. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc.* Unde jam prius Ecclesiasticus 18. v. 22. admonuit: *Ne verearis usque ad mortem justificari: quoniam merces Dei manet in æternum.* Idem unanimi-

nimiter docent sancti Patres in citatos textus Scripturæ.

II. Constat ex Concilio Tridentino, quod Sess. 6. cap. 10. de acceptæ justificationis incremento juxta relatos Scripturæ textus ait: *Sic ergo justificati, & amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem: hoc est mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem, per observantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atque magis justificantur; sicut scriptum est: qui justus est, justificetur adhuc. Et iterum: Ne verearis usque ad mortem justificari. Et rursus: Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.*

Et eadem Sess. Can. 24. statuit: *Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, neque etiam augeri coram Deo per bona opera; sed ipsa opera fructus solummodò & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam; anathema sit.*

Ratio responsionis verò est: quia actus charitatis & alii actus supernaturales justorum, qui à charitate imperantur, non solùm habent sufficientem proportionem ad merendum augmentum justitiæ, sed etiam illis à Deo promissum est augmentum justitiæ: ergo homo justus per similes actus supernaturales meretur

retur augmentum justitiæ. Ant. quoad 1. membrum patet; quia tales actus sunt supernaturales, sicut supernaturalis est habitus charitatis infusæ; adeoque cum hoc habitu, in quo radicaliter & partialiter consistit justitia, habent sufficientem proportionem.

Quoad 2. membrum verò constat ex Scriptura; nam Christus Joan. 14. v. 23. dixit: *Qui diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Hæc autem mansio Divina specialis in justis habetur per justitiam, seu habitum charitatis infusum; juxta illud 1. Joan. 4. v. 16. *Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

104 *Quæres 10.* Quænam objiciant Lutherani & Calvinistæ?

R. Præter illa, quæ supra cap. 6. num. 56. num. 59. & seqq. item cap. 8. num. 87. 91. objecta fuerunt, hìc adhuc specialiter objiciunt I. Licèt bona opera à fidelibus renatis peracta Deo placeant tanquam fructus fidei, tamen non habent vim merendi augmentum justitiæ: ergo. Ant. prob. Apostolus Paulus 1. ad Corinth. 4. v. 4. ait: *Nihil enim mihi conscius sum* (nempe in neglecto munere Apostolatûs) *sed non in hoc justificatus sum:* ergo vult, quòd opera bona in munere Apostolico peracta non habeant vim merendi justitiam aut hujus augmentum.

II. Quan-

II. Quando S. Jacobus 2. v. 24. ait : *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm*, solùm vult, quòd Abraham fuerit justificatus propter voluntatem offerendi filium Isaac apud homines ; aut quòd Deus hanc voluntatem justam pronuntiaverit tanquam fructum fidei ; non verò, quòd illa voluntas Abrahæ habuerit vim merendi augmentum justitiæ : ergo ex illo textu nihil probatur. Ant. prob. Paulus ad Rom. 4. v. 2. expressè ait : *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum* : ergo.

III. Si homo justus per singula opera supernaturalia mereretur augmentum intrinsecum justitiæ, seu habitus charitatis aliarúmque virtutum, tunc habitus charitatis nimium intenderetur in justis, plurima opera supernaturalia exercentibus, & in his deberet dari experimentum talis intensionis : atqui non datur experimentum talis intensionis : ergo. Min. patet ; quia nemo advertit talem intensionem. Maj. prob. Talis intensio inesset animæ ejúsque potentiis : ergo deberet dari experimentum talis intensionis ; sicut datur experimentum frigoris aut caloris in corpore.

℞. *ad 1.* n. ant. nam bona opera non so- 105
lùm habent debitam proportionem cum justitia, utpote ejusdem ordinis supernaturalis, sed etiam illis à Deo promissum est augmentum

tum justitiæ, seu habitus charitatis & juris ad vitam æternam; ùt patet ex textibus pro nostra responsione relatis: adeoque habent vim proximam merendi augmentum justitiæ. Ad prob. c. ant. n. con. nam Apostolus solùm vult, quòd, quamvis nullius infidelitatis in munere Apostolico sibi sit conscius, in hoc tamen non sit certè justificatus; eò quòd possint latere occulti defectus. Non verò vult, quòd opera supernaturalia justorum, si debita intentione peragantur, non sint meritoria augmenti justitiæ. Totum hoc clarè patet ex ipso Apostolo, qui l. c. v. 5. subjungit: *Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo.*

Ad 2. n. ant. nam S. Jacobus l. c. v. 23. præmisit: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, & amicus Dei appellatus est;* adeoque manifestè loquitur de merito fidei & aliorum operum coram Deo, & quoad augmentum justitiæ. Ad prob. c. ant. d. con. ergo opera cæremonialia & externa antiquæ legis non habuerunt vim merendi augmentum justitiæ; c. con. opera moralia interna, & supernaturalia, quæ fidem & primam justificationem consequuntur; n. con. Apostolus Paulus l. c. manifestè loquitur solùm de operibus legis cæremonialis & circumcisio-

cisione, non verò de operibus fidei internis; nam v. 1. ex præcedente capite infert, & præmittit: *Quid ergo dicemus invenisse Abraham* (nempe justitiam & gratiam coram Deo) *secundùm carnem*, id est, circumcisam. Et de hoc opere circumcisionis cæremoniali v. 2. subjungit: *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.*

Ad 3. n. seq. maj. nam habitus charitatis infusæ, quem in hac vita aquirimus, & in altera vita *non excidit*, non intenditur nimium, sed secundùm mensuram meritorum & causalitatis Sacramentorum. Unde S. Augustinus tom. 10. lib. de natur. & grat. cap. ult. col. 164. ait: *Charitas inchoata inchoata justitia est, charitas provecta provecta justitia est . . charitas perfecta perfecta justitia est.* Neque in justis debet dari experimentum intensioris charitatis habitualis; quia hæc est qualitas supernaturalis; cujus non habemus species intentionales impressas proprias, neque aliud experimentum. Ad prob. c. ant. n. con. ob eandem rationem. Neque est paritas de frigore & calore in corpore; nam hæ qualitates materiales & naturales excitant per se corpus ad sensationem, non vero habitus charitatis, utpote supernaturalis, animam ad sui cognitionem; cùm non producat species sui intentionales, sed solùm det simpliciter posse ad Deum amandum.

CAPUT X.

An & quomodo homo justus per opera bona mereatur vitam æternam?

SUMMARIUM.

106. *Decretum prædestinationis præcedit scientia conditionalium.*
107. *Quadruplex datur decretum Divinum in negotio æternæ salutis electorum.*
108. *Opera bona fidelium, quæ fiunt ex motivo supernaturali, sunt intrinsecè & entitativè supernaturalia.*
109. *Opera bona justorum sunt à Deo præcepta, eique placent.*
110. *Operibus bonis justorum à Deo promissa est vita æterna per modum præmii & mercedis.*
111. *Opera bona justorum verè merentur vitam æternam.*
112. *Quænam objiciant Lutherani?*
113. *Hæc clarè solvuntur.*
114. *Opera supernaturalia justorum, prout præcisè eliciuntur per gratiam, & præciso jure, ex meritis Christi simul resultante, non merentur de condigno vitam æternam, quà æternam.*
115. *Solvuntur quædam objectiones.*
116. *Opera justorum, prout in linea morali sunt causa instrumentalis meritorum Christi, in com-*

complexo de condigno & ex justitia merentur vitam æternam.

117. *Quænam possint objici?*

118. *Hæc clarè solvuntur.*

UT præsentem controversiam clariùs intelligamus, & ad objectiones Hæreticorum solidius respondere possimus, *Nota 1.* Quòd decretum prædestinationis secundùm nostrum concipiendi modum & prioritate independentiæ in Deo præcedat scientia conditionatè futurorum; ùt patet ex Apostolo, qui ad Rom. 8. v. 29. agens de prædestinatione justorum ad gloriam, ait: *Quos præscivit, & prædestinavit . . quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Item 2. ad Timoth. 2. v. 19. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus, qui sunt ejus.* Idem inter alios Patres docet S. Augustinus, qui sæpissimè docet, Deum præscire non solùm futura absoluta sed etiam conditionata; quamvis contra Semipelagianos rejiciat à merito bona opera solùm conditionatè futura. Ratio hujus verò est: quia Deus est infinitè intellectivus, & omnium veritatum creatarum supercomprehensivus; adeoque necessariò debet cognoscere tam conditionatè quàm abso- 106

lutè futura; uti contra Socinianos declaravi tract. 3. v. 4. à num. 40.

107 *Nota 2.* Quòd quadruplex detur decretum Divinum circa ſalutem electorum completè ſumptam; nempe *decretum electionis*, quod à Scholaſticis ſolet appellari decretum prædeſtinationis intentivum; *decretum vocationis*, ſeu gratiæ tam externæ prædicationis, quàm præcipuè internæ illuminationis collativum; *decretum juſtificationis*, ſeu peccatorum remiſſivum, & juſtitiæ infuſivum; & tandem *decretum glorificationis*, ſeu juſtis poſt hanc mortalem vitam æternæ gloriæ collativum. Hoc quadruplex decretum Divinum clarè expreſſit Apoſtolus ad Rom. 8. v. 29. verbis priori num. relatis. Idem patet ex aliis plurimis S. Scripturæ locis, in quibus jam exprimitur decretum electionis, jam decretum juſtificationis, jam glorificationis. Licèt autem hæc quatuor decreta Divina ſint realiter unum decretum, diſtinguuntur tamen virtualiter intrinſecè, aut extrinſecè, & ſecundùm noſtrum concipiendi modum formaliter propter diverſa connotata & præcipuè propter diverſum eorum motivum formale.

Porrò decretum electionis eſt prorſus gratuitum; quia pro ſuo motivo habet ſolam miſericordiam Divinam, & quilibet homo in aliquibus circumſtantiis à Deo prævidetur finaliter in bono perſeveraturus, in aliis verò

non

non perſeveraturus. Decretum vocationis eſt pariter prorſus gratuitum; quia pro ſuo motivo habet miſericordiam Divinam, & nullus homo poteſt per opera naturalia mereri gratiam vocationis, ſeu initium ſalutis. Decretum juſtificationis, primæ ſaltem, eſt pariter in rigore gratuitum; quia peccator, utpote inimicus Dei, non poteſt de condigno mereri remiſſionem peccatorum & infuſionem juſtitiæ, ſed ad hanc ſolùm de congruo ſe diſponere; ùt patet ex dictis cap. præced. Decretum glorificationis verò ſaltem reſpectu adultorum eſt oneroſum; quia pro motivo primario habet juſtitiam Dei remunerativam, & pro ſecundario merita Chriſti & propria juſtorum; ùt dixi tract. 3. cap. 8. num. 97. Ut igitur præſens controverſia ordinatè decidatur.

Quæres I. An opera bona fidelium ſint intrinſecè ſupernaturalia? 108

℞. Opera bona fidelium, quæ fiunt ex motivo ſupernaturali, ſunt intrinſecè & entitativè ſupernaturalia. *Ita cum ſanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam Lutheranorum & Calviniſtarum, contra Pelagianos & modernos Socinianos, qui putant opera bona fieri præcisè per vires naturæ ſine gratia ſupernaturali interna, & conſequenter eſſe entitativè naturalia.*

Reſponſio abundè patet ex textibus S. Scri-

pturæ, Patrum, & Conciliorum tract. 7. cap. 9. num. 104. relatis.

Ratio responsionis verò est : quia Deus etiam ùt author supernaturalis agit ordinatissimè, & vult, ut per fidem & bona opera mereamur vitam æternam : ergo hoc ipso fidelibus dat gratias supernaturales ad eliciendam fidem & opera bona intrinsecè supernaturalia ; quia fides & opera bona purè naturalia non possunt disponere, mereri, & activè exigere vitam æternam, utpote entitativè supernaturalem. De quo plura dixi t. c. cap. 6. num. 63.

109 *Quæres 2.* An opera bona fidelium sint à Deo præcepta, eique placeant?

℟. *ad 1.* Bona opera fidelium seu fidelibus sunt à Deo præcepta. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam Calvinistarum, & Lutheranorum præsertim post librum Concordiæ contra suum primævum errorem ; item contra Pseudoapostolos, Simonem Magum, Valentinianos, & Eunomianos ; uti omnia fusiùs patent ex dictis supra cap. 5. à num. 47.*

Ratio responsionis est : quia sola lex cæremonialis non verò lex moralis fuit à Christo abrogata : ergo opera bona sunt fidelibus in novo testamento præcepta, sicut præcepta fuerunt in antiquo testamento. Ant. abundè patet ex dictis tract. 7. cap. 15. num. 177. & seqq.

℟. *ad*

℞. *ad 2.* Bona opera fidelium placent Deo. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum, Calvinistarum, & Lutheranorum post librum Concordiæ; uti etiam antea docuit Melanchthon quæst. 3. fol. 208. & plures alii Lutherani.*

Responsio patet ex S. Scriptura; nam Christus Joan. 8. v. 29. de bonis operibus ait: *Ego, quæ placita sunt ei* (nempe Deo Patri) *facio semper.* Et Apostolus ad Rom. 14. v. 18. de justitia, pace & gaudio in Spiritu Sancto inquit: *Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo.* Ad Coloss. 1. v. 10. *Ut ambuletis dignè, Deo per omnia placentes.* 1. ad Thessal. 4. v. 1. *Rogamus vos in Domino nostro JEsu Christo, ut quemadmodum accepistis à nobis, quomodo vos oporteat ambulare, & placere Deo, sic & ambuletis, ut abundetis magis.* Idem patet ex plurimis aliis S. Scripturæ locis & communi doctrina sanctorum Patrum.

Ratio responsionis verò est: quia opera bona fidelium præsertim justorum, quæ fiunt ex motivo supernaturali per gratiam, non solùm sunt entitativè supernaturalia sed etiam secundùm exigentiam sapientiæ, sanctitatis & voluntatis Divinæ peracta in obsequium Dei: ergo hoc ipso placent Deo; quia per illa satisfit exigentiæ sapientiæ, sanctitatis, & voluntatis Divinæ.

Præterea ideo opera mala displicent Deo, quia sunt contra exigentiam sapientiæ, sanctita-

ctitatis, & voluntatis Divinæ: ergo à contrario opera bona fidelium præsertim justorum placent Deo; quia sunt peracta in obsequium Divinum juxta exigentiam sapientiæ, sanctitatis, & voluntatis Divinæ.

110 *Quæres 3.* An bonis operibus sit promissa vita æterna per modum prœmii & mercedis?

℟. Bonis operibus justorum à Deo promissa est vita æterna per modum prœmii & mercedis. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam Maioristarum, Arminianorum, & plurium Calvinistarum apud Mentzerum in exegesi Confessionis August. art. 5. contra rigidiores Lutheranos & Calvinistas: qui dicunt bonis operibus solùm esse à Deo promissa bona corporalia & spiritualia hujus vitæ.*

Responsio patet I. ex S. Scriptura; nam Apostolus 1. ad Timoth. 4. docet vitam æternam generaliter esse bonis operibus promissam dicens: *Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Et de hac sua doctrina signanter subdit: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus.* Jacobi 1. v. 12. dicitur: *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Eodem modo Paulus vitam æternam appellat coronam bonorum operum 2. ad Timoth. 4. à v. 7. dicens: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita*

ta est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi, Dominus in illa die justus judex, non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus. Quòd autem vita æterna sit à Deo justis promissa, & altera vita justis conferatur per modum mercedis patebit ex textibus S. Scripturæ seq. num. referendis.

II. Constat ex unanimi doctrina sanctorum Patrum, & Concilii Tridentini, quod Sess. 6. cap. 14. ait: *Ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tanquam gratia Filiis Dei per JEsum Christum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis operibus & meritis fideliter reddenda.*

Quæres 4. An opera bona justorum verè mereantur vitam æternam. 111

℟. Opera bona justorum seu justi per bona opera verè merentur à Deo vitam æternam. *Ita cum sanctis Patribus iterum communis Catholicorum, Majoristarum, Arminianorum, & plurium Calvinistarum, aliorumque omnium contra rigidiores Lutheranos & Calvinistas.*

Responsio patet I. ex S. Scriptura; nam Christus Matthæi 5. v. 12. postquam diversas virtutes & tribulationes justorum, & correspondentes beatitudines enarrasset, subdit: *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Matth. 20. v. 8. sub parabola ait: *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Et Matt. 25. v. 34. in extremo ju-

dicio electis dicturus est: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.* Eodem modo Lucæ 6. v. 23. inquit: *Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cœlo.* Et alibi sæpius vitam æternam docet esse bonorum operum mercedem.

Christo consonat Paulus Apostolus ad Rom. 2. v. 6. de justo Dei judicio dicens: *Qui reddit unicuique secundùm opera ejus: iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem &c.* I. ad Corinth. 3. v. 8. *unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* II. ad Corinth. 4. v. 17. *Quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus (NB.) operatur in nobis.* Ad Galat. 6. v 8. *Qui seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam.* Et I. ad Corinth. 15. v. 58. nos admonet: *Itaque Fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles: abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.* Idem I. ad Timoth. 4. v. 8. postquam dixisset: *Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ:* subdit: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus.* Videant igitur Lutherani & Calvinistæ, qui hunc sermonem Apostoli in suo sensu

ſenſu non acceptant, & tam claram doctrinam Apoſtoli ad ſenſum improprium detorquere conantur.

Taceo innumeros alios textus totius S. Scripturæ, in quibus reſpectivè exercitio cujuslibet virtutis in ſpecie, victoriæ tentationum, & obſervantiæ mandatorum à Deo promittitur in prœmium vita æterna; econtra pro peccatis gravibus & impœnitentia etiam fidelibus ſtatuitur pœna æterna.

II. Conſtat ex unanimi doctrina ſanctorum Patrum in citatos Scripturæ textus & Concilii Tridentini, quod Seſſ. 6. cap. 14. & can. 24. ait: *Si quis dixerit, juſtos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare & ſperare æternam retributionem à Deo per ejus miſericordiam, & JEſu Chriſti meritum, ſi bene agendo, & Divina mandata cuſtodiendo usque in finem perſeveraverint; anathema ſit.* Et can. 32. *Si quis dixerit, hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita; aut ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & JEſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema ſit.*

Ratio reſponſionis verò eſt: quia opera bona juſtorum, quæ fiunt ex motivo ſupernatu-

naturali & in obsequium Dei, non solùm fiunt secundùm exigentiam sapientiæ sanctitatis & voluntatis Divinæ, sed etiam per influxum gratiæ supernaturalis, à Deo ex meritis Christi collatæ, sunt elevata ad ordinem entitativè supernaturalem: ergo verè apud Deum propter influxum similis gratiæ merentur vitam æternam. Ant. quoad singula membra est certum; quia bona opera justorum à Deo præcipiuntur secundùm exigentiam sapientiæ & sanctitatis Divinæ, & Deus ad illa elicienda dat gratiam supernaturalem; ùt cum Catholicis fatentur Lutherani & Calvinistæ contra Pelagianos. Con. prob. Ens supernaturale quoad substantiam seu entitatem intrinsecam est, quod ex sua perfectione Deum quidditativè sumptum, seu prout est in se, exigit formaliter vel activè immediatè aut mediatè habere pro suo termino: ergo hoc ipso, quòd bona opera justorum sint à Deo præcepta secundùm exigentiam sapientiæ & sanctitatis Divinæ, & Deus ad illa elicienda ex meritis Christi det gratiam supernaturalem, illa verè merentur vitam æternam. Ant. clarè patet ex dictis tract. præced. cap. 6. num. 61. estque hæc perfectio unica differentia entis supernaturalis ab ente naturali; neque Lutherani cum Calvinistis unquam poterunt aliam differentiam assignare. Unde hoc argumentum est adeò fundamenta-

mentale, ut Lutherani & Calvinistæ, vim merendi vitam æternam bonis operibus denegantes, si quid fundamentaliter intelligerent, potiùs cum Pelagianis deberent negare à Deo hominibus dari gratias supernaturales, quàm his admissis denegare operibus supernaturalibus vim merendi vitam æternam.

Præterea opera supernaturalia justorum per influxum gratiæ peracta Deo placent in linea supernaturali, & illis est promissa à Deo vita æterna: ergo illa tam propter dignitatem sibi intrinsecam quàm propter promissionem Dei extrinsecam verè & in actu secundo merentur vitam æternam; sicut opera mortaliter mala propter suam malitiam merentur pœnam æternam.

Unde Apostolus ad Rom. 6. v. 23. ait: *Stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita æterna, in Christo JEsu Domino nostro.* In quem locum Apostoli S. Augustinus tom. 6. in Enchiridio cap. 107. inquit: *Unde & ipsam vitam æternam, quæ certè merces est operum bonorum, gratiam Dei appellat Apostolus... Intelligendum est igitur etiam ipsa hominis bona merita esse Dei munera; quibus, cum vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur.*

Taceo denique, quòd *merces, stipendium, bravium, corona justitiæ &c.* & meritum sint duo correlativa; *quorum unum* (juxta commune axioma Doctorum dè correlativis) *sine altero*

nec

nec esse, nec concipi potest: adeoque, cùm vita æterna in S. Scriptura tam incunctanter appelletur merces, bravium, corona &c. bonorum operum, manifestum est, quòd bona opera justorum verè mereantur vitam æternam.

112 *Quæres 5.* Quænam objiciant Lutherani?

℟. Sequentia, I. bona opera sunt solùm fructus electionis & justificationis: ergo non merentur vitam æternam. Ant. prob. Christus Joan. 15. v. 16. ait: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis*: ergo ab hac electione dependet fructus bonorum operum, & non electio à bonis operibus. Unde Apostolus ad Rom. 9. v. 11. inquit: *Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei.. Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et dein v. 16. subjungit: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

II. S. Scriptura ubique docet, non solùm decretum electionis & vocationis, sed etiam decretum justificationis & glorificationis esse prorsus gratuitum, & fieri absque operibus: ergo homo per bona opera nullo modo meretur vitam æternam. Ant. prob. Apostolus ad Rom. 11. à v. 5. ait: *Sic ergo in hoc tempore reliquiæ* (nempe quorundam Judæorum) *secundùm*

cundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia: ergo.

III. S. Scriptura à merito vitæ æternæ non solùm excludit opera naturalia, sed etiam supernaturalia, nè homo possit gloriari: ergo homo nullo modo meretur vitam æternam. Ant. prob. Apostolus ad Ephes. 2. v. 8. inquit: *Gratia enim salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ut nè quis glorietur.* Et ad Titum 3. v. 5. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit:* ergo &c.

IV. Vita æterna in S. Scriptura ubique vocatur *hæreditas*: atqui hæreditas debetur filiis jure filiationis seu adoptionis, non verò ex merito & labore: ergo. Min. per se patet. Maj. verò constat ex illo Apostoli ad Rom. 8. v. 17. *Ipse enim Spiritus reddit testimonium Spiritui nostro, quòd sumus Filii Dei. Si autem filii & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Idem dicitur Jacobi 2. v. 5. & 1. Petri 3. v. 22. Item vita æterna appellatur hæreditas ad Ephes. 1. v. 18. & 5. v. 5. ad Coloss. 3. v. 24. ad Hebr. 1. v. 14. & 9. v. 15. & 1. Petri 1. v. 4. ac 3. v. 9.

V. Licèt S. Scriptura vitam æternam quandoque appellet *coronam*, asserit tamen illam dari ex misericordia, & non ex justitia: ergo illa

illa non datur electis propter eorum bona opera. Ant. prob. Psalm. 102. v. 4. dicitur de Deo : *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus.* Et Matth. 5. v. 7. Christus ait: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

VI. Apostolus ad Rom. 6. v. 23. inquit: *Stipendia peccati mors : gratia autem Dei vita æterna in Christo JEsu Domino nostro :* ergo, licèt mors æterna detur ex justitia vindicativa propter delicta, non tamen vita æterna ex justitia remunerativa propter bona opera; nam aliàs Apostolus debuisset dicere : *Stipendia peccati mors ; stipendium autem bonorum operum vita æterna.* Cùm ergo Apostolus contrarium dicat, signum est, quòd velit, justos per bona opera non mereri vitam æternam.

VII. Vita æterna à Deo nobis offertur sine meritis : ergo etiam datur sine meritis. Ant. prob. Isaiæ 55. v. 1. dicitur : *Omnes sitientes venite ad aquas : & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite : venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione, vinum & lac :* ergo.

VIII. S. Scriptura sæpissime dicit, vitam æternam à Deo dari credentibus in Christum propter ejus merita absque intuitu propriorum meritorum : ergo fideles non merentur vitam æternam etiam quoad decretum glorifica-

ficationis. Ant. prob. Joan. 3. v. 16. dixit Chriſtus : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Joan. 6. v. 40. *Hæc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Et Marci 16. v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.*

IX. Decretum electionis & glorificationis ſeu prædeſtinationis intentivum & executivum non diſtinguuntur inter ſe : atqui decretum electionis eſt prorſus gratuitum. Min. patet ex dictis tract. 3. cap. 8. num. 96. Maj. prob. Decretum electionis & glorificationis, ſeu prædeſtinationis intentivum & executivum habent idem objectum, nempe gloriam, ad quam quis eligitur, & quæ cuilibet electo confertur : ergo non diſtinguuntur in ordine ad diverſa connotata

X. Opera juſtorum inquinantur à peccato originali : ergo de ſe non poſſunt eſſe meritoria vitæ æternæ. Con. patet ; quia id, quod eſt inquinatum, & pæna dignum non poteſt eſſe apud Deum meritorium vitæ æternæ. Ant. prob. Iſaiæ 64. v. 6. dicitur : *Facti ſumus ut immundus nos omnes, & quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ :* ergo opera noſtra inquinantur à peccato originali, & conſequenter non poſſunt eſſe meritoria

 vitæ

vitæ æternæ. Unde S. Augustinus enarrat. in Psalm. 70. serm. 2. ait: *Supplicium tibi debetur: & cum venerit præmium, sua dona coronabit Dominus, non merita tua.* Et serm. 15. de verbis Apostoli inquit: *Prorsus gratis das, gratis salvas, qui nihil invenis in eis, unde salves, & multum invenis, unde damnes.* Idem respective docent alii Patres.

XI. Inter opera justorum & vitam æternam non datur illa proportio, quæ requiritur in merito in ordine ad præmium: ergo opera justorum non merentur vitam æternam. Ant. prob. *Finiti ad infinitum nulla est proportio*; ùt habet commune axioma: atqui opera justorum, utpote temporanea, sunt finita, & vita æterna est saltem syncategorematicè infinita quoad durationem æternam: ergo &c. Unde Apostolus ad Rom. 8. v. 18. ait: *Existimo enim, quòd non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

XII. Nemo apud alterum meretur, quando id reddit, quod debet, quod est alterius, & quod ab altero accepit: atqui justi, dum bona opera exercent, Deo reddunt, quod debent, quod est Dei, & quod à Deo per gratiam & concursum simultaneum acceperunt: ergo per bona opera nihil merentur apud Deum. Min. patet. Maj. etiam constat; nam sic Petrus nihil meretur apud Paulum, quan-

quando ei reddit centum florenos, quos huic debet, & ab eo accepit; præsertim si Paulus ad redditionem necessariò concurrere deberet.

XIII. Nemo meretur apud alterum per opus, quod sibi soli prodest, & non alteri: atqui justi, dum bona opera exercent, sibi tantùm prosunt, & non Deo: ergo nihil merentur apud Deum. Min. prob. Deo ex bonis operibus justorum nullum potest accedere commodum; juxta illud Jobi 35. v. 7. *Porrò, si justè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* ergo.

XIV. Servus inutilis nihil meretur apud Dominum: atqui nos respectu Dei sumus servi inutiles, etiam dum bona opera exercemus: ergo nihil meremur apud Deum. Min. prob. Deo ex nostris operibus nulla potest accedere utilitas; juxta illud Christi Salvatoris Lucæ 17. v. 10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus:* ergo.

XV. Est singularis gloria, prærogativa, & excellentia Christi, quòd ille solus possit mereri apud Deum, & cæteris hominibus esse author gratiæ, justitiæ, & gloriæ æternæ: ergo, qui sibi tribuunt merita vitæ æternæ, detrahunt gloriæ Christi, eámque sibi ex parte arrogant, & nolunt totum meritum Christo tribuere.

XVI. Magis commendatur excellentia Christi, si dicatur, quod nos formaliter justificemur per justitiam Christi, & propter sola ipsius merita nobis à Deo tribuatur vita æterna: atqui excellentia meritorum Christi debet maximè commendari: ergo. Min. prob. Merita Christi sunt infiniti valoris: ergo illorum excellentia debet maximè commendari.

XVII. Meritis Christi nihil deest, ut propter illa sola à Deo nobis detur vita æterna: ergo non est dicendum, quòd ad acquirendam vitam æternam requirantur etiam propria nostra merita. Ant. patet; quia merita Christi habent valorem Theandricum moraliter infinitum. Con. etiam constat; quia frustra exigitur duplex meritum ejusdem prœmii.

XVIII. Vel Christi merita per se sufficiunt ad promerendam fidelibus vitam æternam, vel non sufficiunt? si sufficiunt: ergo non exiguntur merita nostra. Si non sufficiunt, fit illis, & Christo injuria: ergo. Unde Apostolus ad Galat. 2. v. 21. ait: *Non objicio gratiam Dei. Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.*

XIX. Pelagianorum & Semipelagianorum error fuit, quòd homo per sua opera bona mereatur vitam æternam, fuitque iste error dudum ab Ecclesia rejectus: ergo Pontificii, dum

dum docent, justos per bona opera mereri vitam æternam, incidunt in errorem Pelagianorum.

XX. Sic Christus nobis immediatè solùm fuisset promeritus gratiam, non verò immediatè etiam vitam æternam: atqui hoc dicere est Christo Salvatori nostro injuriosum: ergo. Maj. prob. Sic nos per gratiam à Deo ex meritis Christi collatam ipsimet deberemus mereri vitam æternam: ergo.

XXI. Sic ad remissionem peccatorum & 113
meritum condignum vitæ æternæ non fuisset necessaria incarnatio Verbi Divini & merita Christi: ergo hæc à Deo gratis fuisset facta, & Christus pro nobis gratis mortuus. Ant. prob. Deus nobis gratiam entitativè supernaturalem ad merendum potuisset conferre prorsus gratis & sine meritis Christi: ergo &c.

℞. *ad 1.* n. ant. quoad τὸ *solùm*; nam, licèt bona opera justorum sint fructus electionis & justificationis, sunt tamen simul causa meritoria, saltem secundaria & instrumentalis glorificationis. Ad prob. c. totum; nam in citato textu non est sermo de decreto glorificationis, seu prædestinationis executivo, sed solùm de decreto electionis seu prædestinationis intentivo: quòd contra Pelagianos & Semipelagianos Catholici semper dixerunt esse gratuitum. In secundo textu pariter sermo est de decreto electionis & de reprobatio-

batione negativa, seu de odio negativo, quod consistit in carentia electionis ad vitam æternam: non verò de decreto glorificationis & reprobatione positiva; nam aliàs etiam hæc fieret absque malis operibus, quod est manifestè falsum. Id, quod subjungit Apostolus, explico cum distinctione: *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, eligere & vocare; concedo. Vocationi consentire, bene operari, & cum gratia promereri vitam æternam; nego.

Ad 2. n. ant. oppositum enim manifestè constat ex textibus S. Scripturæ supra num. III. pro nostra responsione relatis, aliísque innumeris, in quibus Deus dicitur vitam æternam justis adultis executivè dare propter bona opera. Ad prob. explico textum cum distinctione: *Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundùm electionem gratiæ & non ex operibus salvæ factæ sunt* quoad decretum vocationis, & præservationis à peccato; concedo: quoad decretum glorificationis; nego. Sermo l. c. non est de salute ultimata & completa per decretum glorificationis, sed de salute intermedia per decretum vocationis & præservationis à peccato in hac vita; ùt manifestè patet ex contextu tam præcedente quàm consequente: nam ibi v. 4. præmittitur: *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvave-*

vaverunt genua ante Baal. Et dein v. 7. subjungitur : *Electio autem consecuta est.*

Ad 3. D. ant. S. Scriptura à merito vitæ æternæ non solùm excludit merita naturalia, sed etiam supernaturalia conditionatè solùm futura, & in ordine ad decretum electionis; c. ant. excludit merita supernaturalia absolutè futura, & in ordine ad decretum glorificationis; n. ant. & sub eadem distinctione n. con. S. Scriptura igitur à merito vitæ æternæ non solùm excludit opera naturalia, sed etiam supernaturalia conditionatè futura, & à Deo per scientiam conditionalium prævisa; ne quis glorietur dicendo: Ego à Deo merui electionem; quia Deus prævidit per scientiam conditionalem me auxiliis cooperaturum.

Hoc quippe est falsum; nam Deus quemlibet electum per talem scientiam etiam prævidit in alio corpore aliisque circumstantiis non esse cooperaturum, aut finaliter in bono perseveraturum: adeoque, quòd Deus animam concreet huic embryoni, ponatque potiùs in his circumstantiis, in quibus illam prævidet esse cooperaturam, & in bono finaliter perseveraturam, quàm in circumstantiis oppositis, est solius misericordiæ & liberalitatis Divinæ. Cæterùm, quòd homo cum debita humilitate, subjectione erga Deum, & gratiarum actione possit gloriari in bono opere, prout à Deo per influxum gratiæ supernaturalizato,

admittit idem Apostolus 1. ad Corinth. 1. v. 31. dicens: *Quemadmodum scriptum est: qui gloriatur, in Domino glorietur.* Idem ex Jeremia Propheta allegat 2. ad Corinth. 10. v. 17.

Porrò Apostolus in primo textu ab adversariis citato loquitur de salute inchoata & decreto vocationis ad fidem, quam ait esse Dei donum, & non ex operibus naturalibus, fidem præcedentibus. In secundo textu verò loquitur de salute intermedia gratuitæ justificationis per Baptismum; nam integer textus sic sonat: *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs Sancti.* Ex quibus vides, quàm subdolè adversarii mancos textus ex S. Scriptura citent, ut suum falsum dogma apparenter possint probare.

Ad 4. transeat maj. quoad τὸ *ubique*; nam vita æterna in S. Scriptura sæpissimè vocatur *merces, stipendium, bravium, corona justitiæ &c.* Dist. min. Atqui hæreditas filiis naturalibus debetur jure filiationis, non verò ex merito & labore; transeat min. quia etiam filiis naturalibus potest deberi major hæreditas titulo meriti & laboris. Debetur titulo & jure filiationis filiis adoptivis, non verò ex merito & labore, subdist. Si non adoptentur sub conditione onerosa meriti & laboris; c. min. si adoptentur sub tali conditione n. min.

min. & con. Justi non sunt Filii Dei naturales sed adoptivi, ùt per se patet. Quòd autem his, saltem adultis, hæreditas vitæ æternæ promittatur sub conditione onerosa meriti & laboris clarè constat ex doctrina Christi Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et Apostoli 2. ad Timoth. 2. v. 5. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit:* & v. 12. *Si sustinebimus, & conregnabimus.* Eandem conditionem bonorum operum, & victoriam tentationum innuit S. Scriptura ubique. Unde adulti, qui usu rationis utuntur, & in adoptione filiorum Dei per observantiam mandatorum usque ad mortem perseverant, duplici titulo accipiunt vitam æternam; nempe titulo hæreditatis & titulo retributionis juxta illud Apostoli ad Colosſ. 3. v. 23. *Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino & non hominibus: scientes, quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis.*

Præterea, licèt Christo propter unionem hypostaticam inter naturam humanam & Verbum Divinum debebatur titulo hæreditatis, tanquam Filio Dei naturali, gloria corporis & exaltatio nominis, hanc tamen simul suis meritis obtinuit; juxta illud Apostoli ad Philippenſ. 2. v. 8. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum &c.* Si ergo Christo, qui fuit Filius Dei naturalis, data

fuit à Deo gloria corporis & exaltatio nominis duplici titulo, nempe hæreditatis & mercedis; juxta verba Christi Lucæ 24. v. 25. *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* quid mirum? si etiam nobis, qui sumus tantùm filii adoptionis, Deus non velit conferre gloriam æternam, nisi propter merita & nostram cooperationem cum gratia Dei & meritis Christi; nam Deus electos vult conformari Christo, juxta illud Apostoli ad Rom. 8. v. 29. *Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*

Ad 5. n. ant. quoad ultimam partem *& non ex justitia;* nam Apostolus 2. ad Timoth. 4. v. 8. gloriam æternam expresse appellat *coronam justitiæ.* Majoris tamen claritatis causa dist. ant. asserit tamen illam dari ex misericordia & non ex justitia radicaliter, & quoad decretum electionis, vocationis, & justificationis, aut etiam formaliter quoad modum æternæ durationis; c. ant. non dari ex justitia formaliter quoad substantiam; n. ant. & con. Cùm S. Scriptura utrumque asserat, neutrum potest esse falsum. Primò igitur vita æterna in S. Scriptura appellatur *corona misericordiæ* radicaliter, quatenus nempe homo illam non potest mereri per vires solùm natu-

rales

rales & sine gratia supernaturali; item formaliter quoad modum æternæ durationis, quatenus nempe etiam homo justus æternitatem gloriæ non meretur de condigno per opera supernaturalia, quasi momentanea, sed potiùs ex promissione Divina & jure ex infinitis meritis Christi primario resultante. Et talis est sensus textuum ab adversariis citatorum. Secundò vita æterna in S. Scriptura appellatur *corona justitiæ* formaliter & quoad substantiam; quatenus nempe opera supernaturalia supposita promissione Divina merentur visionem Dei intuitivam; & quatenus unusquisque ejusdem visionis intensionem accipiet secundùm mensuram suorum meritorum. Et in hoc sensu de vita æterna, tanquam corona justitiæ, ait Apostolus 1. ad Corinth. 3. v. 8. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* Et 2. ad Timoth. 4. v. 8. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus.*

Ad 6. Eadem est responsio & explicatio textûs; nam vita æterna dicitur gratia tum radicaliter, quatenus semen illius est gratia & merita fiunt per gratiam; tum formaliter quoad durationem æternam: quoad substantiam autem & intentionem formaliter est stipendium seu merces meritorum. Ratio verò, ob quam Apostolus potiùs stipendium peccati

appel-

appellat mortem quàm stipendium meritorum vitam æternam, est: quia peccata homo perpetrat propriis naturæ viribus, bona opera verò viribus gratiæ; juxta illud Oseæ 13. v. 9. *Perditio tua Israël: tantummodò in me auxilium tuum.* Cæterùm Apostolus verè potuisset dicere: *Stipendium peccati mors; stipendium autem bonorum operum vita æterna;* ùt docet S. Augustinus lib. de gratia & libero arbit. cap. 9. Imò hoc dixit ipse Apostolus, si non iisdem verbis saltem eodem sensu, ad Rom. 2. v. 6. *Reddet unicuique secundùm opera sua: iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis gloriam honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem, qui sunt ex contentione, & non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.*

Ad 7. n. ant. nam, licèt promissio vitæ æternæ sit gratuita ex parte actûs, ex parte objecti materialis tamen pro conditione onerosa habet merita adultorum. Ad prob. c. ant. n. con. nam per vinum & lac *l. c.* non intelligitur vita æterna, sed gratiæ tam actuales, quàm habituales præsentis vitæ; ùt exponit S. Hieronymus Commentario in eundem locum. In simili Christus Joan. 7. v. 37. dixit: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat;* ubi certum est, Christum loqui de gratia præsentis vitæ, & non de futura gloria. Licèt autem prima gratia detur prorsùs gratis (quod innuitur per illa

illa verba: *Absque argento & ulla commutatione*) gratiæ tamen ulteriores & uberiores dantur ex cooperatione & labore; quod innuitur per hæc verba: *Venite, & emite.*

Ad 8. n. ant. contrarium enim constat ex textibus supra num. 111. pro nostra responsione relatis, aliisque innumeris totius S. Scripturæ. Ad prob. explico textum cum distinctione: ut omnis, qui credit in illum fide viva & efficaci, quæ per charitatem operatur, non pereat, sed habeat vitam æternam; c. ant. qui credit in illum fide mortua, inefficaci, & quæ per charitatem non operatur; n. ant. & con. Distinctio patet ex Apostolo, qui ad Galat 5. v. 6. de fide viva & efficaci ait: *In Christo JEsu neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Econtra de fide mortua & inefficaci 1. ad Corinth. 13. v. 2. inquit: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Cui consonat S. Jacobus 2. v. 17. 20. & 26. dicens: *Fides sine operibus mortua est.*

Ad 9. n. maj. nam hæc duo decreta distinguuntur formaliter secundùm nostrum concipiendi modum, aut etiam virtualiter intrinsecè. Ad prob. d. ant. Decretum electionis & glorificationis habent idem objectum formale; n. ant. habent idem objectum materiale, subdist. primarium; c. ant. secundarium;

darium; n. ant. & con. Decretum electionis pro suo motivo & objecto formali habet misericordiam, bonitatem & liberalitatem Divinam; econtra decretum glorificationis pro suo motivo & objecto formali habet sanctitatem & justitiam Divinam remunerativam; adeoque imprimis non habent idem objectum formale. Deinde decretum electionis pro objecto materiali secundario habet creationem & positionem hominis in illis circumstantiis, in quibus Deus per scientiam conditionalium prævidet eum bene operaturum & finaliter perseveraturum; econtra decretum glorificationis pro suo objecto materiali præcisè habet certum gradum gloriæ æternæ secundùm mensuram meritorum. Taceo, quòd decretum electionis inferat decretum vocationis & justificationis, decretum glorificationis verò hæc duo decreta supponat; adeoque certum est, quòd decretum electionis & glorificationis habeant diversa connotata.

Ad 10. n. ant. nam peccatum originale quoad reatum culpæ & rationem formalem peccati prorsus tollitur per Baptismum & primam justificationem hominis. Neque bona opera inquinantur à fomite concupiscentiæ, quando illa eliciuntur ex motivo honesto, & intentione pura; nam de simili opere & pura intentione ait Christus Matth. 6. v. 22. & Lucæ 11. v. 34. *Si oculus tuus fuerit simplex,*

totum

totum corpus lucidum erit. Vide dicta supra cap. 8. à num. 86. Ad prob. c. ant. n. con. nam Isaias ibi non loquitur de peccato originali, & justis bene operantibus, sed loquitur de peccato actuali & personali Judæorum, de justitia per peccatum amissa, & operibus justitiæ per peccatum mortificatis; nam eodem v. 6. addit: *Et cecidimus, quasi folium universi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* Et v. 7. subdit: *Non est, qui invocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te.* Unde sermo non est de justitia & operibus consequentibus per peccatum originale inquinatis, sed de operibus præcedentibus per peccatum personale mortificatis.

Ad id, quod additur ex S. Augustino, dico, illum velle nos non mereri per opera naturalia, præcisè ex nobis & solis naturæ viribus, sed solùm per gratiam à Deo nobis gratis datam; unde ait: *Cum venerit præmium, sua dona coronabit Dominus.* Neque de mente S. Patris ullum est dubium; qua constanter docet, meritis supernaturalibus deberi vitam æternam: sic Epist. 105. ad Sixtum ait: *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, sic merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna.* Et ibidem explicans, quomodo vita æterna sit *gratia*, inquit: *Non ideò, quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus vita æterna datur.* Reliqui Patres pariter

ter semper docuerunt, justos per bona opera mereri vitam æternam; uti ex professo ostendi tract. 3. cap. 8. num. 98.

Ad 11. n. ant. præsertim de proportione ad vitam æternam quoad substantiam sumptam, & præscindendo à duratione æterna. Ratio hujus est clara: quia opera bona justorum sunt supernaturalia quoad substantiam (ùt nobiscum admittunt Lutherani & Calvinistæ contra Pelagianos) adeoque sunt ejusdem ordinis cum visione Dei intuitiva, & eam supposita promissione Divina possunt mereri. Ad prob. d. maj. Finiti ad infinitum quà tale, seu ex ea parte, ex qua hoc est infinitum, nulla est proportio; transf. maj. ad infinitum quod tale, seu ex ea parte ex qua hoc est finitum, nulla est proportio; n. maj. & concessa min. d. con. Ergo opera justorum nullam habent proportionem ad vitam æternam quà æternam; transf. con. quà supernaturalem & præcisè visionem Dei intuitivam; n. con. Id, quod additur ex Apostolo, eodem modo explico. Opera igitur justorum ex se habent proportionem & condignitatem ad gloriam, seu visionem Dei intuitivam, præcisè quà talem; cùm sint ejusdem ordinis supernaturalis: ad visionem Dei verò quà æternam habent proportionem & condignitatem ex meritis Christi, seu propter jus, quod in justis tanquam vivis Christi membris

ex ordinatione Divina & meritis Christi moraliter resultat. Et in hoc sensu ait Apostolus 2. ad Corinth. 4. v. 17. *Id enim, quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Ad 12. Dico imprimis hoc & duo sequentia argumenta Hæreticos nullatenus juvare; quia æquè procedunt contra merita humanitatis Christi; ùt consideranti patet. Dein in forma dist. maj. Nemo apud alterum meretur, quando ei reddit, quod debet, quod est alterius, & quod ab altero accepit, in debito reali, & quando reddens nullum habet Dominium rei; c. maj. in debito personali, & quando reddens habet Dominium sui actûs; subd. si alter actum exigat titulo proprietatis & Dominii; c. maj. si alter actum exigat titulo liberi obsequii & meriti; n. maj. & sic distinctâ min. n. con. Justi imprimis habent Dominium in actus proprios, utpote sibi liberos & à se vitaliter elicitos: dein Deus illos non exigit titulo Dominii proprietatis, sed titulo liberi obsequii & meriti; ut nempe dein circa justos possit exercere justitiam remunerativam. Unde justi possunt mereri apud Deum, sicut Christus secundùm suam humanitatem, cum hoc solo discrimine, quòd merita Christi sint moraliter infiniti valoris.

Ad 13. d. maj. nemo meretur apud alterum per opus, quod sibi soli prodest, & non alteri, si alter tale opus exigat propter suam utilitatem; c. maj. si alter opus exigat solùm propter suam gloriam, & beneplacitum; n. maj. & transmissa min. n. con. Ut quis supposita promissione prœmii hoc mereatur, sufficit, quòd alteri det id, quod ille quærit ex opere & obsequio: cùm igitur Deus ex nostris operibus non quærat suam utilitatem, sed præcisè suam gloriam accidentalem suúmque beneplacitum, possumus apud Deum mereri; licèt utilitas primariò nobis maneat.

Dixi autem *transmissa min.* quia, licèt nostra obsequia Deo strictè non prosint ad intra, & quoad illius gloriam ac beatitudinem essentialem; prosunt tamen Deo minùs strictè, ad extra, & quoad gloriam ac beneplacitum ejus quasi accidentale. Instantia hujus clara est in operibus humanitatis Christi, in qui-bus Deus secundùm suam sapientiam, & justitiam sibi bene complacuit; juxta illud Matth. 3. v. 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et Joan. 8. v. 29. *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper.*

Ad 14. d. maj. Servus inutilis nihil meretur apud Dominum, si Dominus obsequium servi exigat propter suam utilitatem; c. maj. si Dominus obsequium servi exigat propter suam

ſuam gloriam & beneplacitum; n. maj. & transmiſſa min. n. con. Deus ex noſtris operibus non quærit ſuam utilitatem ſed ſolùm gloriam & ſuum beneplacitum quaſi accidentale in manifeſtatione ſuæ ſapientiæ, ſanctitatis, & juſtitiæ remunerativæ: ad hunc finem autem poſſumus per bona opera utiles eſſe Deo; juxta illud Apoſtoli 2. ad Timoth. 2. v. 21. *Si quis ergo emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino.* Cæterùm, licèt Deus noſtris operibus minimè indigeat, & ex illis nullam habeat utilitatem quoad beatitudinem ſubſtantialem, ſed præcisè quoad gloriam & beneplacitum quaſi accidentale; illa tamen largè remuneratur; juxta illud Matth. 25. v. 23. *Euge Serve bone & fidelis, quia ſupra pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui.*

Ad 15. Et tria ſequentia argumenta, in quibus adverſarii multùm ſed falsè confidunt, & quaſi triumphum ante victoriam canunt, reſpondeo primò retorquendo & funditus evertendo argumentum: in negotio noſtræ ſalutis & glorificatione juſtorum ante virtutem meritorum Chriſti, & cum eadem, debet ſalvari & commendari ſapientia, ſanctitas, & juſtitia Divina remunerativa (nam propter has aliáſque ſuas perfectiones manifeſtandas Deus decrevit incarnationem Verbi

Divini, & ordinavit merita Christi; juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 3. v. 23. *Omnia enim vestra sunt : vos autem Christi : Christus autem Dei*) atqui sanctitas Divina & justitia remunerativa tantoperè non salvaretur, si Deus fidelibus peccata non imputaret ad pœnam, nec bona opera ad prœmium, sicut in sensu opposito Catholicorum; quia sanctitas & justitia Divina non solùm exigit punire malum sed etiam remunerari bonum : ergo &c.

In forma d. ant. est singularis gloria, prærogativa, & excellentia Christi, quòd ille solus possit mereri apud Deum tanquam causa moralis principalis, & caput morale; c. ant. tanquam causa moralis instrumentalis, & membrum; n. ant. & sub eadem distinctione n. con. Excellentia Christi igitur consistit in eo, quòd ipse omnibus meruerit gratias sufficientes, reparationem à peccato, justificationem, & vitam æternam per mòdum causæ moralis principalis & capitis; dummodo homines per modum causæ instrumentalis velint gratiis cooperari. Hanc suam excellentiam Christus ipsemet sub metaphora declaravit Joan. 15. v. 5. dicens: *Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, & ego in eo, NB. hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere.* Licèt igitur excellentiæ meritorum Christi derogaverint Pelagiani & Semipelagiani, qui dicebant, homines posse suis viri-

viribus mereri vitam æternam, vel ſaltem fidem & initium ſalutis: Catholici tamen qui dicunt, ad omne opus bonum neceſſariam eſſe gratiam Divinam per Chriſtum, & Chriſtum per modum cauſæ principalis nobis meruiſſe vitam æternam quà æternam, excellentiæ meritorum Chriſti nullatenus derogant.

Ad 16. n. maj. nam extenſivè magis commendatur excellentia meritorum Chriſti, ſi dicatur, quòd ille nobis non ſolùm promeruerit vitam æternam (& quidem quoad æternitatem quà talem ſolus de condigno) ſed etiam gratiam entitativè ſupernaturalem & tam excellentem, ut cum ea etiam nos poſſimus mereri viſionem Dei intuitivam & amorem fruitivum: quàm, ſi dicatur, quòd ille quidem nobis meruerit vitam æternam, non tamen gratiam tam perfectam. Neque per hoc valor meritorum Chriſti minuitur quoad ſubſtantiam vitæ æternæ; quia merita Chriſti ſunt cauſa illius principalis, noſtra merita verò cauſa moralis ſolùm inſtrumentalis. Taceo, quòd hoc modo extenſivè etiam magis commendetur ſanctitas & juſtitia Divina remunerativa; quia hæc in collatione vitæ æternæ non ſolùm reſpicit merita Chriſti, tanquam cauſam moralem principalem, ſed etiam propria merita juſtorum, tanquam cauſam moralem inſtrumentalem.

Ad 17. d. ant. Meritis Christi nihil deest in actu primo & quoad sufficientiam, ut propter illa sola nobis detur vita æterna; c. ant. nihil deest in actu secundo & quoad efficaciam; n. ant. & con. Licèt merita Christi sint infiniti valoris in actu primo; ad hoc tamen, ut in actu secundo & quoad efficaciam nobis mereantur vitam æternam, requiritur ordinatio, seu promissio & acceptatio Divina prævia: Deus autem noluit merita Christi ordinare & acceptare ad promerendam hominibus vitam æternam, nisi parvulis applicentur per Baptismum; juxta illud Joan. 3. v. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum.* Et in adultis per propriam cooperationem; juxta illud Christi Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Ratio hujus ultimi verò est: quia Deus erga adultos electos vult exercere & eis manifestare suam justitiam remunerativam secundùm exigentiam suæ sanctitatis, sicut erga reprobos vindicativam: adeoque ab illis etiam exigit propriam cooperationem cum gratia & meritis Christi.

Ad 18. c. ant. & dico, quòd merita Christi per se sufficiant in actu primo & quoad sufficientiam, non verò in actu secundo & quoad efficaciam; nam ad hanc requiritur prævia ordinatio Divina: Deus autem non vult,

vult, ut merita Christi adultis prosint absque propria cooperatione. Neque frustra à Deo exigitur duplex meritum subordinatum; ut sic extensivè magis possit exercere & manifestare suam justitiam remunerativam juxta exigentiam suæ sanctitatis.

Ad 19. d. maj. Pelagianorum & Semipelagianorum error fuit, quòd homo per opera bona naturalia, & solius naturæ viribus elicita mereatur vitam æternam; c. maj. quòd homo hanc mereatur per opera supernaturalia, & elicita cum influxu gratiæ; n. maj. & concessa min. sub eadem distinctione n. con. Error Pelagianorum fuit, quòd dixerint, nos per opera naturalia, & solius naturæ viribus elicita, mereri vitam æternam; ùt refert S. Augustinus lib. de grat. & liber. arbit. cap. 6. dicens: *Si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia. Quoniam verò merita humana sic prædicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus: quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* De errore Pelagianorum & Semipelagianorum plura dixi tract. præced. cap. 9. & cap. 10.

Cæterùm sancti Patres semper docuerunt, opera supernaturalia justorum mereri vitam æternam; ùt fusè ostendit *Jodocus Coccius*

in Thesauro Catholico tom. 2. lib. 3. pag. 227. & seqq. Neque ullus sanctorum Patrum à merito vitæ æternæ exclusit opera supernaturalia justorum ; ùt monstrat *Bellarminus tom. 3. lib. 5. de justificatione cap. 6.*

Ad 20. n. ant. ad prob. d. ant. Sic nos per gratiam à Deo & meritis Christi collatam ipsimet deberemus mereri vitam æternam per modum causæ principalis ; n. ant. per modum causæ instrumentalis ; c. ant. & n. con. Merita Christi non solùm sunt causa moralis gratiæ, sed etiam principalis gloriæ & vitæ æternæ ; adeoque Christus per modum causæ principalis immediatè meruit vitam æternam, quamvis adulti ad hoc meritum per gratiam à Deo ex meritis Christi collatam debeant concurrere per modum causæ instrumentalis.

Ad 21. n. ant. quia homo purus, etiam gratia instructus, non potest de condigno satisfacere pro peccato mortali, neque de condigno mereri vitam æternam quà æternam ; adeoque ad hoc utrumque necessaria fuit incarnatio Verbi Divini, & valor infinitus meritorum Christi. Ad prob. c. ant. d. con. ergo homo sic potuisset mereri vitam æternam quà æternam ; n. con. quatenus præcisè est visio Dei intuitiva ; c. con. Deus electis in effectu vult manifestare suam infinitam misericordiam & justitiam remune-

rati-

rativam; ad hæc autem manifeſtanda neceſſaria fuit incarnatio Verbi Divini, & infinita merita Chriſti. Ut hoc clariùs intelligas

Quæres 6. An opera juſtorum, prout præcisè eliciuntur per gratiam ſupernaturalem, & præciſo jure ex meritis Chriſti reſultante, mereantur de condigno vitam æternam? 114

℞. Opera ſupernaturalia juſtorum, prout præcisè eliciuntur per gratiam ſupernaturalem, & præciſo jure ex meritis Chriſti reſultante, non merentur de condigno vitam æternam quà æternam. *Ita quoad rem communis Theologorum; quamvis quæſtionem ſub his terminis non tractent, excepto Cornelio à Lapide, qui Commentario in Epiſt. ad Rom. cap. 8. v. 18. num. 144. expreſsè ſic ſentit.*

Reſponſio patet ex S. Scriptura; nam Apoſtolus ad Rom. 8. v. 18. ait: *Exiſtimo enim, quòd non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Et 2. ad Corinth. 4. v. 17. inquit: *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur. Supra modum,* id eſt, non præcisè per gratiam ſupernaturalem, ſed prout ſubordinatur, & moraliter conjungitur cum paſſionibus & meritis Chriſti; ùt explicat laudatus Cornelius Comment. in hunc locum num. 80.

Ratio responsionis verò est: quia opera supernaturalia justorum, prout præcisè eliciuntur per gratiam supernaturalem, & præciso jure ex meritis Christi simul resultante, non habent proportionem æqualitatis ad vitam æternam quà æternam: ergo hanc qua talem præcisè ex se non merentur de condigno. Ant. patet; quia finiti ad infinitum, & momentanei ad æternum, nulla est proportio. Con. etiam constat ex S. Thoma, qui in 3. Dist. 27. a. 3. ait: *Dicitur aliquis mereri de condigno, quando invenitur æqualitas ad præmium secundùm rectam æstimationem: ex congruo autem, quando talis æqualitas non invenitur, sed solùm secundùm liberalitatem dantis munus tribuitur, quod dantem decet.*

Addidi autem *vitam æternam quà æternam*; nam visionem Dei intuitivam temporalem, aut prout hæc præscindit ab æternitate, justi per opera supernaturalia, etiam præciso jure ex meritis Christi resultante, possent de condigno mereri; cùm talia merita & visio Dei intuitiva sint ejusdem ordinis supernaturalis. Sed

115 *Dices I.* Sapientiæ 3. v. 5. de justis eorúmque operibus dicitur: *Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se.* 2. ad Thessal. 1. v. 5. *Ut digni habeamini in regno Dei, pro quo patimini.* Et Apocal. 3. v. 4. *Ambulabunt mecum in albis,* quia

quia digni sunt: ergo justi de condigno merentur vitam æternam.

II. Justi sunt in statu amicitiæ Dei, & habent jus ad amorem amicitiæ increatum & vitam æternam quà æternam: ergo per opera supernaturalia de condigno merentur vitam æternam quà æternam. Ant. patet; quia amicitia importat jus ad amorem mutuum, & per se exigit esse perpetua. Con. prob. Opera justorum supernaturalia cum justo constituunt unum complexum morale: ergo hoc ipso, quòd fiant in statu amicitiæ Dei, de condigno merentur vitam æternam quà æternam.

III. Opera justorum supernaturalia per se habent proportionem ad visionem Dei intuitivam, & Deum infinitè liberalem decet, ut opera amicorum remuneretur per visionem sui æternam: ergo opera justorum per se, & præciso jure ex meritis Chisti resultante de condigno merentur vitam æternam quà æternam.

IV. Licèt peccata mortalia sint temporanea & momentanea, tamen per se merentur de condigno pœnam æternam: ergo etiam opera supernaturalia justorum, licèt sint temporanea & momentanea, tamen per se, & præciso jure ex meritis Christi resultante, de condigno merentur vitam æternam quà æternam.

℞. ad

℞. *ad 1.* c. ant. d. con. Ergo justi de condigno merentur vitam æternam quoad substantiam, & prout hæc præcisè est visio Dei intuitiva; c. con. merentur de condigno vitam æternam quoad durationem, seu prout hæc est æterna; n. con. Licèt merita supernaturalia justorum habeant aliquam proportionem ordinis cum visione Dei intuitiva, non tamen cum visione Dei intuitiva quà æterna; cùm illa sint temporanea: unde opera supernaturalia justorum, præciso jure ex infinitis Christi meritis simul resultante, non possunt de condigno mereri vitam æternam quà æternam.

Ad 2. d. ant. Justi sunt in statu amicitiæ Dei per jus resultans primariò ex meritis Christi, & habent tale jus ad amorem amicitiæ increatum & vitam æternam quà æternam; c. ant. sunt in statu amicitiæ Dei per jus præcisè ex propriis meritis supernaturalibus resultans &c. n. ant. d. con. ergo opera justorum supernaturalia de condigno merentur vitam æternam quà æternam præcisè ratione sui; n. con. prout sunt causa instrumentalis meritorum Christi; c. con. Ad prob. c. ant. & sub priori Distinctione n. con. Amor amicitiæ Dei increatus & vita æterna quà æterna sunt quid infinitum: adeoque ad hæc duo non potest dari jus, nisi simul resultet ex meritis infinitis; quia finiti ad infinitum nulla est pro-

por-

portio æqualitatis, & consequenter neque jus condignitatis.

Ad 3. c. ant. quòd nempe opera justorum supernaturalia per se habeant proportionem ad visionem Dei temporaneam, & quòd liberalitatem Divinam deceat, ut opera amicorum remuneretur per visionem sui æternam: interim tamen justi non sunt amici Dei nisi per jus resultans simul & primariò ex meritis Christi; ùt dixi in priori responsione. N. con. nam, si præscindatur jus resultans ex meritis Christi, non ampliùs datur jus amicitiæ cum Deo, sed præcisè liberalis benevolentia Dei; adeoque non amplius datur meritum de condigno, & fundatum in jure intrinseco justis, sed solùm meritum de congruo & fundatum in liberalitate extrinseca Dei remunerantis.

Ad 4. c. ant. quòd nempe peccata mortalia, licèt sint temporanea, per se saltem indirectè mereantur pœnam æternam quà æternam: n. con. Disparitas est: quia peccata mortalia sunt offensa Dei personalis, & altioris ordinis in linea morali, quàm satisfactio aut satispassio puræ creaturæ; adeoque, cùm reatus culpæ mortalis non possit per pœnam temporalem quoad ordinem adæquari, exigit indirectè pœnam æternam. Econtra, cùm merita justorum etiam supernaturalia non sint altioris ordinis quàm visio Dei intuitiva,

possunt

possunt perfectè adæquari per visionem Dei temporaneam; adeoque præciso jure ex infinitis Christi meritis resultante non exigunt pro præmio visionem Dei æternam quà æternam.

116 *Quæres 7.* An opera justorum, prout in linea morali sunt causa instrumentalis meritorum Christi, mereantur de condigno & ex justitia vitam æternam?

℞. Opera supernaturalia justorum, prout in linea morali sunt causa instrumentalis meritorum Christi, defactò in complexo merentur de condigno & ex justitia vitam æternam quà æternam. *Ita quoad rem cum sanctis Patribus D. Thomas 2. 2. q. 61. a. 4. ad 1. Eximius Suarez lib. 12. de gratia cap. 30. & de Incarnat. Disp. 4. Sect. 5. & alii Theologi communiùs; quamvis aliqui negent, Deum posse creaturæ obligari ex justitia propriè dicta.*

Responsio patet I. ex illis textibus Scripturæ, in quibus Christus dicitur nobis meruisse vitam æternam: sic Joan. 10. v. 10. Christus ipsemet ait: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Et ad Hebr. 5. v. 9. *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.*

II. Ex illis textibus, in quibus Deus dicitur decrevisse Incarnationem Verbi Divini, ùt per remissionem peccatorum & retributionem vitæ æternæ possit manifestare suam justitiam: sic Apostolus ad Rom. 3. v. 25. ait:

ait: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ.* Et ad Rom. 5. v. 21. *Ut gratia regnet per justitiam in vitam æternam per JEsum Christum Dominum nostrum.*

III. Ex illis textibus, in quibus Christus dicitur causa meritoria principalis & justi instrumentalis, vitæ æternæ: sic Christus Joan. 15. v. 5. ait: *Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Et Apostolus 1. ad Corinth. 3. à v. 11. inquit: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus JEsus . . Si cujus opus manserit, quod superædificat, mercedem accipiet.*

IV. Tandem ex illis textibus, in quibus justis gratiæ, & meritis Christi cooperantibus dicitur à Deo ex justitia deberi vita æterna: sic Apostolus 2. ad Timoth. 4. v. 8. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.* Et ad Hebr. 6. v. 10. *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.*

Unde Concilium Tridentinum Seff. 6. de justificatione Can. 32. statuit: *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & (NB.) JEsu Christi meritum, cujus*

vivum

vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit.

Ratio responsionis verò est: quia Deus per Incarnationem Verbi Divini tanquam per medium primarium, seu per Christum tanquam per Mediatorem inter Deum & genus humanum non solùm voluit in effectu manifestare suam bonitatem & misericordiam sed etiam suam sapientiam, sanctitatem, & justitiam in remissione peccatorum & in remuneratione bonorum operum per vitam æternam: ergo hoc ipso opera supernaturalia justorum, prout in linea morali sunt causa instrumentalis meritorum Christi, defactò in complexo merentur de condigno & ex justitia vitam æternam quà æternam. Ant. abundè patet ex textibus S. Scripturæ primo-secundo & tertio loco pro nostra sententia relatis. Con. prob. Merita Christi sunt Theandrica & moraliter infiniti valoris; uti nobiscum concedunt Lutherani & Calvinistæ: ergo hoc ipso opera justorum, prout hi in linea morali sunt viva Christi tanquam capitis membra, & eorum opera tanquam causa instrumentalis meritorum Christi, de condigno & ex justitia merentur vitam æternam quà æternam. Con. patet; quia in complexo meritorum Christi vi

horum

horum habent infinitum valorem & æqualitatem cum vita æterna quà æterna; adeoque, cùm à Deo bonis operibus justorum sit promissa vita æterna tanquam præmium sub conditione onerosa, illa ex justitia merentur vitam æternam.

Neque obligatio ex justitia commutativa in Deo ullam dicit imperfectionem; quia Deus potest justis tribuere jus proprietatis ad gloriam, quin Deus obliget personaliter se ipsum: sicut Princeps supremus per pactum onerosum, & contractum civilem cum suis subditis initum, non obligat passivè suam personam propter nobilitatis excellentiam, sed solùm propria bona. Unde (ùt advertit Ulpianus *Leg. Actionum ff. de obligatione & actione*) erga Principes datur actio realis non verò personalis, quatenus res eorum sunt obligatæ civiliter, non verò personæ.

Præterea, stante jure activo ex parte Christi Mediatoris ac capitis & justorum tanquam membrorum ad gloriam, obligatio passiva ex parte Dei potest præcisè provenire ex fidelitate & affectu ad justitiam, seu ex virtute justitiæ: atqui talis obligatio passiva, orta ex intrinseca perfectione Dei, nullam dicit imperfectionem; ùt patet à pari in obligatione orta ex fidelitate aut veracitate Divina: ergo. Plura de hoc dixi *in Theol. Specul. tom. 2. tract. 8. Disp. 3. q. 3. a. 1.* Sed

117 *Dices I.* Merita Christi fuerunt temporanea, & respectivè momentanea, utpote ab eo peracta in statu exinanitionis, seu in ejus vita passibili: ergo non habent proportionem ad vitam æternam quà æternam justorum, & consequenter his neque propter merita Christi potest à Deo ex justitia deberi vita æterna quà æterna, sed æternitas gloriæ à Deo prorsùs gratis tribuitur.

II. Opera supernaturalia justorum sunt effectus moralis meritorum Christi: ergo nequeunt esse in linea morali causa instrumentalis meritorum Christi in ordine ad promerendam vitam æternam. Ant. patet; quia opera supernaturalia justorum fiunt per gratiam à Deo propter merita Christi collatam.

III. Justi non agunt nomine Christi, uti e. g. legatus agit nomine Principis: ergo opera supernaturalia justorum nequeunt in linea morali esse causa instrumentalis meritorum Christi in ordine ad promerendam vitam æternam. Ant. patet; quia justi agunt, & merentur nomine proprio.

118 ℞. *ad 1.* c. ant. quòd nempe merita Christi quoad durationem physicam fuerint temporanea; nam quoad perseverantiam moralem in jure & acceptatione Divina sunt æterna. D. con. ergo non habent proportionem ad vitam æternam quà æternam justorum quoad durationem physicam præcisè; c. con. quoad valo-

valorem moralem; n. con. Merita Chrifti, uti cum Catholicis docent Lutherani & Calviniftæ communiter, fuerunt Theandrica, feu Deivirilia, & moraliter infiniti valoris; adeoque quoad valorem moralem æquivalent, imò excedunt vitam æternam juftorum.

Ad 2. c. ant. n. con. nam opera fupernaturalia juftorum funt effectus moralis meritorum Chrifti, & fimul eorum caufa inftrumentalis in ordine ad promerendam vitam æternam quà æternam. Neque repugnat, aliquid effe effectum & fimul caufam inftrumentalem ejusdem rei; ùt clarè patet in calore ignis, qui fimul eft effectus, feu proprietas ignis ad intra, & ejusdem caufa inftrumentalis in ordine ad agendum ad extra; ùt communiter docent Phyfici.

Ad 3. d. ant. Jufti non agunt nomine Chrifti, neque per gratiam Chrifti, & tanquam viva membra ejusdem capitis moralis; n. ant. non agunt nomine Chrifti, & tamen agunt per gratiam Chrifti, & tanquam membra ejusdem capitis moralis; c. ant. & n. con. Quòd jufti agant per Dei gratiam & JEfu Chrifti meritum, cujus viva funt membra in linea morali, clarè docet Concilium Tridentinum Seff. 6. Can. 32. fupra relato. Imò Chriftus ipfemet Joan. 15. v. 5. fub metaphora dicens: *Ego fum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Chrifto con-

sonat Paulus 1. ad Corinth. 12. v. 27. aïens: *Vos autem estis corpus Christi* (nempe tanquam capitis moralis) *& membra de membro.* Idem respectivè asserit alibi sæpius.

CAPUT XI.

Rejiciuntur errores Jansenistarum, & Jovinianorum, de bonis operibus, & æqualitate gloriæ cœlestis.

SUMMARIUM.

119. *Amor Dei est multiplex.*
120. *Voluntas potest diversimodè ferri in Deum.*
121. *Quidnam de amore & bonis operibus docuerit Bajus, Jansenius, & Quesnellus?*
122. *Præter amorem charitatis Dei & vitiosæ cupiditatis dantur alii actus honesti, tam naturales quàm supernaturales.*
123. *Quidnam objiciant Jansenistæ?*
124. *Hæc clarè solvuntur.*
125. *Omnes actus honesti, qui saltem mediatè & implicitè referuntur ad Deum ùt authorem supernaturalem, sunt supernaturales; & justi per eos merentur vitam æternam.*
126. *Proponuntur, & solvuntur quædam objectiones.*
127. *Dantur inæqualia merita justorum, & inæqualis gloria Beatorum.*
128. *Quidnam objiciant Joviniani?*

129. Hæc clarè solvuntur.
130. Quidnam in præsenti doceant, & quam inconsequentiam incurrant Lutherani & Calvinistæ?

QUæres I. Quotuplex sit amor Dei? 119
℞. *1.* Amor Dei dividitur in naturalem, quo diligitur Deus ùt author naturæ, & supernaturalem, quo diligitur Deus ùt author gratiæ & gloriæ. *Ita cum sanctis Patribus & D. Thoma 1. p. q. 60. a. 5. & 1. 2. q. 109. a. 3. communis Catholicorum contra Jansenistas.*

Responsio patet 1. ex S. Scriptura; nam Apostolus ad Rom 1. v. 21. inexcusabiles ait esse gentiles Philosophos: *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt;* ergo tales Philosophi, sicut Denm cognoverunt viribus suæ naturæ, ita eundem viribus suæ naturæ potuerunt diligere. Unde ad Rom. 2. v. 14. de gentibus generaliter ait: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt;* adeoque Apostolus supponit, gentes naturaliter posse implere primum præceptum de diligendo Deo.

II. Constat ex propositione 34. Baij, à Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. damnata: *Distinctio illa duplicis amoris (naturalis videlicet, quo Deus amatur ùt author naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, ùt beatificator est) vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris lite-*

literis & pluribus veterum testimoniis excogitata. Et 36. *Amor Dei naturalis, qui ex viribus naturæ oritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi, defenditur à nonnullis Doctoribus.*

Ratio responsionis verò est: quia Deus à nobis potest diligi vel propter bona naturalia & ex motivo naturali, vel propter bona supernaturalia, & ex motivo supernaturali: ergo duplex est amor Dei, nempe naturalis, quo diligitur Deus ùt author naturæ, & supernaturalis, quo diligitur ùt author gratiæ & gloriæ. Quæ hic possent objici, solvi tract. 7. cap. 4. à num. 41.

℞. 2. Amor Dei etiam supernaturalis dividitur in amorem concupiscentiæ, seu spei, in amorem simplicis benevolentiæ, & in amorem amicitiæ, seu charitatis. *Ita iterum cum sanctis Patribus & D. Thoma 2. 2. q. 23. a. 1. communis Catholicorum contra Jansenistas, qui volunt amorem concupiscentiæ sine amore charitatis esse vitiosum.*

Responsio patet ex S. Scriptura; nam Apostolus 1. ad Corinth. 13. v. 13. de fide, spe & charitate, tanquam tribus virtutibus distinctis & supernaturalibus, ait: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.* Unde etiam Concilium Tridentinum Sess. 6. can. 31. de amore concupiscentiæ, seu spei, statuit: *Si quis dixerit justi-*

justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur; anathema sit.

Porrò *amor concupiscentiæ* est, quo amamus Deum aut aliquid aliud ùt nobis bonum; adeoque hic amor pro fine *cui* respicit ipsum amantem: sic servus amat Dominum, quando hunc amat propter stipendium & victum, quem ab eo recipit. *Amor simplicis benevolentiæ* est, quo amamus Deum, aut proximum, ùt in se bonum, eíque volumus bonum; adeoque hic amor pro fine *cui* habet ipsum amatum: sic servus amat Dominum, quando ei obsequia præstat, quia ille his est dignus, aut servus per hæc cupit placere Domino. *Amor amicitiæ* verò est, quo amamus Deum, aut proximum, non solùm ùt in se bonum & amore dignum, sed etiam ùt nobis benevolum benevolentia amicabili, seu propter ejus amorem amicitiæ mutuum. Unde ad amorem amicitiæ strictè dictum non sufficit sola simplex benevolentia, sed requiritur amor mutuus fundatus in communicatione bonorum; ùt docet D. Thomas l. c. dicens: *Sed nec benevolentia sufficit ad rationem amicitiæ, sed requiritur quædam mutua amatio; quia amicus est amico amicus. Talis autem mutua benevolentia fundatur super aliqua communicatione: hominis ad Deum, secundùm quod nobis suam beatitudinem communicat, super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari. Amor autem super*

hanc communicationem fundatus est charitas. Perfectissimus igitur actus amoris & contritionis consistit in tali charitate erga Deum & dolore de peccatis; ùt dixi supra cap. 9. num. 102.

120 *Quæres 2.* Quomodo voluntas possit ferri in Deum?

℟. Voluntas potest diversimodè ferri & tendere in Deum, I. *immediatè & explicitè*, tam per amorem concupiscentiæ, quàm benevolentiæ & amicitiæ: & quidem actualiter virtualiter vel solùm habitualiter; prout intentio seu tendentia in Deum est actualis, virtualis, vel solùm habitualis.

II. Voluntas potest in Deum ferri & tendere *mediatè & implicitè*; quando nempe aliquid vult ex motivo justo honesto & rationabili, seu ponit actum ex formali motivo alicujus virtutis, sive supernaturali sive naturali. Ratio hujus est: quia Deus est causa & primum principium omnis virtutis etiam moralis; adeoque omnis actus virtutis per se subordinatur, & refertur ad Deum, tanquam primum principium & finem ultimum ipsius operis.

Unde oritur apud Catholicos Theologos famosa illa distinctio finis, qua dividunt duos modos, quibus aliqua actio refertur ad Deum, nempe ex *fine operis* & ex *fine operantis.* Ex fine operis actio refertur ad Deum, quando

do opus ex natura sua bonum fit ex formali motivo virtutis, sicque per se refertur ad Deum, qui est primum principium & ultimus finis omnis virtutis. Ex fine operantis verò, quando operans formaliter agit ex amore Dei.

Hinc etiam potest dici, quòd omnis ille, qui ponit aliquem actum honestum, à Deo præceptum, eíque gratum, ex motivo formali talis virtutis, e. g. justitiæ, quòd, inquam, talis virtualiter & implicitè diligat Deum; juxta illud Christi Joan. 14. v. 21. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Ut autem oppositum Jansenistarum errorem clariùs intelligas,

Quæres 3. Quidnam de amore & bonis ope- 121
ribus docuerit Bajus, Jansenius, & Quesnellus?

℞. Sequentia, I. Bajus propositione 38. ait: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas (qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur) aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.* Unde Bajus docuit, omnes actiones hominis esse malas, nisi fiant ex charitate Dei.

II. Idem docuit Jansenius tom. 2. lib. 3. cap. 19. dicens: *Nullum datur medium inter Charitatem & malignam cupiditatem . . . secundùm hanc definitionem cupiditatis, quæ est radix omnium malorum, S. Augustinus dividit omnem volunta-*

tem & omnem volitionem in charitatem & cupiditatem vitiosam. Et ibidem cap. 20. ait : *S. Augustinus docet tanquam rem verissimam, nullam posse haberi actionem, quæ non sit mala, si etiam ipsamet justitia non ametur ex cœlesti charitate, & si non referatur ad Deum ipsum tanquam suum ultimum finem.*

III. Idem pariter docuit Quesnellus propositione 44. asserens : *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones nostræ nascuntur. Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur : & amor, quo nos ipsos & mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.* Et propositione 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnésque actiones ejus corrumpat.* Imò in hoc principio Quesnellus plerasque propositiones suas, ex centum & una damnatis, fundat, & ex eo deducit.

Porrò huic errori præluxit Calvinus in Antidoto Concil. Trident. Sess. 6. can. 15. dicens : *Nihil purum & honestum est coram Dei judicio, nisi quod provenit ex ejus perfecto amore.* Interim tamen Bajus suos errores recantavit, & suo modo etiam Jansenius, Quesnellus verò in illis pertinax hæreticus permansit; ùt ostendi tract. 7. cap. 13. num. 153. Jam

Quæ-

Quæres 4. An præter amorem charitatis 122
Dei & vitiosæ cupiditatis dentur actus medii honesti?

℟. Præter amorem charitatis Dei & vitiosæ cupiditatis dantur actus medii honesti, tam naturales quàm supernaturales. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum contra Jansenistas.*

Responsio patet I. ex S. Scriptura; nam Apostolus ad Rom. 2. v. 14. de gentibus ait: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt;* adeoque gentes viribus naturæ possunt exercere aliquos actus honestos, qui sunt de jure naturali, e. g. honorare parentes &c. Item 1. ad Corinth. 13. v. 13. de fide, spe, & charitate tanquam tribus virtutibus supernaturalibus & distinctis, inquit: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas;* adeoque Apostolus supponit fidem & spem, prout etiam sunt actus distincti à charitate, esse actus virtutum supernaturalium.

II. Constat ex SS. Patribus, inter quos S. Augustinus serm. 52. de tempore cap. 1. & 2. ait: *Charitas alia est Divina; alia est humana licita, alia illicita . . . Liceat vobis humana charitate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros . . . sed videtis istam charitatem esse posse & impiorum, id est Paganorum, Judæorum, Hæ-*

Hæreticorum. Idem docet serm. 344. de amore Dei & sæculi, Homil. 38. inter 50. Epist. 121. de adorando Deo cap. 5. & alibi sæpius. Gregorius Magnus Homil. 27. in Evangel. Joan. cap. 15. v. 12. inquit: *Sunt nonnulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis & carnis: quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt. Sed aliud est, quod sponte impenditur naturæ, & aliud, quod præceptis Dominicis ex charitate debetur, obedientiæ.* Et S. Laurentius Justinianus lib. de ligno vitæ cap. 13. expressè dicit: *Amor triplex est, gratuitus, naturalis, & vitiosus.*

Sanctis Patribus accedit D. Thomas, qui 1. p. q. 60. a. 1. ad 3. ait: *Dicendum est, quòd sicut cognitio naturalis semper est vera, ita dilectio naturalis semper est recta: cùm amor naturalis nihil aliud sit, quàm inclinatio naturæ indita ab authore naturæ. Dicere ergo, quòd inclinatio naturæ non sit recta est derogare authori naturæ. Alia tamen est rectitudo naturalis dilectionis, & alia est rectitudo charitatis & virtutis; quia una rectitudo est perfectiva alterius.*

III. Nobis Catholicis certò constat; quia doctrina opposita Baij & Jansenii fuit damnata à Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. Quesnelli verò à Clemente XI. in Constitutione *Unigenitus.* Imò horum doctrina jam priùs fuit æquivalenter damnata à Concilio Tridentino Seff. 6. can. 31. *Si quis dixerit justifi-*

stificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur; anathema sit. Et Can. 8. *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere; anathema sit.*

Ratio responsionis verò est: quia actus virtutum à charitate distinctarum, etiamsi formaliter non fiant ex motivo charitatis Divinæ, seu propter Deum, sunt tamen rectæ rationi & legi Divinæ conformes: ergo sunt moraliter boni & honesti. Ant, patet; quia recta ratio & lex Divina non solùm præcipit exercitium dilectionis Divinæ sed etiam aliarum virtutum moralium; ùt patet ex Decalogo. Con. etiam constat; quia honestas moralis est ipsa conformitas actionis cum recta ratione & lege Divina.

Præterea, etiamsi similes actus virtutum non referantur ad Deum immediatè & explicitè, referuntur tamen ad Deum tanquam ultimum finem mediatè & implicitè, seu virtualiter. Ratio hujus est: quia, sicut *omne agens particulare agit in virtute primi motoris, id est Dei; ita etiam omnis finis bonus movet in virtute ultimi finis, qui est Deus.* Et, sicut omne illud, quod est difforme rectæ rationi, est virtualiter & ultimatò difforme legi Divinæ; ita à contrario omne illud, quod est perfectè conforme re-

ctæ

ctæ rationi, est virtualiter & ultimatò conforme legi Divinæ saltem naturali.

123 *Quæres 5.* Quidnam objiciant Jansenistæ?

℞. sequentia, I. Sancti Patres dicunt, duos tantùm dari amores, ex quibus nascuntur omnes voluntatis motus & propensiones, nempe amorem Dei & amorem mundi, seu sui ipsius: ergo &c. Ant. prob. S. Augustinus tom. 4. Enarrat. in Psalm. 90. Serm. 1. colum. 966. ait: *Quomodo enim radix omnium malorum cupiditas, sic radix omnium bonorum charitas est.* Idem docet alibi sæpius: ergo &c. Unde S. Pater tom. 6. in Enchir. cap. 117. col. 240. inquit: *Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas.* Et tom. 5. Serm. cap. 13. *Charitate amas, quidquid bene amas.*

II. Sancti Patres dicunt, nullum opus esse bonum, nisi procedat ex charitate Dei: ergo &c. Ant. prob. S. Augustinus tom. 5. Serm. 165. de verbis Apostoli cap. 4. inquit: *Latitudo ergo charitas est, quæ sola bene operatur.* Tom. 6. lib. 2. de diversis quæst. col. 111. *Charitas sola bene utitur donis Dei.* Et tom. 10. lib. de liber arbit. & grat. cap. 18. col. 737. *Quod fit sine charitate, nullo modo fit bene*: ergo juxta S. Augustinum nullum opus est bonum, nisi procedat ex charitate.

III. Sancti Patres dicunt, quòd tota vita infidelium sit continuum peccatum: ergo volunt, quòd totum sit malum, quidquid non est

est bonum per amorem Divinum. Præterea sancti Patres dicunt, homines infideles habere solùm adulterinas virtutes, quando ipsis deest *agnitio veritatis & amor charitatis:* ergo volunt, nullum actum esse re ipsa coram Deo bonum, nisi procedat ex amore charitatis Divinæ.

IV. Actus spei seu amor concupiscentiæ, quo quis amat suam beatitudinem, est inordinatus, nisi simul procedat ex charitate Dei: ergo est peccaminosus & naturalis. Ant. prob. Talis amor est amor proprius & non Dei, seu magis proprius quàm Dei: ergo. Ant. prob. Sic homo esset finis *cui:* ergo talis amor esset magis proprius quàm Dei.

V. Sic bonitas Dei respectiva esset solùm objectum materiale spei: ergo actus spei esset inordinatus. Ant. prob. Sic Deus desideraretur ùt medium ad nos beandos: ergo nos essemus finis *cui* ultimus, & beatitudo nostra formalis finis *qui* ultimus: atqui sic Deus amaretur solùm ùt medium & objectum materiale: ergo.

VI. Qui amat sanitatem ùt sibi bonam, magis amat se ipsum quàm sanitatem, & sistit in se ipso ùt fine: ergo etiam, qui amat Deum ùt sibi amanti bonum, magis amat se ipsum quàm Deum, & sistit in se ipso ùt fine: atqui amor, quo quis magis amat se ipsum quàm Deum, & sistit in se ipso ùt fine: est inordinatus, & peccaminosus: ergò.

℟. ad

124 ℞. *ad 1*. n. ant. quoad *τὸ tantùm*; nam oppositum constat ex textibus sanctorum Patrum num. præced. pro nostra responsione relatis. Ad prob. explico 1. textum: Sic radix omnium bonorum naturalium est charitas; n. ant. omnium bonorum supernaturalium præsertim charitas habitualis; subd. est radix mediata; c. ant. semper immediata; n. ant. & con. S. Augustinus non excludit omne aliud principium nostrarum volitionum inter charitatem Divinam & cupiditatem vitiosam; nam Serm. 112. de tempore in appendice ait: *Hi duo amores sunt duæ plantæ, quæ plantantur in duobus agris à duobus diversis agricolis: Christus ponit primam, quæ est charitas in corde piorum; & dæmon ponit secundam, quæ est cupiditas in corde impiorum.*

Ubi S. Doctor non excludit tertium agricolam, qui nec est Diabolus nec Christus, ùt Redemptor, sed Deus ùt Creator: ergo neque excludit tertiam plantam, quam ponit tertius agricola in cordibus hominum, nimirum amorem naturalem rationabilem, qui est principium actionum naturalium moraliter bonarum. Cæterùm charitas infusa & habitualis est, & dicitur radix saltem mediata omnium bonorum supernaturalium, quatenus est finis fidei & spei, simulque radix omnium virtutum moralium infusarum.

Eadem est responsio ad 2. textum; nam sanctus Pater vult, quòd, ubi non est chari-

tas habitualis infuſa, ſed habitus vitioſi, uti in peccatoribus, ibi ordinariè regnet, & prædominetur cupiditas. Tertium textum explico: Charitate latè ſumpta amas, quidquid bene amas; c. ant. charitate ſtrictè ſumptá; n. ant. & con. S. Auguſtinus charitatem ſæpiùs accipit latè pro omni amore honeſto & recto, ſeu rectæ rationi conformi. Sic tom. 4. Enarrat. in Pſalm. 9. colum. 52. ait: *Pes animæ rectè intelligitur amor: qui, cum pravus eſt, vocatur cupiditas aut libido; cum autem rectus, dilectio vel charitas.* Et tom. 7. lib. 14. de Civit. Dei cap. 7. colum. 355. inquit: *Recta itaque voluntas eſt bonus amor, & voluntas perverſa malus amor.*

Ad 2. n. ant. intelligendo, niſi procedat ex charitate Dei formali, explicita, & ſtrictè dicta; nam ſufficit, quòd procedat ex charitate Dei virtuali, implicita, & latè tali, prout hæc eſt amor boni honeſti, quatenus ordinabilis ad primam honeſtatem, & regulam morum, ſeu voluntatem Divinam. Ad prob. explico textum: Latitudo ergo charitas eſt vel ſtrictè vel latè dicta, quæ ſola bene operatur; c. ant. ſola charitas ſtrictè dicta; n. ant. & con. Eadem eſt reſponſio ad duos ſubſequos textus, & patet ex ipſo S. Auguſtino, qui charitatem ſæpiùs latè ſumit; ùt patet ex duobus textibus in fine prioris reſponſionis relatis.

Ad 3. d. ant. Sancti Patres dicunt, quòd tota vita infidelium sit continuum peccatum habituale; c. ant. continuum peccatum actuale; n. ant. & n. con. Sancti Patres non voluerunt, quòd omnes actiones infidelium per totam vitam sint peccaminosæ & demeritoriæ, sed solùm, quòd per nullas suas actiones liberentur à peccato habituali, quamdiu perseverant in infidelitate, & vivunt sine Dei charitate. Unde S. Bonaventura lib. 4. dist. 39. a. 1. q. 3. ad 2. explicans antiquiores Patres ait: *Sola fides est, quæ mundare potest à peccatis nostris: hinc sensus verborum illorum* (nempe sanctorum Patrum) *est talis, quòd nempe vita infidelium nunquam sit sine peccato; non autem, quod omnes eorum actiones per totam vitam sint peccata.*

Ad id, quod additur, d. ant. Sancti Patres dicunt, homines infideles habere solùm adulterinas virtutes, quando istis deest agnitio veritatis & amor charitatis, & quando operantur ex infidelitate, aut alio pravo fine; c. ant. quando operantur ex recta ratione & naturali honestate; n. ant. & con. Responsio patet ex D. Thoma, qui 2. 2. q. 23. a. 7. ad 1. explicans antiquiores Patres ait: *Dicendum, quòd actus alicujus charitate carentis potest esse duplex: unus quidem secundùm hoc, utpote cum facit aliquid in ordine ad id, per quod caret charitate. Et talis actus semper est malus: sicut Augustinus*

nus dicit in quarto contra Julianum, quòd actus infidelis, in quantum est infidelis, semper est peccatum, etiamsi nudum operiat, vel quidquid aliud hujusmodi faciat, ordinans ad finem suæ infidelitatis. Alius autem potest esse actus charitate carentis, non secundùm quod charitate caret, sed secundùm quod habet aliquod aliud donum Dei, vel fidem, vel spem, vel etiam naturale bonum. Et secundùm hoc sine charitate potest quidem esse aliquis actus bonus ex suo genere, non tamen perfectè bonus; quia deest debita ordinatio ad ultimum finem. Hìc tu, benevole Lector, considera, quinam sint meliores Interpretes S. Augustini & aliorum Patrum; an S. Bonaventura cum D. Thoma, an pertinaces Jansenistæ cum Quesnello à vero S. Scripturæ & Ecclesiæ sensu aberrantes.

Ad 4. n. ant. nam talis actus spei per se est ordinabilis ad actum charitatis, tanquam medium ad finem & actus imperfectior ad perfectiorem; adeoque non est inordinatus, etsi non procedat ex charitate Dei formali. Ad prob. n. ant. quoad utrumque membrum; nam talis amor est amor sui tanquam finis *cui* immediati & subordinati, & simul amor Dei tanquam finis *qui* ultimi; adeoque non est tantùm amor sui. Dein per actum spei homo virtualiter, implicitè, & appretiativè magis amat Deum; tanquam finem *qui* ultimum, quàm se ipsum, tanquam finem *cui* subordinatum. Ad ult. prob. d. ant. Sic homo esset finis *cui*

immediatus & ſubordinatus Deo, tanquam fini *qui* ultimo; c. ant. eſſet finis *cui* ultimus, & non ſubordinatus Deo; n. ant. & con. Homo per actum ſpei deſiderat ſe uniri cum Deo tanquam ſummo & infinito bono, ac fine ſuo ultimo; adeoque non diligit magis ſe ipſum quàm Deum.

Ad 5. n. ant. nam bonitas Dei reſpectiva eſt motivum formale ſpei & finis *qui* ultimus ſperanti; adeoque non eſt objectum purè materiale actûs ſpei. Ad prob. d. maj. Sic Deus deſideraretur ùt purum medium ad nos beandos; n. maj. & ſimul ut finis ultimus nos beatificans; c. maj. & ſic diſtincta min. n. con. Ratio diſtinctionis eſt: quia Deus per actum ſpei non deſideratur, aut ordinatur, tanquam medium ad noſtram beatitudinem formalem, ſed deſideratur, & ordinatur tanquam perfectivum ad perfectibile, & ſatiativum ad ſatiabile; adeoque etiam reſpectu actûs ſpei quà talis Deus non deſinit eſſe finis ultimus qui, ſed potius ſit formaliter finis ultimus noſter quà noſter.

Ad 6. c. ant. n. con. Diſparitas eſt 1. quia ſanitas non eſt per ſe finis ultimus, aut infinitè bona; ſicut finis per ſe ultimus & infinitè bonus eſt Deus. 2. quia ſanitas eſt aliquod accidens, quod per ſe ordinatur in bonum ſubſtantiæ, ſeu hominis; ſecus eſt de Deo. 3. quia ſanitas non eſt ſubſtantia intellectualis,

lis; adeoque non eſt ulterius amabilis amore amicitiæ, ſicut Deus. Sed

Dices: Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. v. 31. ait: *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite:* ergo datur præceptum Divinum omnia peragendi in gloriam Dei, ſeu ex charitate Dei, & conſequenter, quod non fit ex charitate Dei, eſt peccatum. Præterea ipſum præceptum charitatis Dei ſuper omnia obligat, ut omnia referamus ad Deum tanquam finem *cui* ultimum: ergo vi hujus primi & maximi mandati tenemur omnia operari ex charitate Dei.

℞. c. ant. n. con. Loquendo de charitate Dei formali; nam prædicta verba Apoſtoli, vel continent ſolùm conſilium, vel ſenſus eſt ſolùm de charitate virtuali & aptitudinali, ut nempe nihil fiat, quod non ſit referibile ad Deum, ejus voluntatem & gloriam; ùt cum S. Ambroſio, Anſelmo & Cajetano exponit Cornelius à Lapide in locum Apoſtoli citatum. Quod ultimum eſt valde probabile; quia Apoſtolus verſibus præcedentibus agit de non dando ſcandalo.

Ad id, quod additur, d. ant. ipſum præceptum charitatis Dei ſuper omnia obligat, ut omnia referamus ad Deum, tanquam finem cui ultimum, implicitè, virtualiter, & aptitudinaliter; c. ant. ut ſic omnia referamus explicitè & formaliter; n. ant. & con. Præ-

ceptum diligendi Deum super omnia non obligat semper & pro semper, sed solùm, quando satis clarè incidit ejus obligatio, & illud aliquamdiu non implevimus; adeoque non obligat, ut omnia explicitè & formaliter referamus ad Deum.

Quæres 6. An omnes actus honesti, qui referuntur ad Deum, sint supernaturales, & justi per eos mereantur vitam æternam.

℞. *ad 1.* Omnes actus fidelium honesti, qui saltem mediatè & implicitè referuntur ad Deum, ùt authorem supernaturalem, sunt supernaturales. *Ita quoad rem communis Theologorum Catholicorum contra Jansenistas.*

Responsio colligitur I. ex S. Scriptura; nam Christus Matth. 10. à v. 40. dixit: *Qui recipit vos, me recipit: &, qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: &, qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. Et, quicunque dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine Discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Ex quo textu Cornelius à Lapide cum sanctis Patribus communiter, & Eximius Suarez lib. 2. de necessitate gratiæ cap. 16. num. 10. arguit ad opus supernaturale sufficere relationem creaturæ ad Deum ùt authorem supernaturalem.

II. Colli-

II. Colligitur ex Concilio Tridentino, quod Seſſ. 6. de juſtific. cap. 6. ait: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtificationem, dum excitati Divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt &c.* & inter ſimiles actus enumerat timorem juſtitiæ, ſpem veniæ &c. ergo ſimiles actus ſunt ſupernaturales dummodo reſpiciant Deum ùt authorem ſupernaturalem; *ſeu omnis juſtitiæ fontem.* Idem clariùs conſtat ex propoſitione 34. Baji, à Pio V., Gregorio XIII. & Urbano VIII. damnata: *Diſtinctio illa duplicis amoris (naturalis videlicet, quo Deus amatur ùt author naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ùt beatificator) vana eſt & commentitia, & ad illudendum ſacris literis & pluribus veterum teſtimoniis excogitata.*

Ratio Reſponſionis verò eſt: quia homines præſertim fideles omni tempore opportuno, ſeu quandocunque cogitant de rebus ſupernaturalibus habent gratias actuales, ſeu illuſtrationes ſupernaturales intellectûs & pias affectiones voluntatis: ergo hoc ipſo, quòd ſuos actus explicitè aut implicitè referant ad Deum ùt authorem ſupernaturalem, tales actus ſunt ſupernaturales. Ant. patet ex dictis tract. præced. cap. 14. à num. 164. Con. etiam conſtat; quia hoc ipſo, quòd voluntas hominis operetur ex motivo ſupernaturali & proprio gratiæ, gratia tam habitualis quàm

actualis necessariò influit in actum, utpote causa de se necessaria & voluntati subordinata; ùt dixi cit. tract. cap. 8. à num. 87.

℞. 2. Justi per similes actus supernaturales merentur vitam æternam; etiamsi tales actus non eliciantur formaliter ex motivo charitatis Divinæ, aut ab hac non imperentur. *Ita cum Eximio Suarez lib. 12. de grat. & merit. cap. 9. Patres Inclytæ Soc. JEsu, aliique Theologi communiùs contra Scotum, Bannez, & nonnullos.*

Responsio colligitur I. ex S. Scriptura, in qua operibus supernaturalibus justorum universaliter promittitur vita æterna, sæpius nulla facta mentione de imperio & influxu charitatis. Sic Christus Matth. 19. juveni interroganti: *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* respondit generaliter: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et dein enumeravit præcepta moralia, nulla facta mentione dilectionis Divinæ. Item Joan. 5. v. 29. generaliter dicitur: *Procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt in resurrectionem judicii.*

II. Colligitur ex Concilio Tridentino, quod Sess. 6. Can. 32. de bonis operibus hominis justificati, *quæ ab eo per Dei gratiam & JEsu Christi meritum fiunt*, definivit esse meritoria augmenti gratiæ & vitæ æternæ: atqui opera supernaturalia justorum fiunt per JEsu Christi meri-

meritum & gratiæ influxum, etiamsi non eliciantur, aut imperentur à charitate: ergo.

Ratio responsionis verò est: quia opera supernaturalia justorum, etiamsi non eliciantur, neque imperentur à charitate, tamen habent omnia requisita ad meritum vitæ æternæ: ergo. Ant. prob. I. sunt opera elicita in statu gratiæ & à Filio Dei adoptivo: quæ conditio est requisita ex parte merentis. II. Sunt opera intrinsecè supernaturalia; cùm in illa influant habitus infusi proprii cujuslibet virtutis in particulari. III. Sine influxu aut imperio charitatis per se sufficienter referuntur ad Deum: ergo.

Antecedens quoad solum tertium membrum apud adversarios habet difficultatem, & probatur ab enumeratione partium: sic fides per se refertur ad Deum ùt summè veracem; spes ùt summè bonum & fruibilem; obedientia ùt supremum legislatorem; religio ùt ad primum principium bonorum omnium tam naturalium quàm supernaturalium; reliquæ verò virtutes morales infusæ, cùm tendant in sua objecta ùt conducentia ad finem ultimum, per se prosequuntur media ad finem ultimum: ergo omnes actus virtutum supernaturales per se referuntur ad Deum vel explicitè & immediatè, vel implicitè virtualiter & mediatè.

Præterea omnis actus supernaturalis est per se obsequium saltem virtuale Dei ùt legislatoris supernaturalis, & ejusdem ordinis cum vita æterna: ergo omnis actus supernaturalis saltem hominis justi per se est meritorius vitæ æternæ. Ant. patet; quia omnis actus virtutis supernaturalis est à Deo præceptus aut consultus; adeoque est virtualiter, implicitè, & quoad rem obsequium Dei ùt legislatoris supernaturalis. Sed

126 *Dices I.* Apostolus 1. ad Corinth. 13. à v. 2. ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et, si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: ergo fides & reliquæ virtutes, nisi eliciantur aut imperentur à charitate, non merentur vitam æternam. Præterea vita æterna in S. Scriptura sæpissimè dicitur *præparata diligentibus Deum*: ergo hanc meremur per solam dilectionem Dei.

II. S. Scriptura vitam æternam promittit solis operibus propter Deum factis: sed, nisi opera eliciantur, aut imperentur à charitate Dei, non fiunt propter Deum: ergo non merentur vitam æternam. Maj. patet; nam Christus Matth. 19. dixit: *Omnis, qui reliquerit &c. propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Id ipsum alibi insinuat sæpissimè.

Un-

Unde Apostolus ad Colofs. 3. v. 17. solicitè nos admonet: *Omne, quodcunque facitis in verbo aut in opere, in nomine Domini JEsu Christi facite.*

III. S. Thomas 1. p. q. 95. a. 4. ait: *Quantitas meriti ex duobus potest pensari; primò ex radice charitatis & gratiæ. Et talis quantitas meriti respondet præmio essentiali, quod consistit in Dei fruitione. Alio modo considerari potest quantitas meriti ex quantitate operis, quæ quidem est duplex, scilicet absoluta & proportionalis: & tamen utraque respondet præmio accidentali, quod est gaudium de bono creato:* ergo, licèt per bona opera, quæ non eliciuntur nec imperantur à charitate, mereamur præmium accidentale, non tamen pæmium vitæ æternæ essentiale.

℞. *ad 1.* c. ant. n. con. nam Apostolus l. c. loquitur de charitate habituali seu gratia sanctificante; ùt communiùs exponunt Interpretes & Theologi; adeoque non vult, quòd reliqua opera supernaturalia justis nihil prosint, sed solùm, quòd illa in statu peccati mortalis peracta non mereantur vitam æternam. Vel, si Apostolus loquitur de charitate actuali (quod est æquè probabile) vult, quòd sine charitate nullus actus justificet impium prima justificatione. Ad id, quod additur, c. ant. n. con. tum, quia vita æterna in S. Scriptura sæpius etiam promittitur reliquis virtutibus supernaturalibus justorum, nulla

facta

facta mentione charitatis; tum, quia per charitatem intelliguntur etiam alia opera supernaturalia justorum, tanquam ejus proprietates, juxta illud Christi Joan. 14. v. 21. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.*

Ad 2. c. maj. d. min. Sed, nisi opera eliciantur, aut imperentur à charitate Dei, non fiunt propter Deum, ùt dilectum amore amicitiæ; c. min. ùt dilectum amore concupiscentiæ saltem virtuali; n. min. & con. Omnia opera supernaturalia fiunt aliquommodò propter Deum; nempe, quæ eliciuntur, aut imperantur à charitate, fiunt propter Deum ùt dilectum amore amicitiæ: quæ eliciuntur, aut imperantur à spe, fiunt propter Deum ùt dilectum amore concupiscentiæ formali: quæ verò fiunt ùt conducentia ad finem ultimum, seu prout à Deo præcepta, aut propter alium respectum ad Deum, fiunt propter Deum ùt dilectum amore concupiscentiæ vel amicitiæ virtuali.

Ad 3. c. ant. d. con. ergo opera externa justorum, seu actus externi potentiarum materialium non merentur præmium essentiale sed solùm accidentale vitæ æternæ; c. con. opera interna & supernaturalia justorum; n. con. S. Doctor in secunda parte textûs non loquitur de operibus supernaturalibus internis, sed externis; nam loquitur de oblationibus

nibus in templo factis, & duobus minutis à vidua Evangelica oblatis. Et hæc opera externa ait non mereri prœmium eſſentiale, ſed ad ſummum accidentale, nempe gaudium de tali opere peracto. In exemplo: ſi duo ex actibus charitatis, aut religionis, æquè intenſis, in honorem Dei exſtruxiſſent duo templa, unus majus, alter minus, tunc uterque haberet æquale prœmium eſſentiale; primus tamen haberet majus gaudium accidentale de bono creato; eò quòd nobilius templum in honorem Dei exſtruxiſſet. Plura, quæ hic à ratione objici poſſent, ſoluta videre licet in Theol. Specul. tr. 6. diſp. 6. q. 2. a. 4.

Quæres 7. An dentur inæqualia merita ju- 127
ſtorum, & inæqualis gloria Beatorum?

℞. *ad* 1. Dantur inæqualia merita juſtorum. *Ita cum ſanctis Patribus communis Catholicorum contra Jovinianum apud S. Hieronymnm lib. 2. contra Jovinianum.*

Reſponſio patet ex S. Scriptura; nam Jobi 1. v. 8. dixit Dominus ad Satan: *Nunquid conſideraſti ſervum meum Job, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex & rectus &c.* Pſalm. 83. v. 8. ait David: *Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.* In quem locum S. Gregorius homil. 15. in Ezechielem ait: *Non mirùm, ſi de virtute in virtutem gradus ſunt, quando ipſa unaquæque virtus quaſi quibusdam gra-*

dibus

dibus augetur, & sic per incrementa meritorum ad summa perducitur. Lucæ 17. v. 5. dixerunt Apostoli Domino: *Adauge nobis fidem.* In quem locum S. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum inquit: *Quare dicunt Apostoli, adauge nobis fidem, si omnium una est mensura?* Veritas responsionis tandem patet ex verbis ipsius Christi, qui Matth. 8. v. 10. de centurione dixit: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël.* Matth. 11. v. 11. *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista.* Et Lucæ 7. v. 47. *Propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.*

Ratio responsionis verò est 1. quia Deus etiam justis dat gratias diversas; juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 12. v. v. *Divisiones verò gratiarum sunt.* 2. virtutes ipsæ sunt inæqualis meriti; juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 13. v. 18. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.* 3. aliqui justi exercent virtutes intensiùs & frequentiùs, alii remissiùs & rariùs; juxta illud Apostoli 2. ad Corinth. 9. v. 6. *Hoc autem dico: qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Ergo dantur inæqualia merita justorum tam propter inæqualitatem gratiæ, quàm propter inæqualitatem virtutum, earúmque exercitium.

Por-

Porrò, quòd non solùm detur inæqualitas meritorum (ùt nobiscum contra Jovinianos concedunt Lutherani & Calvinistæ) sed etiam per eadem majus meritum justitiæ & gloriæ (qnod negant plures Calvinistæ & præsertim Lutherani) patet ex dictis supra cap. 9. num. 108. & cap. 10. num. 111. tum ex textibus priùs allatis; nam, sicut semen est causa physica fructûs, ita opera bona justorum sunt causa moralis meritoria majoris sanctitatis & gloriæ.

℞. *ad 2.* Datur etiam inæqualis gloria Beatorum. *Ita iterum cum sanctis Patribus communis Catholicorum, imò respectivè etiam Lutheranorum & Calvinistarum, contra Jovinianum.*

Responsio patet I. ex S. Scriptura; nam Christus Lucæ 19. v. 17. de servo, qui fuit lucratus decem mnas, sub parabola dixit: *Euge bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates.* Et v. 19. de servo, qui fuit lucratus quinque mnas, subdit: *Et tu esto super quinque civitates.* Item Joan. 14. v. 2. dixit: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt:* quem textum sancti Patres apud Cornelium à Lapide interpretantur de diversitate gloriæ cœlestis. Unde etiam Apostolus 1. Corinth. 15. v. 41. ait: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum.* Et dein v. 58. nos ad-

admonet : *Itaque fratres mei dilecti stabiles estote, & immobiles : abundantes in omni opere Domini, scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino.*

II. Ex sanctis Patribus, inter quos S. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum circa finem ait : *Denarius quasi indulgentia veri Principis omnes per Baptismum emittit de carcere. Jam nostri laboris est, pro diversitate virtutum diversa nobis præmia præparare.* S. Gregorius Magnus lib. 4. moral. cap. 42. inquit : *Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit procul dubio in altera discretio dignitatum : ut, quo hic alius alium meritò superat, illic alius alium retributione transscendat.* Et S. Augustinus tom. 7. lib. 22. de civit. Dei cap. 30. col. 700. ait : *Cæterùm, qui futuri sint pro meritis præmiorum etiam gradus honorum atque gloriarum, quis est idoneus cogitare, quantò magis dicere? quod tamen futuri sint* (nempe similes gradus) *non est ambigendum.* Unde etiam Concilium Florentinum in decreto de Purgatorio docet, animas, quæ nihil expiandum habent, in cœlum mox recipi, *Deúmque videre pro meritorum diversitate alium alio clariùs, atque perfectiùs.*

Ratio responsionis verò est : quia justi & sancti in hac vita posuerunt, & etiamnum ponunt inæqualia merita tam propter diversitatem gratiæ, quàm inæqualitatem virtutum, harúmque intensius, frequentius & diuturnius exercitium : ergo

ergo etiam in altera vita acquirent beatitudinem & gloriam inæqualem. Ant. patet ex communi ſenſu contra Jovinianum. Con. etiam conſtat; nam Apoſtolus ad Rom. 2. v. 6. de Deo, ùt juſto judice, ait; *Qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus.* Et 1. Corinth. 3. v. 8. de juſtis inquit: *Unusquisque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* Sed

Quæres 8. Quidnam objiciant Joviniani? 128

℞. Sequentia I. Chriſtus Matth. 20. proponit parabolam de operariis in vineam conductis, quorum ultimis per brevius tempus laborantibus idem denarius fuit datus, qui primis per integram diem laborantibus: atqui denarius ſignificat æternam beatitudidinem & gloriam: ergo eadem beatitudo & gloria datur æqualiter omnibus.

II. Apoſtolus 1. ad Corinth. 12. v. 6. ait: *Diviſiones operationum ſunt, idem verò Dominus, qui operatur omnia in omnibus:* & cap. 15. v. 28. *Qui ſibi ſubjecit omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus:* ergo, licèt in juſtis detur diverſitas operationum, omnes tamen habebunt eandem beatitudinem & gloriam in Deo ùt ultimo fine.

III. Matth. 13. v. 43. ait Chriſtus: *Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum.* Et cap. 22. v. 30. *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo:* ergo eadem erit gloria juſtorum, tam eſſen-

tialis quoad animas, quàm accidentalis quoad corpora.

IV. Non potest explicari in quo consistere deberet gloriæ disparitas; juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 2. v. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum:* ergo temerè asseritur inæqualitas gloriæ Beatorum.

V. Gloria omnibus justis datur ex meritis Christi; juxta illud Joan. 1. v. 16. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia:* ergo propter merita Christi omnibus datur gloria æqualis.

129 ℟. *ad 1.* c. maj. d. min. atqui denarius significat æternam beatitudinem & gloriam formalem; n. maj. objectivam & quidem primariam; c. min. & sub eadem distinctione n. con. Denarius l. c. sub parabola significat eandem beatitudinem objectivam, seu Deum ab omnibus Beatis possidendum; juxta illud Genes. 15. v. 1. *Ego Protector tuus sum & merces tua magna nimis.* Item denarius potest significare æternitatem beatitudinis formalis propter ordinationem Divinam & merita Christi, non tamen significat eundem modum beatitudinis; juxta illud S. Augustini lib. 7. in Lucam, ubi exponens caput 15. ait: *Itaque denarius omnibus idem datur, quoniam sancti omnes sine fine regnabunt; quamvis non omnes eadem eminentia regnabunt. Quemadmodum stellis omni-*

omnibus commune est perpetuò fulgere, in cœlo, tametsi aliæ aliis clariùs micent.

Ad 2. c. ant. & d. con. ergo omnes habebunt eandem beatitudinem & gloriam objectivam præsertim primariam in Deo ùt ultimo fine; c. con. eandem beatitudinem & gloriam formalem, seu æquè intensam visionem Dei intuitivam & amorem fruitivum; n. con. Licèt Deus in hac vita omnia operetur in omnibus, nos tamen ejusdem gratiæ liberè intensiùs aut remissiùs cooperamur: ergo etiam, licèt Deus in altera vita sit futurus nostra beatitudo objectiva, nos tamen eum pro diversitate meritorum clariùs aut minùs clarè videbimus, eoque intensiùs aut minùs intensè fruemur. Taceo, quòd etiam gloria objectiva accidentalis sit futura diversa propter diversitatem meritorum & objectorum ad Beatos pertinentium vel non pertinentium.

Ad 3. c. ant. & sub priori distinctione n. con. Christus in utroque textu loquitur de gloria seu dotibus corporis gloriosi; & quidem in primo de claritate corporis gloriosi, in qua etiam minimi justi adæquabunt claritatem solis; interim tamen, sicut stella differt à stella in claritate, ita inter se different corpora magis & minus gloriosa; ùt docet Apostolus 1. ad Corinth. 15. v. 41. In secundo textu Christus loquitur de impassibili-

tate & incorruptibilitate, vultque, quòd in corporibus gloriosis, non obstante diversitate sexûs, sint spiritualiter & gloriosè victuri sicut Angeli, in quibus nulla est diversitas sexûs.

Ad 4. transf. ant. n. con. nam diversitatem gloriæ Beatorum pro diversitate meritorum clarè sæpiùs innuit S. Scriptura, & communis consensus sanctorum Patrum; adeoque inæqualitas gloriæ non temerè sed solidè, tanquam articulus fidei, à nobis asseritur. Dixi autem: transf. ant. nam diversitas gloriæ substantialis facilè explicatur per clariorem & minus claram visionem Dei intuitivam, & per intensiorem & minùs intensum amorem Dei fruitivum. Item gloria accidentalis animæ facilè explicatur per visionem matutinam plurium aut pauciorum objectorum in scientia Divina: & gloria corporum gloriosorum per intensiores dotes & actus corporis gloriosi.

Ad 5. d. ant. gloria omnibus justis datur ex meritis Christi tanquam ex causa morali primaria & principali; c. ant. tanquam ex causa morali secundaria & quasi instrumentali; n. ant. & con. Licèt gloria, præsertim quâ æterna, omnibus detur ex meritis Christi tanquam ex causa morali primaria & principali; adultis tamen illa datur simul ex eorum meritis supernaturalibus, tanquam ex causa secun-

ſecundaria & quaſi inſtrumentali cum gratia cooperante. Pro coronide hujus controverſiæ.

Quæres 9. Quidnam in hac controverſia doceant, & quam inconſequentiam incurrant Lutherani & Calviniſtæ? 130

℞. *ad 1.* Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 25. diſt. 10. ait: *Quod Scripturæ docent, ab omni controverſia exemptum apud nos eſſe debet: nempe ſicut variè Deus ſua dona ſanctis in hoc mundo diſtribuens eos inæqualiter irradiat; ita non fore æqualem gloriæ modum in cœlis, ubi dona ſua coronabit Deus.* Idem ex Calvinianis docet Polonus, Piſcator, Beza, Bucanus, Schàrpius, & alii. Petrus Martyr *comment. in 1. ad Corinth. 15.* dubitat de firmitate argumentorum pro diverſitate gloriæ: Vorſtius tamen in Decade Antipiſtoriana & Schönfeldius in diſputatione publica Caſſellis edita, & habita, poſitivè negat inæqualitatem gloriæ Beatorum.

Inæqualitatem gloriæ Beatorum etiam communiter aſſerunt Lutherani cum Apologia Auguſtanæ Confeſſionis, quæ, teſto Mentzero in Exegeſi Auguſt. Confeſſ. art. 6. pag. 173. ait: *Erunt diſſimilia præmia propter diſſimiles labores.* Unde Mentzerus l. c. ſubdit: *Eadem communis eſt Theologorum ſententia: quam, quia ſuperbè rejicit Schönfeldius, argumentis uſus nullius*

nullius planè momenti, insolentiam hominis, quis æquo animo feret?

Præterea, licèt Lutherani negent justos per bona opera mereri augmentum justitiæ & gloriæ, dicunt tamen esse inæqualiter justos per justitiam Christi illis magis vel minus imputatam, & apprehensam per fidem firmiorem, aut languidiorem, frequentiùs aut minùs frequenter exercitam; ùt testatur, & docet *Brochmand in Systemate Univers. Theol. tom. 2. cap. 2. quæst. 6. pag. 612.* Ubi etiam Card. Bellarminum arguit reum mendacii, quòd de Lutheranis lib. 3. de justificat. cap. 16. oppositum afferat. Sed hanc calumniam probabiliùs tanto viro Brochmand iniquè imponit; nam primitus Lutherani plura alia falsa & absurda docuerunt, quæ dein aliqualiter correxerunt; ùt patet ex dictis supra cap. 5. à num. 49.

Porrò Lutherani & Calvinistæ diversitatem bonorum operum, justitiæ, & gloriæ Beatorum ex triplici ratione afferere videntur; 1. Ut se ab antiqua hæresi Jovinianorum distinguant. 2. Ut textus S. Scripturæ, qui inæqualitatem justitiæ & gloriæ Beatorum manifestè afferunt, possint salvare. 3. Ut Prædicantes etiam sibi præ rudi populo majorem gloriam in cœlis possint promittere.

℞. *ad 2.* Lutherani & Calvinistæ ad suum præcedentem errorem, quòd nempe justi per ope-

opera ſupernaturalia non poſſint mereri augmentum juſtitiæ & gloriæ, in præſenti controverſia nullam incurrunt inconſequentiam, dum dicunt, juſtos hoc non obſtante eſſe inæqualiter juſtos, & juſtis à Deo dari in altera vita gloriam inæqualem.

Ratio reſponſionis eſt: quia etiam ſuppoſito ſuo errore, quòd juſti per opera ſua ſupernaturalia non mereantur augmentum juſtitiæ & gloriæ, poſſunt dicere, quòd fides & alia opera juſtorum ſint conditiones puræ, quibus poſitis illis magis imputatur juſtitia Chriſti. Interim tamen per hoc nullatenus approbo hanc ultimam ſententiam Lutheranorum & Calviniſtarum; nam, licèt ex uno errore alter ſequatur, uterque tamen manet error.

Cæterùm Prædicantes (præſertim qui ſunt in errore culpabili, & Eccleſiæ Catholicæ ex odio Summi Pontificis pertinaciter reluctantur, ac gloriam meritorum Chriſti inordinatè ſine noſtrorum meritorum concurſu promovere volunt) ſe ipſos magnopere decipiunt, dum ſibi propter hunc laborem, etiam ùt puram conditionem, majorem in altera vita gloriam præ rudi ſuo populo pollicentur. Chriſtus quippe, qui diverſos Hæreticos prævidit, Matth. 18. v. 17. dixit: *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Et Matth. 7. à v. 22. ſpecialiter de Prædicantibus, qui ſufficientiam meri-

meritorum solius Christi persuadere conantur populo, dixisse videtur: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus . . . Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem.*

CAPUT XII.

De sanctificatione, regeneratione, & renovatione hominis per habitus virtutum supernaturales & infusos.

SUMMARIUM.

131. *Adam in statu innocentiæ præter donum integritatis habuit habitus virtutum supernaturalium à Deo infusos.*

132. *Quænam sit sententia Concilii Tridentini de justificatione impii?*

135. *Quinam sint contrarii Hæreticorum errores?*

134. *Homo in justificatione à Deo acquirit habitus virtutum supernaturales infusos ad connaturaliter exercendos actus virtutum supernaturalium.*

135. *Sanctificatio, regeneratio, & renovatio spiritualis hominum à Deo primariò fit per habitum charitatis infusum.*

136. *Quænam objiciant moderni Hæretici?*

137. *Hæc clarè solvuntur.*

138. Justificare impium *in S. Scriptura non est*

eſt præcisè verbum forenſe, & non ſolùm ſignificat peccata remittere, ſed ſimul juſtitiam intrinſecam ſeu habitus ſupernaturales infundere.

139. Quænam objiciant adverſarii?

140. Hæc clarè ſolvuntur.

141. Cur plerique moderni Hæretici negent habitus ſupernaturales infuſos, & quomodo hos admittentes differant à nobis Catholicis?

UT præſentem controverſiam ſolidiùs & clariùs decidamus,

Nota 1. Quòd Adamus in ſtatu innocentiæ 131
præter donum integritatis habuerit habitus virtutum ſupernaturalium infuſos ad eliciendos actus ſupernaturales; ùt cum communi ſanctorum Patrum & Catholicorum, aliorúmque, declaravi tract. 6. cap. 2. num. 18. Hæc veritas patet ex S. Scriptura tam antiqui quàm novi teſtamenti; nam Geneſ. 1. v. 26. dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram:* ubi per imaginem intelligitur natura intellectualis hominis, & per ſimilitudinem gratia; ùt fuſiùs declaravi tract. cit. cap. 1. num. 7. Item Eccli. 17. à v. 1. dicitur: *Deus creavit de terra hominem, & ſecundùm imaginem ſuam fecit illum . . & ſecundùm ſe veſtivit illum virtute.* In novo teſtamento verò Apoſtolus ad Epheſ. 4. v. 23. clarè ait: *Renovamini Spiritu mentis veſtræ,*

& induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Unde Concilium Tridentinum Seff. 5. in decreto de peccato originali can. 1. statuit: *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam, in qua conditus fuerat, amisisse . . anathema sit* Ratio hujus veritatis verò est: quia Adam in statu justitiæ originalis jam fuit à Deo ordinatus ad promerendam vitam æternam per actus supernaturales; adeoque ad hos connaturaliter eliciendos Deus ei infudit habitus supernaturales virtutum.

132 *Nota 2.* Quòd justificatio impii juxta Concilium Tridentinum cap. 7. non solùm sit remissio peccati sed etiam sanctificatio & renovatio interioris hominis; nam de illa loco citato ait: *Quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum.* Et ibidem can. 11. statuit: *Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua justificamur esse tantùm favorem Dei; anathema sit.* Idem docet S. Augustinus tom. 4. enarrat. in Psalm. 7. colum. 31. dicens: *Cùm enim justificatur impius, ex impio*

impio fit justus ; & ex possessione diaboli migrat in templum Dei. Quam justificationem contra Pelagium ubique explicat per charitatem Dei, quæ diffunditur in cordibus nostris. Idem semper docuerunt alii sancti Patres, & Theologi cum D. Thoma, qui quæst. 28. de veritate a. 1. ait : *Aliam mutationem significat justificatio, scilicèt justitiæ generationem, & aliam peccatorum remissio, scilicèt corruptionem culpæ : sic autem justificatio & remissio peccatorum non erunt idem, nisi per concomitantiam.* Et ibidem art. 6. concludit : *Patet igitur, quòd remissio culpæ & infusio gratiæ non sunt idem secundùm rem.*

Nota 3. Quòd quinque potissimùm sint er- 133
rores Hæreticorum, qui negant hominem sanctificari, regenerari, & à Deo renovari per habitus supernaturales virtutum. I. Error fuit Pelagii, qui justitiam hominis collocavit in meritis purè naturalibus, physicè præteritis & moraliter perseverantibus in jure ad vitam æternam. Unde negabat omnem gratiam supernaturalem tam actualem quàm habitualem charitatis à Deo infusæ; ùt testatur S. Augustinus tom. 10. lib. de gratia Christi contra Pelag. cap. 30. colum. 243. dicens : *Istam gratiam, qua justificamur, id est, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, in Pelagii & Cœlestii Scriptis, quæcunque legere potui, nusquam inveni, quemadmodùm confitenda est, confiteri,*

teri. II. Error eſt Lutheri in Comment. ad cap. 2. Epiſt. ad Galatas ejusque Diſcipulorum, qui putant, nos ſine habitibus ſupernaturalibus virtutum, nobis à Deo infuſis, formaliter & immediatè juſtificari per juſtitiam Chriſti fide apprehenſam; juxta dicta ſupra cap. 6. num. 55. III. Idem quoad ſubſtantiam eſt error Calvini; lib. tamen 3. Inſtit. cap. 11. §. 2. docet juſtitiam propriè dictam conſiſtere in ipſa remiſſione activa peccatorum, qua Deus propter Chriſti merita nobis remittit peccata. IV. Error eſt Buceri, qui (præeunte Pighio Catholico) ſeductis quibusdam Theologîs Colonienſibus, docuit, cauſam formalem noſtræ juſtificationis eſſe duplicem; unam imperfectam & nobis intrinſecam, quæ conſiſtit in actibus virtutum nobis intrinſecis; alteram perfectam & nobis extrinſecam, quæ eſt ipſa juſtitia Chriſti nobis imputata. Differebat tamen Pighius à Lutheranis per hoc, quòd iſte dixerit, juſtitiam Chriſti nobis imputari per dilectionẽ, iſti verò, imputari per ſolam fidem. V. Error denique fuit Oſiandri, qui (oblitus juſtitiæ Chriſti quâ ſimul hominis) docuit, nos formaliter juſtificari per juſtitiam Divinam increatum nobis imputatam, ſeu per juſtitiam Chriſti eſſentialem, non verò ab humanitate ejus elicitam. Jam

134 *Quæres 1.* An homo in juſtificatione acquirat à Deo habitus virtutum ſupernaturales?

℞. Ho-

℟. Homo in justificatione à Deo acquirit habitus supernaturales seu infusos ad connaturaliùs exercendos actus virtutum supernaturalium. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum contra Pelagianos, Lutheranos, & plerosque Calvinistas antiquos; juniores tamen admittunt in justis qualitates & habitus infusos; ùt patet ex Synodo eorum Dordracena.*

Responsio patet I. ex S. Scriptura de habitibus à Deo infusis in genere, tam ex tribus textibus supra num. 131. de Adamo relatis, quàm aliis; nam 2. Petri 1. v. 4. dicitur: *Per quem* (id est per Christum, ùt causam meritoriam, Deus) *maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini Divinæ consortes naturæ.* Ubi Princeps Apostolorum clarè loquitur de virtutibus à Deo nobis ex meritis Christi infusis; nam l. c. à v. 2. præmisit: *Gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei & JEsu Christi Domini nostri: Quomodò omnia nobis Divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem* (subintellige, pertinent) *donata sunt.* Imò Apostolus in subsequo v. 4. per se clarè loquitur de gratiis & virtutibus infusis; nam tales habitus infusi sunt principium permanens actuum supernaturalium, & operationum salutarium in justificatis, per quas merentur vitam æternam: adeoque sunt participatio accidentalis naturæ Divinæ, & quasi natura supernaturalis intrinseca justificatis;

juxta

juxta illud commune axioma: *Natura est principium motús & quietis.*

Hanc profundam & solidam suam sententiam Princeps Apostolorum hausit ex verbis Christi, qui Joan. 4. v. 14. mulieri Samaritanæ de peccatore à se justificando per habitus infusos dixit, *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Unde per hunc fontem Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Joan. cap. 82. & alii Patres intelligunt gratiam sanctificantem & reliquos habitus virtutum infusos: ex quibus veluti ex fonte resultant illustrationes, piæ affectiones, & actus deliberati supernaturales ac meritorii vitæ æternæ.

Eandem sententiam à suo Magistro didicit, dilectus ejus Discipulus Joannes 1. Epist. 3. v. 9. de justo per habitum charitatis aliosque à Deo infusos sanctificato, dicens: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet:* per quod semen Dei in homine justo manens iterum intelligitur gratia sanctificans & alii habitus infusi, qui instar seminis producunt in anima supernaturales illustrationes, pias affectiones, & actus deliberatos ac meritorios vitæ æternæ. Eidem sententiæ Christi, Petri & Joannis consonat Paulus 2. ad Corinth. 1. à v. 21. dicens de Deo, nos per habitus virtutum supernaturales justificante: *Qui confirmat nos vobiscum in*

Christo, & qui unxit nos Deus: qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.

II. Patet ex eadem S. Scriptura de habitu charitatis infuso in specie; nam Apostolus Paulus ad Rom. 5. v. 5. ait: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et 1. Joan. 3. v. 1. dicitur: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus.* Ubi Discipulus Domini non fuit contentus dicere: *Ut nominemur*, nè videretur docere, nos esse filios Dei extrinseca acceptatione & imputatione solius justitiæ Christi; sed addidit: *Et simus*, ut etiam intrinsecam renovationem per qualitates supernaturales & præsertim per habitum charitatis à Deo infusæ clarè exprimeret.

III. Denique patet ex textibus S. Scripturæ, in quibus homines in statu naturæ lapsæ, seu peccatores, per Baptismum & Pœnitentiam dicuntur *regenerari* & *renovari* ad imaginem primi hominis, præsertim ad Ephes. 4. v. 23. *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Et Joan. 3. de Baptismo: *Nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.* Item ad Titum 3. v. 5. *Secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs Sancti: quem effudit in nos abundè per JEsum Christum Salvatorem nostrum: ut justificati gratia*

ipsius

ipsius hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ. Atqui primus homo Adam præter donum integritatis habuit habitus virtutum supernaturalium à Deo infusos ad eliciendos actus supernaturales; ùt patet ex dictis supra num. 131. ergo etiam nobis ejus posteris in justificatione, regeneratione & renovatione ex eodem fine infunduntur à Deo habitus infusi; excepto tamen dono integritatis, quo Deus in pœnam peccati originalis, & ob alios fines, in statu naturæ lapsæ etiam justificatos vult carere. Taceo, quod *semen vitæ æternæ*, *regeneratio* & *renovatio* hominis, quæ verba Scriptura toties exprimit, per se significent formam supernaturalem physicam & homini intrinsecam. Unde Apostolus 2. ad Corinth. 5. v. 17. & ad Galat. 6. v. 15. hominem justificatum appellat *novam creaturam in Christo.*

Ratio responsionis verò est: quia Deus non solùm substantias materiales disponit per qualitates & media naturalia ad obtinendum finem naturalem, sed etiam substantias spirituales, seu intellectuales, ad obtinendum connaturaliter finem supernaturalem; juxta illud Sapientiæ 8. v. 1. *Attingit ergo à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter:* ergo etiam substantiis intellectualibus dat qualitates & habitus supernaturales ad connaturaliùs eliciendos actus supernaturales, & ad con-

consequendum per hos finem supernaturalem.

Hoc argumentum etiam est D. Thomæ, Doctoris Angelici, qui 1. 2. q. 110. a. 2. sapienter & præclarè ait: *Non est conveniens, quòd Deus minùs provideat his, quos diligit ad supernaturale bonum habendum, quàm creaturis, quas diligit ad bonum naturale habendum. Creaturis autem naturalibus sic providet, ut non solùm moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas & virtutes quasdam, quæ sunt principia actuum, ut secundùm se ipsas inclinentur ad hujusmodi motus. Et sic motus, quibus à Deo moventur, fiunt creaturis connaturales & faciles secundùm illud Sapientiæ 8.* Et disponit omnia suaviter. *Multò igitur magis illis, quos movet ad consequendum bonum supernaturale æternum, infundit aliquas formas seu qualitates supernaturales, secundùm quas suaviter & promptè ab ipso moveantur ad bonum æternum consequendum: & sic donum gratiæ* (NB.) *qualitas quædam est.*

Porrò habitus supernaturales infusi non solùm cum voluntate physicè influunt in actus supernaturales deliberatos, sed etiam, quandocunque excitantur species impressæ de rebus supernaturalibus, producunt illustrationes supernaturales intellectûs & pias affectiones indeliberatas voluntatis; uti ex professo dixi tract. 7. cap. 7. num. 77.

135 *Quæres 2.* Per qualem habitum infusum primariò fiat sanctificatio hominis?

℞. Sanctificatio, regeneratio, & renovatio spiritualis intrinseca hominis fit primariò per habitum charitatis à Deo infusum. *Ita cum sanctis Patribus quoad rem communis Theologorum Catholicorum contra Pelagianos & plerosque modernos hæreticos.*

Responsio patet I. ex S. Scriptura; nam Apostolus 1. ad Cor. 13. v. 13. de tribus virtutibus Theologicis à Deo infusis, ait: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.* Et ad Rom. 5. v. 5. inquit: *Spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Item S. Joannes 1. Epist. cap. 3. v. 1. inquit: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus.* Ubi etiam docet, quod hæc qualitas charitatis habeat secum annexum jus filiationis Dei adoptivæ; nam v. 2. subjungit: *Charissimi nunc filii Dei sumus: & nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum, sicuti est.*

II. Constat ex sanctis Patribus, inter quos S. Augustinus tom. 10. lib. de gratia Christi contra Pelagium & Cœlestium cap. 30. colum. 243. de charitate habituali à Deo nobis infusa ait: *Istam quippe gratiam, qua justificamur, id est, qua Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris*

ſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, in Pelagii & Cœleſtii Scriptis, quæcunque legere potui, nusquam eos inveni, quemadmodùm confitenda eſt, confiteri. Talem gratiam & infuſam charitatem S. Auguſtinus neque in Scriptis Lutheri & Calvini inveniret, etſi illà millies relegeret. Item S. Bernardus volum. 1. tom. 2. pag. 554. de charitate Dei nobis infuſa & contraria carnis concupiſcentia inquit: *Per Spiritum ergo, qui ex Deo eſt, charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris: ſicut & per carnem, quæ eſt ex Adam, manat concupiſcentia noſtris inſita membris.* Idem de ſanctificatione, regeneratione & renovatione ſpirituali hominis per habitum charitatis à Deo nobis infuſum docent alii ſancti Patres.

III. Veritas reſponſionis nobis Catholicis certò etiam conſtat ex Concilio Tridentino, quod Seſſ. 6. de juſtificatione Can. 11. ſtatuit: *Si quis dixerit homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantùm favorem Dei; anathema ſit.*

Ratio reſponſionis verò eſt: quia amor amicitiæ in linea morali nos maximè conjungit cum Deo tanquam fine ultimo, & imperat actus aliarum virtutum; ergo ſanctificatio, regeneratio, & renovatio hominis ſpiritualis intrinſeca ad aſſequendum per actus virtutum

 finem

finem ultimum primariò fit per habitum charitatis infusum, qui est principium homini intrinsecum & permanens talis amoris amicitiæ.

Addidi autem in responsione: *Primariò fit per habitum charitatis à Deo infusum*; nam sanctificatio radicalis & dispositiva etiam fit per habitum infusum fidei & spei; sicut etiam completa per habitus infusos virtutum moralium, qui sunt proprietates morales charitatis. Interim tamen jus ad amorem amicitiæ Divinæ mutuum increatum & ad vitam æternam est moraliter annexum ipsi habitui charitatis; uti magis declarabo cap. seq.

136 *Quæres 3.* Quidnam objiciant Adversarii?

℞. Sequentia, I. nostra justificatio & sanctificatio fit formaliter per justitiam Christi fide apprehensam, & nobis à Deo imputatam: ergo nostra justificatio non fit primariò per habitum charitatis à Deo infusum. Con. patet; quia non datur duplex forma justificans; ùt docent alii communiter contra Pighium & Bucerum. Ant. verò probant ex textibus Scripturæ & rationibus supra cap. 6. num. 56. relatis.

II. Per habitum charitatis & alias qualitates supernaturales à Deo infusas non possumus perfectè justificari, sed solùm per justitiam Christi; ergo per hanc solam formaliter & perfectè justificamur. Ant. prob. Forma nos perfectè & completè justificans debet nobis

bis tribuere jus ad amorem amicitiæ increatum & vitam æternam quà æternam: atqui habitus charitatis & aliæ qualitates supernaturales à Deo nobis infusæ non possunt nobis tribuere jus ad amorem amicitiæ & vitam æternam quà æternam: ergo.

III. Habitum charitatis, quo nos Deum diligimus, non possumus opponere rigori justitiæ Divinæ: ergo per talem habitum nos non justificamur formaliter. Con. patet; quia formam nos justificantem, utpote formalem justitiam nostram possumus opponere rigori justitiæ Divinæ vindicativæ. Ant. prob. 1. Joan. 4. v. 10. dicitur: *In hoc est charitas* (id est amicitia cum Deo) *non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris:* ergo rigori justitiæ Divinæ non possumus opponere habitum charitatis, quo nos diligimus Deum, sed solùm amorem Dei, & merita Christi.

IV. S. Scriptura ubique docet, nos justificari ex misericordia Dei & per merita Christi: ergo non justificamur per habitum charitatis nobis à Deo infusum. Ant. patet; nam sic Apostolus ad Rom. 5. v. 8. ait: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam, cum adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est: multò igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab*

ira per ipsum. Idem docet Apostolus 2. ad Timoth. 1. v. 9. ad Titum 3. v. 5. & alibi.

V. Justificatio imperfecta, & nobis intrinseca, seu regeneratio & renovatio spiritualis fit per actum fidei in misericordiam Divinam propter Christum, & præsertim per actum fidei specialem, quo quis in particulari certò credit sibi per satisfactionem & mortem Christi remissa esse peccata: ergo regeneratio & renovatio spiritualis non fit primariò per habitum charitatis infusum. Ant. prob. Talis actus fidei statim generat amorem Dei, tranquillitatem conscientiæ, seu pacem internam, & actus aliarum virtutum; juxta illud Apostoli ad Rom. 5. à v. 1. *Justificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum JEsum Christum: per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei:* ergo &c.

VI. Sine tali fide speciali non potest dari perfectus amor Dei, & hac supposita statim datur perfectus amor Dei & Christi: ergo regeneratio & renovatio spiritualis nobis intrinseca primariò fit per fidem specialem in misericordiam Dei propter satisfactiones & merita Christi. Ant. prob. Sine tali fide speciali non potest dari firma fiducia in Deum, quæ foras mitteret timorem: ergo neque potest dari perfecta charitas. Ant. patet; quia sine tali fide speciali non sumus certi de nostra justitia; adeo-

adeoque ſemper timemus nos eſſe coram Deo injuſtos. Con. prob. 1. Joan. 4. v. 18. dicitur: *Timor non eſt in charitate: ſed perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non eſt perfectus in charitate:* ergo ſine tali fide ſpeciali non poteſt dari perfecta charitas Dei, & conſequenter neque perfecta regeneratio & renovatio ſpiritualis.

VII. S. Scriptura nullibi aſſerit, à Deo nobis infundi habitus & qualitates ſupernaturales: ergo hæ ſine fundamento & ex proprio beneplacito à Catholicis aſſeruntur. Ant. prob. Etiam in Concordantiis Scripturæ Catholicorum neuter terminus in hoc ſenſu reperitur: ergo. Præterea per gratiam Dei, ſemen Dei, & charitatem à Deo infuſam, ſemper aptè poſſunt intelligi gratiæ actuales ſupernaturales, ſeu noſtri actus ſupernaturales; ergo per ſimilia verba S. Scriptura non intelligit habitus ſupernaturales & qualitates infuſas; præſertim, cùm de his quà talibus nunquam faciat mentionem.

℞. *ad 1.* n. ant. nam noſtra juſtificatio & 137
ſanctificatio non fit formaliter per juſtitiam Chriſti fide apprehenſam, & immediatè ſecundùm ſe nobis imputatam, ſed per illam fit cauſaliter noſtra: formaliter verò per jus ad amicitiam Divinam & vitam æternam, quod reſultat in nobis ex ordinatione Divina & meritis Chriſti, tanquam effectus moralis cum

 ha-

habitu iufuso charitatis Divinæ conjunctus; ùt fusiùs declaravi supra cap. 6. num. 55. & 56. in responsionibus ad argumenta Adversariorum. Unde potest distingui consequens: ergo nostra justificatio non fit primariò per habitum charitatis à Deo infusum, præcisè entitativè & nudè sumptum; c. con. ut à Deo ex meritis collatum, & per jus ex meritis Christi resultans moraliter informatū. n. con. Hæc distinctio clariùs patebit ex cap. seq.

Ad 2. d. ant. quoad 1. membrum: per habitum charitatis à Deo infusum præcisè entitativè & nudè sumptum non possumus perfectè justificari; c. ant. per habitum charitatis ùt à Deo ex meritis Christi collatum, & simul per jus ex meritis Christi resultans informatum; n. ant. Dist. etiam alterum membrum: sed solùm per justitiam Christi nobis imputatam formaliter & immediatè quoad seipsam; n. ant. per justitiam Christi nobis causaliter imputatam quoad jus ex illa resultans; c. ant. & n. con. Nos justificari per habitus supernaturales à Deo infusos agnoverunt etiam Calvinistæ in eorum Synodo Dordracena, in qua inter articulos reprobatos invenitur etiam iste, *in vera hominis conversione Deum non posse infundere per infusionem qualitates, habitus, & dona; & fidem, per quam primò conversi, & à qua fideles appellati sumus, non esse donum & qualitatem infusam à Deo, sed solùm actum hominis;* ùt testatur

statur Reverendissimus Jacobus Bossuet Episcopus Meldensis in Historia doctrinæ Protestantium Lib. 1. ad annum 1618. & seq.

Ad 3. Eadem iterum est distinctio; nam præter misericordiam Dei & merita Christi nobis intrinseca iræ Dei possemus opponere habitum charitatis à Deo nobis infusum & per jus ex meritis Christi resultans moraliter informatum. Interim tamen simili oppositione non erit opus; quia Deus cum justis & suis amicis non litigabit. Igitur hoc primarium argumentum Adversariorum est inane & frivolum. Ad prob. dico, S. Joannem velle, quòd nos per nullum actum naturalem, & gratiam Divinam antecedentem meruerimus Divinam dilectionem, sed quòd ipse prior nos peccatores dilexerit, Filium suum miserit, & propter hujus merita dederit nobis gratiam, remiserit peccata, & infuderit nobis habitum charitatis nos sanctificantem. Unde Apostolus Paulus ad Ephes. 1. à v. 3. conformiter inquit: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri JEsu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Cœlestibus in Christo JEsu: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti & immaculati in conspectu ejus (NB.) in charitate.*

Ad 4. D. ant. S. Scriptura ubique docet, nos justificari ex misericordia Divina & per merita Christi activè causaliter & intrinsecè; c. ant. nos sic justificari passivè formaliter & in-

intrinsecè; n. ant. & sub eadem distinctione n. con. S. Scriptura non solùm docet causam efficientem extrinsecam nostræ justificationis, nempe misericordiam Divinam, Incarnationem Verbi Divini, & merita Christi; sed etiam talis causæ effectum nobis intrinsecum, nempe *semen vitæ æternæ in nobis manens*, *fontem salientem in vitam æternam*, *charitatem diffusam in cordibus nostris*, *& pignus Spiritûs Sancti in cordibus nostris &c.* per quæ utique passivè & intrinsecè justificamur. Si igitur Adversarii de nostra justificatione sensum S. Scripturæ debitè & adæquatè intelligere vellent, non solùm textus de justificatione activa & nobis extrinseca ex parte Dei & meritorum Christi, sed etiam de justificatione passiva, qua nos formaliter & intrinsecè à Deo ex parte nostra justificamur, justa rationis bilance perpendere deberent: aliàs semper in propria causa manebunt judices cæci.

Ad 5. n. ant. nam imprimis etiam actus fidei verus & implicitè aut explicitè conditionatus in misericordiam Divinam propter Christum, nos non justificat formaliter *ùt quò*, nec causaliter proximè sine actu charitatis; uti solidè patet ex dictis supra cap. 6. num. 57. & cap. 9. num. 97. Actus fidei specialis verò, seu omninò absolutus de sui justificatione per merita Christi sine conditione propriæ cooperationis, seu contritionis & amoris

ris Dei ſuper omnia, eſt falſus & naturalis; adeoque non poteſt eſſe regeneratio & renovatio ſpiritualis ad vitam æternam. Ad prob. d. ant. Talis actus fidei ſtatim generat amorem Dei naturalem & inordinatum, & tranquillitatem conſcientiæ naturalem & præſumptuoſam; c. ant. generat amorem Dei ſupernaturalem & ordinatum &c. n. ant. & con. Talis actus fidei ſpecialis eſt naturalis & falſus; ùt dixi ſupra cap. 7. num. 79. Et generat fiduciam præſumptuoſam & inordinatam in miſericordiam Divinam propter ſola merita Chriſti; uti ex Concilio Tridentino declaravi ſupra cap. 1. num. 9. Unde talis fiducia non poteſt generare amorem Dei ſupernaturalem & ordinatum, ſed solùm naturalem & inordinatum, quo quis diligit Deum, quaſi iſte nos juſtificaret per ſola merita Chriſti ſine noſtra cooperatione. Et propterea Concilium Tridentinum Seſſ. 6. cap. 9. ait: *Prædicatur* (nempe à modernis hæreticis) *vana hæc & ab omni pietate remota fiducia.*

Neque adverſariis ſuffragatur citatus textus Apoſtoli ad Rom. 5. v. 1. nam Apoſtolus loquitur de juſtificatis per fidem vivam & efficacem, quæ per charitatem operatur, & de illis, qui jam ſtant in gratia juſtificationis; non verò de peccatoribus, quaſi iſti juſtificarentur per ſolam fidem ſine propria cooperatione & operibus fidei.

Ad

Ad 6. n. ant. nam imprimis talis amor oritur ex falsa fide speciali, & est naturalis, inordinatus, & infectus amore proprio inordinato; quia per illum hæretici Deum diligunt, quasi iste nos justificaret per sola merita Christi. Dein amor Dei, quo diligimus Deum ùt generaliter summè benevolum & volentem nos omnes in æternum per gratiam ex meritis Christi collatam beare, dummodò huic debitè cooperemur, est longè perfectior & ordinatus, paritque exercitium aliarum virtutum: iste amor autem non oritur ex fide speciali & omninò absoluta de justificatione nostra, sed ex fide generali & conditionata, qua credimus, Deum summè benevolum velle nos omnes per merita Christi justificare & secum in æternum beare, dummodò gratiæ ab eo collatæ cooperemur.

Ad prob. n. ant. quia stante tali fide universali & conditionata potest dari firma fiducia in Deum ejusque auxilium, quæ foras mittit timorem, quantum est ex parte Dei; licèt possit habere adjunctum timorem, quantum est ex parte nostræ cooperationis. Unde n. etiam con. quia stante tali fiducia potest dari perfectus amor Dei. Ad hujus prob. explico ant. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quantum est ex parte Dei amati ejusque promissionis & auxilii; c. ant. quantum est ex parte nostræ coope-

cooperationis; n. ant. & con. Quòd autem fides de nostra justificatione & salute, ac perfecta charitas Dei foras mittat timorem solùm, quantùm est ex parte Dei ejusque promissionis & auxilii, non verò etiam, quantum est ex parte nostræ cooperationis, clarè constat ex S. Scriptura; nam Apostolus ad Philipp. 2. v. 12. ait: *Itaque charissimi . . cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Et 2. ad Corinth. 7. v. 1. *Has ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Plura de incertitudine nostræ justitiæ ex professo dixi supra cap. 7. num. 75. Ubi num. 79. etiam à ratione declaravi, quòd fides specialis hæreticorum sit falsa.

Ad 7. D. ant. S. Scriptura nullibi asserit, à Deo nobis infundi habitus & qualitates supernaturalès sub his verbis Scholasticis; c. ant. sub aliis verbis æquivalentibus & quoad rem significatam; n. ant. & con. S. Scriptura asserit, nobis à Deo dari semen vitæ æternæ in nobis manens, in nobis fieri fontem aquæ salientis in vitam æternam, charitatem Dei esse diffusam per Spiritum Sanctum in cordibus nostris, dari pignus Spiritûs Sancti in cordibus nostris &c. uti omnia patent ex textibus pro nostra sententia allatis. Hæc autem significant dispositiones supernaturales, permanentes, seu qualitates supernaturales, & habitus

bitus nobis infusos ad connaturaliter eliciendos actus supernaturales transeuntes; juxta illud 2. Petri 1. v. 2. *Omnia nobis Divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem* (subintellige, sunt, aut pertinent) *donata sunt.* Tales dispositiones verò Philosophi & Scholastici appellant qualitates & habitus, quamvis hi termini non sint usitati in S. Scriptura.

Ad id, quod additur, n. ant. nam inprimis hæc à S. Scriptura dicuntur aliquid permanens; adeoque non sunt præcisè gratiæ actuales, quæ sunt actus vitales transeuntes. Dein illa à S. Scriptura dicuntur à Deo nobis infusa; adeoque non sunt præcisè actus supernaturales à nobis cum concursu Divino eliciti. Taceo, quòd homines à Deo justificati, regeniti, & spiritualiter renovati debeant habere habitus infusos & qualitates supernaturales permanentes non solùm ad eliciendos connaturaliter actus virtutum deliberatos, sed etiam ad connaturaliter eliciendas illustrationes intellectûs & pias affectiones voluntatis; ùt dixi tract. 7. cap. 7. num. 77. Ratio hujus verò est: quia potentiæ vitales non possunt connaturaliter elicere actus supernaturales, nisi ad hos eliciendos per conprincipium supernaturale intrinsecum pro priori signo naturæ sint completæ. Unde ulterius

Quæ-

Quæres 4. An *juſtificare impium* ſit præcisè verbum forenſe in S. Scriptura, & ſolùm ſignificet peccata remittere, non verò ſimul juſtitiam intrinſecam ſeu habitus ſupernaturales infundere? 138

℞. Juſtificare impium in S. Scriptura non eſt præcisè verbum forenſe, & non ſolùm ſignificat peccata remittere, ſed ſimul juſtitiam intrinſecam ſeu habitus ſupernaturales infundere. *Ita cum ſanctis Patribus communis Catholicorum contra Lutheranos, & antiquiores Calviniſtas.*

Reſponſio patet I. ex textibus S. Scripturæ ſupra num. 134. relatis; præſertim verò ex clara doctrina Principis Apoſtolorum, qui 2. Petri 1. à v. 2. fidelibus per fidem juſtificatis ait: *Gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei & Chriſti JEſu Domini noſtri: quomodò omnia nobis Divinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam & pietatem* (ſunt, proſunt, aut pertinent) *donata ſunt . . per quem maxima & pretioſa nobis promiſſa* (id eſt dona per Prophetas promiſſa) *donavit: ut per hæc efficiamini Divinæ conſortes naturæ, fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem.* Quem textum ſancti Patres communiter exponunt de habitibus ſupernaturalibus virtutum infuſarum à Deo propter merita Chriſti; ùt videre eſt apud Cornelium à Lapide in l. c. Unde etiam Paulus 1. ad Corinth. 6. v. 11. de diverſis illorum antecedentibus

tibus peccatis inquit : *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri JEsu Christi & in Spiritu Dei nostri*; id est per Baptismum; utì iterum communiter exponunt sancti Patres apud Cornelium à Lapide in l. c. ubi bene observandum est, quòd Apostolus afferat in Baptismo tres partialiter fieri mutationes, se invicem concomitantes; nempe *ablutionem*, seu remissionem peccati; *sanctificationem*, seu infusionem habituum supernaturalium ; & *justificationem*, seu collationem juris ad amorem amicitiæ Divinæ increatum & vitam æternam.

Ratio responsionis verò est : quia, quando Deus in S. Scrlptura dicitur justificare impium, non solum dicitur ei remittere peccata sed etiam eum sanctificare, regenerare, & renovare : atqui hæc verba positiva per se significant productionem novæ formæ : ergo justificare impium in S. Scriptura non solùm significat, Deum remittere peccata, sed simul justitiam intrinsecam, seu habitus supernaturales, infundere, & jus adoptionis, seu jus ad amorem amicitiæ Divinæ increatum & vitam æternam, tribuere.

139 *Quæres* 5. Quænam objiciant adversarii?

℞. Sequentia, I. Verbum justificare in antiquo testamento nunquam significat ex injusto justum facere per infusionem qualitatis super-

supernaturalis, sed solùm justum censere, æstimare, & pronuntiare: ergo justificare est vox præcisè forensis, & solùm significat peccata remittere, non verò simul justitiam intrinsecam seu habitus supernaturales infundere. Ant. patet ex Genes. 44. v. 16. Job. 27. v. 5. Deuteron. 25. v. 1. 3. Reg. 8. v. 3. Isai. 5. v. 23. Proverb. 17. v. 15. & aliis locis antiqui testamenti.

II. In novo testamento describitur judicialis sententia per processum; in quo debitum est peccatum, reus homo peccator, accusator lex & conscientia, advocatus Christus, & Deus judex: ergo justificare & condemnare est verbum præcisè forense etiam in Scriptura novi testamenti. Ant. patet ex Matth. 18. v. 24. Rom. 3. v. 9. Rom. 2. v. 15. & Joan. 5. v. 27.

III. Justificare & condemnare sunt contraria, & contrariorum eadem est ratio: atqui Deus non dicitur condemnare infundendo pravas concupiscentias, aut excitando ad actiones dignas damnatione, sed præcisè imputando reatum culpæ & pœnæ: ergo Deus etiam non dicitur justificare infundendo habitus & qualitates supernaturales, sed præcisè remittendo reatum culpæ & pœnæ. Maj. patet; quia justificare & condemnare ad Rom. 5. v. 16. & 8. v. 23. sumuntur ab Apostolo contrariè.

IV. S. Scriptura, quando dicit, quòd Deus justificet impium, formaliter nihil aliud indigitat, quàm Deum fidem ad justitiam imputare; quàm iniquitates tegere, seu non imputare; quàm ex misericordia salvare sine nostris operibus; & quàm peccata remittere, solvere & condonare: atqui nihil horum importat infusionem habituum & qualitatum supernaturalium: ergo. Min. per se patet. Maj. prob. quoad 1. nam Apostolus ad Rom. 4. v. 5. ait: *Credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Quoad 2. nam Apostolus l. c. citans Psalm. 31. â v. 6. inquit: *Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus: Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Quoad 3. quia Apostolus ad Tit. 3. v. 5. dicit: *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit.* Quoad 4. tandem; quia Christus Lucæ 7. à v. 49. dixit Magdalenæ: *Remittuntur tibi peccata . . fides tua salvam te fecit: vade in pace.*

V. Licèt justificare causaliter & inchoativè in S. Scriptura significet conferre gratias actuales ad fidem, justificare tamen formaliter & completè significat solùm peccata remittere, non verò habitus & qualitates supernaturales infundere: ergo justificare im-

impium in S. Scriptura est præcisè verbum forense &c. Ant. prob. exemplis Sanctorum; nam juxta Apostolum ad Rom. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Magdalena l. c. à Christo propter fidem audivit: *Remittuntur tibi peccata &c.* Publicanus Lucæ 18. v. 14. *Descendit justificatus in domum suam.* Et Latroni Lucæ 23. v. 43. propter ejus fidem dixit Christus: *Hodie mecum eris in Paradiso:* ergo &c.

VI. Apostolus ad Rom. 5. v. 19. ait: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis* (nempe Adami) *peccatores constituti sunt multi; ita & per unius* (nempe Christi) *obeditionem justi constituentur multi:* atqui per inobedientiam Adami, nobis imputatam, formaliter constituimur peccatores peccato originali absque qualitate nobis à Deo aut Adamo infusa: ergo etiam per obeditionem Christi, qua factus est obediens usque ad mortem Crucis, nobis moraliter imputatam per fidem, formaliter constituimur justi absque qualitate à Deo nobis infusa.

VII. Apostolus ad Rom. 10. à v. 3. reprehendit Judæos, quòd ignorantes Dei justitiam, suam quæsiverint statuere, dicens: *Ignorantes enim justitiam Dei, & suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Finis enim legis Christus* (est) *ad justitiam omni credenti:* ergo etiam Catholici, ignorantes ju-

 stitiam

ſtitiam Dei, ſeu negantes juſtitiam Chriſti nobis imputatam, & ſibi inhærentem quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.

VIII. S. Auguſtinus juſtitiam noſtram potiùs aſſerit conſiſtere in remiſſione peccatorum quàm in perfectione virtutum: ergo. Ant. prob. S. Pater tom. 7. lib. 19. cap. 27. col. 571. ait: *Ipſa quoque noſtra juſtitia, quamvis vera ſit propter veri boni finem, tamen tanta* (ſolùm) *eſt in hac vita, ut potiùs peccatorum remiſſione conſtet quàm perfectione virtutum:* ergo.

IX. S. Bernardus docet noſtram juſtitiam ſolummodò conſiſtere in remiſſione peccatorum & imputatione juſtitiæ Chriſti: ergo. Ant. prob. Epiſt. 190. ad Innocentium ait: *Juſtum me dixerim, ſed illius juſtitiâ. Quænam iſta? finis legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti.* Et ſerm. 22. in Cantica de Chriſto, qui juxta Apoſtolum factus eſt nobis ſapientia juſtitia ſanctificatio & redemptio, inquit: *Sapientia in prædicatione, juſtitia in abſolutione peccatorum.* Et infrà: *Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris, & juſtus ſum.* Item ſerm. 23. *Sufficit mihi ad omnem juſtitiam ſolum habere propitium, cui ſoli peccavi.* Et paulò poſt: *Non peccare Dei juſtitia eſt, hominis juſtitia indulgentia Dei:* ergo.

140 ℞. *ad 1.* d. ant. Verbum juſtificare in antiquo teſtamento nunquam ſignificat ex injuſto

justo justum facere per infusionem qualitatis supernaturalis, sed solùm justum censere &c. quando justificatio fit quoad causas temporales & ab homine; c. ant. quando justificatio fit à Deo in ordine ad consequendam vitam æternam; n. ant. & sub eadem distinctione n. con. Textus citati (quos affert Brochmand tom. 2. pag. 450.) solùm loquuntur de causa temporali ab hominibus judicanda, excepto textu ex Job citato: ibi autem Job v. 6. de justitia coram Deo sibi intrinseca, cujus augmentum meruit, subjungit: *Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram.* De eadem justitia interna ait David Psalm. 72. v. 13. *Et dixi: ergo sine causa justificavi cor meum?* Et Psalm. 50. à v. 11. rogat Deum: *Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innova in visceribus meis.* In quo ultimo textu David manifestè loquitur de justificatione non solùm per remissionem peccatorum, sed etiam per innovationem Spiritus, quæ fit per qualitates supernaturales infusas. Hos igitur textus non vidit Brochmand; cùm l. c. tam audacter dicat, verbum justificare in antiquo testamento nunquam significare ex injusto facere justum per qualitates supernaturales infusas.

Ad 2. d. ant. in novo testamento sententia judicialis damnationis in extremo judicio describitur per processum ; c. ant. sententia justificationis impii in hac vita ; n. ant. Responsio per se patet ex locis S. Scripturæ à Brochmand citatis. Brochmand igitur videtur planè fuisse confusus in suo cerebro, quando contra Catholicos hoc argumentum formavit, & sententiam judicialem damnationis in extremo judicio confudit cum sententia justificationis impii in hac vita.

Ad 3. d. maj. justificare & condemnare sunt contraria, & contrariorum eadem est ratio contrariandi ; c. maj. est eadem ratio quoad modum producendi contraria, aut causam disponendi ad producenda contraria; n. maj. & concessa min. n. con. Sic etiam odium Divinum & amor Dei supernaturalis sunt actus contrarii ; & tamen odium Dei producitur ab homine per concursum Dei solùm naturalem permissivum, amor Dei supernaturalis verò per gratiam positivam. Sic igitur etiam habitus vitiosi producuntur ab homine, habitus verò charitatis aliarumque virtutum infusi in justificatione producuntur à Deo. Unde contrariorum non est eadem ratio quoad modum producendi contraria, aut causam disponendi ad producenda contraria. Cæterùm justificatio & condemnatio, seu injustitia & justitia hominis habent eandem rationem

nem moralem positivam sibi contrariandi; nam injustitia habitualis dicit debitum sustinendi odium inimicitiæ Divinæ & pœnam æternam; econtra justitia habitualis præter habitum charitatis infusum importat jus ad amicitiam Divinam increatam & vitam æternam: quod jus primariò resultat ex promissione Divina & meritis Christi.

Ad 4. n. maj. quoad τὸ *nihil aliud indigitat*; nam S. Scriptura, quando dicit, quòd Deus justificet impium, sæpiùs explicitè indigitat infusionem qualitatum supernaturalium; ùt clarè patet ex textibus supra num. 134. relatis: in aliis locis autem, in quibus remissionem peccatorum indigitat explicitè, regenerationem & renovationem hominis impii per qualitates infusas indigitat implicitè.

Primum textum explico: credenti autem fide viva & efficaci, quæ per charitatem operatur, reputatur fides ad justitiam; c. ant. credenti fide mortua & inefficaci, quæ per charitatem non operatur; n. ant. & con. distinctio abundè patet ex S. Scriptura & dictis supra cap. 5. num. 48. & cap. 6. à num. 58. Cæterum textus citatus est manifestè contra adversarios; quia Apostolus vult, quòd Abrahamo jam priùs justo actus fidei à Deo fuerit reputatus ad augmentum justitiæ; adeoque, quòd justi per actum fidei mereantur augmentum justitiæ sibi intrinsecæ.

Ad secundum textum dico : Apostolum in prima illius parte loqui de operibns cæremonialibus legis antiquæ ; nam loquitur de Abraham, cui fides viva & efficax sine circumcisione reputata est ad justitiam, seu *non in circumcisione sed in præputio* ; ùt ait Apostolus l. c. v. 10. In secunda parte textûs Apostolus clarè favet nostræ sententiæ ; nam peccata habitualia remittuntur, prout remittitur debitum sustinendi inimicitiam Divinam ; teguntur verò positivè, prout locò illius debiti infunditur habitus charitatis & tribuitur jus ad amicitiam Divinam ; juxta illud 1. Petri 4. v. 8. *Charitas operit multitudtnem peccatorum.* Et Proverb. 10. v. 12. *Universa delicta operit charitas.* Unde etiam in tertia parte textûs Apostolus loquitur de non imputatione peccati per hujus remissionem & habitus charitatis infusionem, implicitè subintellectam.

Ad tertium textum dico, Apostolum in prima parte textûs velle, nos non justificari per opera naturalia, quæ gratiam præcedunt: in secunda parte verò vult, nos ex misericordia Dei causaliter justificari per Baptismum & formaliter per gratiam regenerationis ; nam Apostolus (quòd adversarii dolosè omittunt) addit : *Per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs Sancti.* Quòd autem regeneratio & renovatio spiritualis hominis impii per Bap-

Baptiſmum non solùm importet remiſſionem peccati ſed etiam infuſionem habituum ſupernaturalium, & collationem juris ad amicitiam Divinam & vitam æternam, diſtinctè docet Apoſtolus 1. ad Corinth. 6. v. 11. Corinthiis, ante Baptiſmum impiis & per Baptiſmum juſtificatis, dicens: *Hæc quidam fuiſtis ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti & in Spiritu Dei noſtri*; id eſt per Baptiſmum, in cujus verbali forma exprimi debet nomen totius Sanctiſſimæ Trinitatis, juxta præceptum Chriſti Matth. 28. v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Apoſtolus igitur loco priùs citato diſtinctè aſſerit in juſtificatione hominis per Baptiſmum tres partialiter fieri mutationes, ſe concomitantes, nempe *ablutionem*, ſeu remiſſionem peccatorum, *ſanctificationem*, ſeu infuſionem habituum ſupernaturalium, & *juſtificationem*, ſeu collationem juris ad amorem amicitiæ Divinæ increatum & vitam æternam: quod jus per Baptiſmum reſultat ex promiſſione Divina & meritis Chriſti.

Ad 5. n. ant. quoad 2. membrum ob manifeſta S. Scripturæ teſtimonia in præcedente reſponſione citata. Ad prob· & primum textum dico, Apoſtolum velle Abraham fuiſſe magis juſtificatum per fidem vivam & effica-

cem, qua Deo credidit semen suum esse multiplicandum sicut stellas cœli (Genes. 22. v. 17.) etiamsi ex obedientia Deo immolaret filium suum Isaac. Cæterùm augmentum justitiæ Abrahami fuit factum à Deo per infusionem & de intensionem habituum supernaturalium, juxta doctrinam Apostoli in præcedente responsione relatam.

Ad 2. textum dico, Christum velle, Magdalenam fuisse justificatam causaliter per fidem vivam & efficacem, quæ per charitatem operabatur; nam ibidem v. 47. de Magdalena dixit Pharisæo: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Eadem est responsio ad exemplum de Publicano & Latrone; nam uterque præter fidem elicuit contritionem, per quàm causaliter proximè fuit justificatus. Cæterùm, licèt Christus loquens de justificatioe formali Magdalenæ formaliter & explicitè solùm loquatur de remissione peccatorum, implicitè tamen & concomitanter etiam intelligendus est de infusione gratiæ sanctificantis & justificantis; nam in justificatione impii semper subintelligitur etiam positiva collatio gratiæ habitualis & juris ad vitam æternam; juxta illud Christi Joan. 4. v. 14. *Aqua* (nempe spiritualis gratiæ) *quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

Ad 6. Explico Apoſtolum: ita per unius obeditionem juſti conſtituentur multi formaliter, & per ipſam obeditionem, quaſi hæc in linea morali eſſet illorum propria; ſeu ita quoad modum; n. maj. ita per unius obeditionem juſti conſtituentur multi cauſaliter, & per jus reſultans ex obeditione; ſeu ita quoad vim moralem juſtificandi; c. maj. & conceſſa min. n. con. Adamus fuit à Deo creatus primus homo, tanquam parens totius generis humani, & conſtitutus hujus caput morale, quatenus, propter continentiam generis humani in illius ſemine, in ejus voluntatem fuerunt à Deo moraliter transfuſæ eique alligatæ voluntates omnium poſterorum in ordine ad conſervandam vel amittendam juſtitiam originalem; adeoque Adam cum toto genere humano fuit moraliter un perſona. Chriſtus verò fuit à Deo conſtitutus caput morale totius generis humani præcisè propter excellentiam ſuppoſiti Humano-Divini per modum Mediatoris inter Deum & homines; quin horum voluntates, peccato originali infectæ, fuerint moraliter transfuſæ in ejus ſanctiſſimam voluntatem: adeoque Chriſtus cum genere humano non fuit moraliter una perſona, ſed perſona moraliter media inter Deum & homines. Unde peccatum Adami per naturalem generationem, per quam homines fiunt illius poſteri, fit in linea mo-

morali formaliter nostrum, nobísque proprium: econtra obedientia & satisfactio Christi non fit moraliter nostra, sed potiùs pro nobis, aut nostra solùm quoad effectum moralem, seu quoad jus resultans ex illius satisfactione, tanquam Mediatoris. De quo plura dixi supra cap. 6. à num. 55.

Ad 7. d. ant. Apostolus reprehendit Judæos, quòd ignorantes justitiam Dei justitiam suam naturalem, & præcisè ex viribus naturæ peractam, quæsiverint statuere; c. ant. quòd quæsiverint statuere justitiam suam supernaturalem, & cum gratia Dei peractam, & ex meritis Christi collatam; n. ant. & con. Responsio patet ex S. Augustino, qui tom. 10. lib. de grat. & liber. arbit. cap. 12. col. 730. ait: *Quotquot ergo adjuncto solo adjutorio legis: sine adjutorio gratiæ, confidentes in virtute sua, suo Spiritu aguntur, non sunt Filii Dei. Tales sunt de quibus idem dicit Apostolus, quod ignorantes Dei justitiam & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. De Judæis hoc dixit, qui de se præsumentes gratiam repellebant, & in Christum propterea non credebant.* Idem docet S. Pater tom. 5. serm. 156. de verbis Apostoli (alias serm. 13.) cap. 4. col. 751. serm. 160. col. 770, & alias sæpissimè, agens contra Judæos.

Ad 8. d. ant. S. Augustinus justitiam nostram asserit potiùs consistere in remissione pecca-

peccatorum quàm in perfectione virtutum actualium, & à nobis elicitarum ; c. ant. quàm in perfectione virtutum habitualium, & à Deo infusarum ; n. ant. & con. Ad textum eadem est responsio. S. Augustinus l. c. agit de peccabilitate, & labilitate hominis in peccata præsertim venialia ; nam subdit : *Numquid non tentatio est vita humana super terram ? quis ita vivere se præsumat, ut dicere Deo, dimitte nobis debita nostra, non necesse habeat, nisi homo elatus ?* Unde vult nostram justitiam potiùs consistere in remissione peccatorum quàm stabili exercitio virtutum. Cæterùm justitiam hominis habitualem consistere in virtutibus à Deo infusis & præsertim in habitu charitatis, sæpissimè docet S. Augustinus ; nam tom. 10. lib. de gratia Christi cap. 3. col. 243. reprehendit Pelagium & Cœlestium dicens : *Istam quippe gratiam, qua justificamur, id est, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum . . in Pelagii & Cœlestii scriptis, quæcunque legere potui, nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri.* Et eodem tom. lib. de nat. & grat. cap. 42. ait de charitate : *Ipsa est enim verissima, plenissima, perfectissimáque justitia.* Item tom. 8. lib. 15. de Trinit. cap. 18. de eadem charitate per Spiritum Sanctum in cordibus nostris diffusa ait : *Nullum est isto Dei dono excellentius. Solum*(hoc donum) *est, quod dividit inter filios regni æterni & filios perditionis æternæ.*

Ad 9.

Ad 9. n. ant. quoad τὸ *solummodò*; nam S. Bernardus tom. 1. serm. 2. de tempore Resurrect. col. 899. ait: *Vita verò fidei charitas est.* Ibidem serm. 29. in Cantic. col. 1372. *Charisma per optimum charitas est.* Tom. 2. tract. de statu virtut. col. 549. inquit: *Jure ergo charitas dicitur signum, quo discernuntur electi à reprobis . . . Charitas vocatos justificat.* Quòd autem S. Pater per talem charitatem intellligat qualitatem à Deo nobis infusam, clarè docet tom. 1. tract. de diligendo Deo col. 599. dicens: *Dicitur ergo rectè charitas Deus & Dei donum. Itaque dat charitas substantiva accidentalem. Ubi dantem significat, nomen substantiæ est: ubi donum, nomen qualitatis.*

Igitur ad prob. & primum textum dico, S. Bernardum velle justitiam Christi esse nostram causaliter & mediatè, nempe per infusam nobis charitatem & jus adoptionis resultans ex meritis Christi; nam l. c. ait justitiam Christi *fieri nostram per regenerationem cœlestem.* Ad ulteriores textus dico, S. Bernardum per ablutionem peccatorum concomitanter intelligere etiam positivam justificationem; nam ibidem addit: *Tam validus es ad justificandum quàm multus ad ignoscendum.*

141 *Quæres 6.* Cur plerique moderni hæretici negent habitus supernaturales infusos; & quomodò hos admittentes differant à nobis Catholicis?

℟. ad

℞. *ad 1.* Moderni hæretici ideo plerique negant habitus ſupernaturales infuſos, ut magis conſequenter poſſint dicere, nos formaliter juſtificari per ſolam juſtitiam Chriſti fide ſpeciali apprehenſam, & nobis à Deo immediatè imputatam.

Interim moderni hæretici per hoc magnopere errant I. quia Chriſtus eſt Mediator inter Deum & homines; adeoque ejus juſtitia non eſt formaliter noſtra ſed pro nobis; ſeu noſtra ſolùm quoad jus ad amicitiam Divinam increatam & vitam æternam; ùt declaravi ſupra cap. 6. à num. 55. Neque fides nos juſtificat formaliter ùt *quo;* uti dixi ibidem à num. 57. II. Errant negando habitus ſupernaturales infuſos contra manifeſta S. Scripturæ teſtimonia hoc cap. num. 134. relata. III. Saltem partialiter incidunt in antiquam hæreſim Pelagii & Cœleſtii, de quibus S. Auguſtinus l. c. ait: *Iſtam quippe gratiam, qua juſtificamur, id eſt, qua charitas diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum . . in Pelagii & Cœleſtii Scriptis, quæcunque legere potui, nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda eſt, confiteri.*

℞. *ad 2.* Moderni hæretici, admittentes habitus ſupernaturales infuſos, per hoc differunt à nobis Catholicis, quòd dicant, nos per tales habitus, aut etiam habitum charitatis infuſum, non juſtificari formaliter, ſed per ſolam juſtitiam Chriſti fide ſpeciali apprehen-

hensam: econtra Catholici dicant, nos justificari formaliter non per justitiam Christi fide apprehensam, sed vel per specialem qualitatem supernaturalem nobis intrinsecam, vel per habitum charitatis infusæ, una cum jure ad amicitiam Divinam increatam & vitam æternam, ex meritis Christi resultante. Quam doctrinam Catholicorum ut exactiùs intelligas, sit.

CAPUT XIII.

De causa formali nostræ justificationis.

SUMMARIUM.

142. *Quænam sit doctrina Concilii Tridentini de causa formali nostræ justificationis?*

143. *Quænam sint sententiæ Doctorum Catholicorum de causa formali nostræ justificationis?*

144. *Forma justificans debet importare jus formale ad amicitiam Divinam increatam & vitam æternam.*

145. *Probabiliùs implicat qualitas supernaturalis, quæ nos ex natura sua physica formaliter possit se sola justificare.*

146. *Talis qualitas in moderna providentia non datur, etsi esset possibilis.*

147. *Qualitas supernaturalis nos radicaliter justificans non distinguitur realiter ab habitu charitatis infusæ.*

148.

148. *Causa formalis nostræ justificationis consistit radicaliter in habitu charitatis à Deo nobis infusæ, formaliter & completè verò in jure resultante ex promissione Divina & meritis Christi.*

149. *Proponuntur, & solvuntur quædam objectiones.*

150. *Justificatio impii igitur tria partialiter importat, nempe remissionem peccati, infusionem sanctitatis, & collationem juris ad amicitiam Divinam & vitam æternam.*

151. *Inferuntur quædam corollaria Catholica.*

QUæres 1. Quænam sit doctrina Concilii Tridentini de causa formali nostræ justificationis? 142

℞. Sequens Sess. 6. cap. 7. *Demum unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit: qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes.*

Porrò, cùm Concilium Tridentinum l. c. de justificatione activa, seu actione justificativa impii, dicat: *Quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum.* Et dein Can. 11. statuat: *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiri-*

tum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantùm favorem Dei; anathema sit. Hinc clarè sequitur, quòd justificatio formalis & intrinseca hominis partialiter tria importet; nempe 1. carentiam reatûs culpæ, saltem mortalis. II. Quòd importet habitum charitatis à Deo infusæ. 3. Quòd importet gratiam justificantem quà talem, seu jus ad amicitiam Divinam increatam & vitam æternam: quod jus formaliter facit, ut justi, seu filii Dei adoptivi, nominemur, & simus; uti patebit ex dicendis per decursum capitis præsentis.

143 *Quæres 2.* Quænam sint sententiæ Catholicorum de causa formali nostræ justificationis?

℞. Præcipuè duæ sequentes; *prima* sententia asserit, qualitatem gratiæ sanctificantis realiter distingui ab habitu infuso charitatis, illámque subjectari in anima, hunc verò in potentia voluntatis; ùt vult D. Thomas 1. 2. q. 110. a. 3. & præter quosdam alios Theologos Thomistæ communiter. *Secunda* sententia asserit, qualitatem gratiæ sanctificantis non distingui realiter ab habitu charitatis; uti cum communi sanctorum Patrum docet Lombardus lib. 2. sent. dist. 26. Scotus cum suis in 2. dist. 27. & plures alii.

Porrò patroni prioris sententiæ etiam volunt, quòd talis qualitas, ab habitu charitatis

tis realiter diſtincta, nos *formaliter* ſanctificet ex natura ſua phyſica: patroni verò poſterioris ſententiæ dicunt communiùs; quòd habitus gratiæ à Deo infuſæ nos ſanctificet, ſeu juſtificet ex natura ſua phyſica ſolùm *radicaliter*; adeoque volunt, quòd nos formaliter & completè juſtificemur per jus reſultans ex favore Dei, ſeu ex ordinatione Divina extrinſeca & meritis Chriſti. Jam

Quæres 3. An forma juſtificans debeat im- 144
portare jus formale ad amicitiam Divinam increatam, & vitam æternam?

℞. Forma juſtificans, quà talis & completè ſumpta, debet importare jus formale ad amicitiam Divinam increatam & vitam æternam. *Ita quoad rem Doctores utriusque ſententiæ.*

Reſponſio quoad utramque partem patet ex S. Scriptura; nam imprimis juſti dicuntur *amici Dei;* uti Judith 8. v. 22. *Pater noſter Abraham tentatus eſt, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus eſt.* Pſalm. 138. v. 17. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus.* Sapientiæ 7. v. 14. de Sapientiæ incarnata, ſeu Chriſto dicitur: *Infinitus enim eſt theſaurus hominibus, quo, qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei, propter Diſciplinæ dona commendati.* Et v. 27. de eadem ſubditur: *Omnia innovat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei & Prophetas conſtituit.* Item Joan. 15. v. 14. dixit Chriſtus Apoſtolis: *Vos amici mei eſtis.* Atqui

 ami-

amicitia consistit in mutuo jure & debito ad amorem: ergo forma nos justificans debet formaliter importare jus ad amicitiam divinā increatā.

Dein justi in S. Scriptura dicuntur *filii Dei adoptivi*; uti ad Rom. 8. à v. 16. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei. Si autem filii & hæredes: hæredes quidem Dei cohæredes autem Christi.* Et v. 23. subjungit: *Nos ipsi primitias spiritûs habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes.* Atqui filiatio adoptiva formaliter importat jus ad hæreditatem, seu vitam æternam: ergo forma nos justificans debet formaliter importare jus ad vitam æternam.

Ratio responsionis verò est: quia forma justificans quà talis denominatur à jure: ergo forma nos justificans coram Deo debet importare jus formale ad amicitiam Divinam increatam & vitam æternam. Sicut igitur injustitia habitualis peccatoris formaliter importat debitum sustinendi inimicitiam Divinam & pœnam æternam; sic à contrario forma nos justificans formaliter importat jus ad amicitiam Divinam increatam & vitam æternam.

145 *Quæres 4.* An sit possibilis qualitas supernaturalis, quæ ex natura sua physica possit formaliter se sola nos justificare?

℞. Probabiliùs implicat qualitas supernaturalis, quæ nos ex natura sua physica possit formaliter se sola justificare, seu sibi realiter iden-

identificare jus formale ad amicitiam Divinam increatam & vitam æternam, præsertim quà æternam. *Ita quoad rem Doctores pro secunda sententia citati, & alii, qui docent, jus formale, quod gratia sanctificans importat, esse quid morale distinctum à gratia in esse qualitatis præcisè & materialiter sumpta.*

Responsio probatur I. Si qualitati creatæ posset identificari realiter jus morale & formaliter tale ad amicitiam Divinam increatam & vitam æternam, tunc talis qualitas posset Deum *activè obligare* ad amorem amicitiæ increatum & conferendam vitam æternam: sed nulla qualitas creata potest Deum activè obligare ad amorem amicitiæ increatum &c. *Maj. patet*; quia amicitia & adoptio consistit in jure activo ad amorē mutuum & capessendam hæreditatem. *Min. prob.* Si qualitas creata possetDeū activè obligare ad amor emamicitiæ increatum & conferendam vitam æternam, tunc Deus à tali qualitate deberet *passivè obligari* ad amorem amicitiæ increatum &c. sed Deus nequit passivè obligari à qualitate creata ad amorem amicitiæ increatum &c. ergo qualitas creata non potest Deum activè obligare &c. *Maj. patet*; quia obligatio activa & passiva, seu jus morale activum & passivum, sunt duo correlativa: quorum unum sine altero nec esse nec concipi potest. Min. prob. 1. quia obligatio passiva, ab extrinseco proveniens, diceret in Deo imperfectionem. 2. Quia præjudicaret libertati & Dominio Di-

vino; nam Deus nequit esse infidelis aut injustus; adeoque nequit frustrare jus morale & formale alterius.

Nec sufficit responsio adversariorum, *illam qualitatem esse consequentem ad libertatem Divinam*: nam, licèt esset consequens respectu decreti illius productivi, seu decreti justificationis, esset tamen antecedens respectu amoris amicitiæ & decreti glorificationis: ergo præjudicaret libertati Divinæ. *Ant. prob.* Talis qualitas esset prior decreto de continuando amore amicitiæ post mortem justi & conferenda ei vita æterna; & Deus post mortem justo propter talem qualitatem non posset denegare amorem amicitiæ & vitam æternam. *Ant. patet quoad 1.* Quia talis qualitas esset ratio, propter quam Deus amaret justum: ergo esset prior amore amicitiæ. *Quoad 2.* Quia Deus nequit esse infidelis & injustus: ergo habenti talem qualitatem justitiæ non posset denegare amorem amicitiæ & vitam æternam.

II. Ideo qualitati creatæ posset identificári jus morale & formaliter tale ad amorem amicitiæ increatum & vitam æternam, quia talis qualitas ex sua entitate physica & essentia posset esse *promissio Dei externa, & effectus immediatus promissionis Dei internæ*: sed qualitas creata non potest ex sua entitate physica & essentia esse promissio Dei externa, & effectus immediatus promissionis Dei internæ: ergo

ergo qualitati creatæ non potest identificari jus morale & formaliter tale ad amorem amicitiæ increatum & vitam æternam. *Maj.* Est potissima ratio adversariorum; nam qualitas creata tale jus non potest sibi identificare præcisè ratione suæ perfectionis & bonitatis absolutæ; quia aliàs deberet esse infinitè bona & perfecta. *Min. prob.* Promissio Divina æterna per se & ratione sui est *actus voluntatis Divinæ immanens:* sed actus voluntatis Divinæ immanens per se & ratione sui non potest habere effectum physicum: ergo qualitas creata non potest ex sua entitate physica & essentia esse promissio Dei externa, & effectus immediatus promissionis Dei internæ. *Maj. patet;* quia voluntas Divina quà talis est potentia vitalis; adeoque actus illius per se & præcisè ratione sui non potest habere effectum physicum ad extra, sed solùm effectum moralem. *Min. prob.* Actus intellectûs Divini per se & ratione sui non potest habere effectum physicum ad extra: ergo neque actus voluntatis Divinæ. *Ant. patet;* quia aliàs intellectus Divinus efficeret, quidquid cognosceret. *Con. prob.* Ideo actus intellectûs Divini per se immediatè & ratione sui non potest habere effectum physicum ad extra, quia per se, immediatè, & ratione sui est actus solùm immanens: sed etiam actus voluntatis Divinæ per se, immediatè, & ratione sui est solùm immanens;

nens: ergo. Et ratio ulterior est: quia intellectus Divinus est potentia solùm *directiva*, voluntas potentia *imperativa*, & omnipotentia primùm potentia Dei *executiva*.

III. Implicat qualitas, quæ ex sua *essentia absoluta*, & *præcisè ùt dependens ab omnipotentia Divina*, sibi identificaret jus morale & formaliter tale ad amorem amicitiæ Divinæ increatum & vitam æternam: ergo etiam implicat qualitas, quæ ex sua *essentia respectiva*, & *ùt simul dependens à promissione Dei libera*, sibi identificaret tale jus formale. *Ant. patet;* Quia aliàs qualitas deberet esse infinitè perfecta & bona, quod creaturæ repugnat. *Con. prob.* Ideo implicaret qualitas prioris generis, non verò posterioris, quia qualitas creata majorem posset habere perfectionem entitativam, quando in sua entitate immediatè dependeret simul à libera promissione Divina interna & omnipotentia, quàm, quando in sua entitate immediatè dependeret à sola omnipotentia: sed hoc dici nequit: ergo, sicut implicat qualitas creata, quæ ex sua essentia absoluta sibi identificaret jus formale ad amicitiam Divinam increatam; ita implicat qualitas creata, quæ ex sua essentia respectiva sibi identificaret simile jus. *Min. prob.* 1. Promissio Divina libera *nequit mutare essentias rerum:* ergo, si implicat qualitas creata prioris generis, etiam implicat qualitas posterioris generis. 2. Ex eo, quòd essen-

essentialiter implicet creatura à Deo indestruibilis ex sua essentia absolutè sumpta, etiam implicat creatura indestruibilis ex sua entitate respectivè sumpta, seu prout essentialiter connexa cum decreto promissorio de illa non destruenda: ergo à pari. *Con. prob.* Ideo implicat priùs, quia essentiæ physicæ rerum non possunt mutari à libera promissione Divina: ergo ob eandem rationem implicat posterius; nam aliàs posset etiam dari hirco - cervus in sua entitate respectiva essentialiter dependens à promissione libera de identificanda natura hirci & cervi.

IV. Etiamsi qualitas physica gratiæ sibi identificaret jus morale formaliter tale ad amorem amicitiæ Divinæ increatum, prout talis qualitas dependeret à promissione Divina interna de præstanda amicitia & vita æterna, illa tamen præjudicaret libertati & Dominio Divino: atqui repugnat qualitas creata præjudicans libertati & Dominio Divino: ergo repugnat etiam talis qualitas. *Maj. prob.* Talis qualitas esset prior decreto Divino de continuando post mortem justi amore amicitiæ, & conferenda ei vita æterna; & Deus supposita morte justi ei propter talem qualitatem non posset denegare amorem amicitiæ & vitam æternam: ergo talis qualitas præjudicaret libertati & Dominio Divino. *Ant. patet quoad 1.* Quia esset ratio, propter quam Deus

amaret justum: ergo esset prior amore per modum motivi: *Quoad 2.* Quia Deus nequit esse infidelis & injustus: ergo Deus habenti talem qualitatem post mortem non posset denegare amorem amicitiæ & vitam æternam.

Nec sufficit nobis opponere, Deus etiam habenti jus morale, à qualitate distinctum, & præcisè ex sua promissione resultans, nequit denegare amorem amicitiæ & vitam æternam; quin ex hoc sequatur aliquod absurdum: ergo à pari. Nam c. ant. n. con. Disparitas est: quia jus morale distinctum à qualitate gratiæ est ens solùm morale, resultans ex promissione Divina, *quo* Deus obligat se ipsum; econtra qualitas physica esset ens physicum & *quod* obligaret Deum: adeoque prior obligatio provenit præcisè à Deo, posterior verò proveniret simul à creatura, & consequenter in Deo argueret imperfectionem.

Impossibilitatem talis qualitatis, benevole Lector! pluribus argumentis præter meam consuetudinem, laboriosè probare volui, ut in subsequis clariùs & solidiùs probare possim jus morale & formaliter tale ad amorem amicitiæ Divinæ increatum in homine justo debere resultare ex promissione Divina & meritis Christi, tanquam effectum horum moralem. Unde

Quæ-

Quæres 5. An qualitas nos formaliter ex 146
natura ſua phyſica juſtificans daretur in moderna Dei providentia, ſi illa eſſet poſſibilis?

℞. Talis qualitas nos ex natura ſua phyſica formaliter juſtificans, ſeu ſibi identificans jus formale ad amicitiam Divinam increatam & vitam æternam, in moderna Dei providentia non daretur, etſi eſſet poſſibilis. *Ita quoad rem Doctores ſupra num. 143. pro ſecunda ſententia citati communiter.*

Reſponſio clarè colligitur ex Concilio Tridentino, quod Seſſ. 6. cap. 7. de juſtificatione impii & cauſis hujus juſtificationis ait: *Quamquam enim nemo poſſit eſſe juſtus, niſi cui merita paſſionis Domini noſtri JEſu Chriſti communicantur; id tamen in hac impii juſtificatione fit, dum ejusdem ſanctiſſimæ paſſionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret.* Ex qua doctrina duo conſtant, 1. quod juſtificatio formalis impii fiat per habitum charitatis infuſum. 2. Quòd fiat per communicationem meritorum Chriſti: atqui merita Chriſti juſtis communicantur formaliter & ultimatò per jus ad amicitiam Divinam increatam & vitam æternam, quod jus Chriſtus nobis meruit: ergo jus, quòd in moderna Dei providentia importat forma juſtificans non eſt realiter identificatum cum qua-

litate nos justificante, sed potiùs resultat ex meritis Christi, tanquam horum effectus moralis.

Ratio responsionis verò est: quia Deus in moderna sua providentia voluit, ut jus ad suam amicitiam & vitam æternam in justis immediatè resultaret ex meritis Christi: ergo Deus in moderna providentia nos non vult justificare per jus realiter identificatum qualitati justificanti, sed potiùs per jus ex meritis Christi immediatè resultans; & moraliter connexum cum habitu charitatis infuso, tanquam cum virtute supernaturali præstantissima, quæ etiam in altera vita beata manebit; juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 13. v. 8. *Charitas nunquam excidit.* Ant. patebit ex communi doctrina Catholicorum infra cap. 14. Con. etiam constat; quia jus qualitati identificatum, & ab ea inseparabile, non resultaret immediatè ex meritis Christi, sed solùm esset à Deo productum propter merita Christi.

147 *Quæres 6.* An qualitas supernaturalis nos radicaliter justificans realiter distinguatur ab habitu charitatis infusæ?

℞. Qualitas supernaturalis nos radicaliter justificans non distinguitur realiter ab habitu supernaturali charitatis nobis à Deo infuso. *Ita cum sanctis Patribus communior Theologorum, præsertim Polemicorum cum Bellarmino lib.*

1. de

1. de grat. & liber. arbit. cap. 6. contra plerósque Thomistas.

Responsio satis clarè colligitur I. ex S. Scriptura, quæ loquens de qualitate nos justificante nullibi facit mentionem qualitatis distinctæ ab habitu charitatis, sed potiùs docet: illam esse habitum ipsius charitatis à Deo nobis infusum. Sic quippe ad Rom. 5. v. 5. ait Apostolus: *Spes autem* (nempe *gloriæ filiorum Dei*, ùt præmittitur) *non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et S. Joannes 1. Epist. 3. v. 1. inquit: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & simus.* Idem de charitate asserit S. Scriptura alibi sæpius.

II. Constat ex sanctis Patribus, qui loquentes de qualitate nos justificante, pariter nullibi faciunt mentionem alicujus qualitatis ab habitu charitatis distinctæ, sed potiùs docent, illam esse habitum charitatis, à Deo nobis infusum. Sic S. Augustinus tom. 10. lib. de grat. Christi, reprehendens Pelagium & Cœlestium, cap. 3. col. 243. ait: *Istam quippe gratiam, qua justificamur, id est, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum . . in Pelagii & Cœlestii Scriptis, quæcunque legere potui, nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri.* Et eodem tom. lib. de nat. & grat. cap. 42. col. 148. de charita-

ritate inquit : *Ista est enim verissima, plenissima, perfectissimáque justitia.* Item tom. 8. lib. 15. de Trinit. cap. 18. col. 989. de eadem charitate per Spiritum Sanctum in cordibus nostris diffusa dicit : *Nullum est isto Dei dono excellentius. Solum* (hoc donum) *est quod dividit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ.* Ergo qualitas nos justificans non est realiter distincta ab habitu charitatis, à Deo nobis infuso, juxta manifestam doctrinam S. Augustini ; nam aliàs talis qualitas esset donum Dei charitate excellentius, utpote nos formaliter justificans : item inter filios regni æterni & filios perditionis æternæ non divideret sola charitas, sed potiùs talis qualitas à charitate distincta. Idem docet S. Bernardus tom. 1. serm. 29. in Cantica col. 1372. dicens : *Charisma peroptimum charitas est.* Et tom. 2. tract. de statu virtutum col. 549. inquit : *Jure ergo charitas dicitur signum, quo discernuntur electi à reprobis.* Item volum. 1. tom. 2. colum. 554. de charitate Dei nobis infusa, & contraria carnis concupiscentia, dicit : *Per Spiritum ergo, qui ex Deo est, charitas Dei diffusa est in cordibus nostris : sicut per carnem, quæ est ex Adam, manet concupiscentia nostris insita membris.* Idem docent alii sancti Patres communiter in relatos S. Scripturæ textus ; utì videre licet apud Cornelium à Lapide & alios interpretes in eadem loca S. Scripturæ.

III. Pa-

III. Patet ex Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 7. ubi ex professo agens de causa etiam formali nostræ Justificationis, inquit: *Quanquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri JEsu Christi communicantur; id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur.*

Ratio responsionis verò est: quia ex natura morali virtutum maximè congruum est, ut forma nos sanctificans, reddens amicos Dei, & justos, sit ipse habitus charitatis à Deo infusæ cum jure resultante ex promissione Divina & meritis Christi: ergo forma nos justificans defactò est habitus charitatis à Deo nobis cum tali jure infusus. Con. patet; quia Deus in moderna providentia ordinat, decernit, & facit, quod est naturæ rei congruentius. Ant. prob. 1. charitas est præstantissima virtus; juxta Apostolum 1. ad Corinth. 13. v. 13. *Major autem horum est charitas.* 2. Charitas in linea morali nos maximè unit cum Deo, tanquam fine ultimo; juxta illud 1. Joan. 4. v. 16. *Qui in charitate manet, in Deo manet, & Deus in eo.* 3. Charitas à Deo infusa manet etiam in altera vita, & statu amicitiæ consummatæ, ad Deum diligendum; juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 13. v. 8. *Charitas nunquam excidit:* ergo ex na-

natura morali virtutum & donorum Dei maximè congruum est, ut forma nos sanctificans, reddens amicos Dei, & justos, sit ipse habitus charitatis à Deo nobis infusæ unà cum jure ad amicitiam Dei increatam & vitam æternam, resultante ex promissione Divina & meritis Christi.

Præterea maximum fundamentum morale amicitiæ est amor mutuus & similitudo morum; ùt docet Aristoteles 9. Ethic. cap. 4. & nobis ab experientia patet: atqui habitus charitatis à Deo nobis infusæ facit nos potentes diligere Deum amore supernaturali, & facit similitudinem morum (tanquam radix reliquarum virtutum, quarum actus illa imperat) cum beneplacito Divino: ergo illa est maximum fundamentum morale amicitiæ Divinæ. Maj. per se patet. Min. verò constat ex Apostolo, qui 1. ad Corinth. 13. à v. 4. ait: *Charitas patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa . . omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

148 *Quæres 7.* In quo igitur consistat causa formalis nostræ justificationis, adæquatè sumpta?

℞. Causa formalis nostræ justificationis consistit radicaliter in habitu charitatis à Deo nobis infusæ, formaliter & completè verò in jure adoptionis, seu in jure ad amorem amicitiæ Divinæ increatum & vitam æternam,

nam, resultante ex promissione Divina & merititis Christi. *Ita cum sanctis Patribus quoad rem iterum communiter Theologi supra num. 143. pro secunda sententia relati.*

Responsio patet ex S. Scriptura; nam 1. Joan. 3. v. 1. dicitur: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & simus:* adeoque charitas à Deo nobis infusa, nosque formaliter justificans, habet secum annexum jus adoptionis Divinæ, per quod Filii Dei adoptivi nominamur, & sumus. Unde S. Augustinus tom. 10. lib. de nat. & grat. cap. ult. colum. 164. ait: *Charitas ergo inchoata, inchoata justitia est: charitas provecta, provecta justitia est; charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est.*

Quòd autem jus adoptionis, seu filiationis Dei adoptivæ, debeat resultare ex promissione Divina & meritis Christi abundè docet S. Scriptura; nam ad Rom. 8. à v. 15. ait Apostolus: *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater) ipse enim Spiritus reddit testimonium Spiritui nostro, quòd sumus Filii Dei. Si autem Filii & Hæredes: Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Ad Galat. 3. v. 29. *Si autem vos Christi* (estis) *ergo semen Abrahæ estis, secundùm promissionem hæredes.* Jacobi 2. v. 5. *Nonne Deus eligit pauperes in hoc mundo, divites in fide, &*

 hæ-

hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se. Idem docet S. Scriptura alibi sæpius.

Ratio responsionis verò est: quia jus adoptionis, seu jus morale & formale ad amicitiam Divinam increatam & vitam æternam, nequit realiter identificari cum habitu charitatis infuso aut alia qualitate creata; ùt vidimus supra num. 145. ergo tale jus est absolutè separabile ab habitu charitatis infuso, & necessariò debet oriri ex promissione Divina (propter merita Christi) tanquam illius effectus moralis. Sed

149 *Dices I.* Quando S. Scriptura loquitur de gratia sanctificante & habitu charitatis infuso, de his sæpius loquitur tanquam de duobus realiter distinctis: ergo. Ant. Prob. Apostolus 2. ad Corinth. 13. v. 13. ait: *Gratia Domini nostri JEsu Christi, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritûs sit cum omnibus vobis:* ergo. Item ad Galat. 5. v. 22. inquit: *Fructus autem Spiritûs est charitas, gaudium, pax, patientia &c.* atqui per spiritum l. c. intelligitur gratia sanctificans: ergo charitas est fructus gratiæ sanctificantis. Hoc adhuc clariùs exprimit Apostolus ad Rom. 5. v. 5. dicens: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis:* ergo priùs intelligitur datus nobis Spiritus Sanctus, quàm charitas per eum in cordibus nostris diffusa; quia hæc ab illo emanat:

nat : atqui Spiritus Sanctus in illo priori signo naturæ non datur nobis, nisi per gratiam sanctificantem : ergo hæc est prior quàm habitus charitatis.

II. Concilia de gratia sanctificante & habitu charitatis pariter loquuntur tanquam de duobus realiter distinctis : ergo. Ant. prob. Concilium Viennense in Gallia, de gratia & virtutibus inquit : *Conferre in Baptismate gratiam informantem & virtutes* : ergo, sicut reliquas virtutes supponit esse distinctas à gratia sancti ficante, ita etiam habitum charitatis. Item Tridentinum Sess. 6. cap. 7. ait : *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per JEsum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.* Et in principio illius capitis docet, justificationem fieri *per infusionem gratiæ & donorum.* Tandem Can. 11. statuit : *Si quis dixerit, homines justificari . . exclusa gratia & charitate . . anathema sit.* Idem docet Concilium Moguntinum, interim subordinatum Tridentino, cap. 7. dicens : *Cum venia peccatorum homo etiam Dei gratiam, & per Spiritum Sanctum unà cum fide simul charitatem in corde diffusam, ac spem accipit;* ergo gratia sanctificans est realiter distincta ab habitu charitatis.

III. Catechismus Romanus de Sacramento Baptismi num. 265. postquam asseruerat, gratiam sanctificantem esse qualitatem supernaturalem, subdit : *Huic autem gratiæ additur no-*

 bi-

bilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur : ergo &c. Præterea sancti Patres sæpius innuunt gratiam sanctificantem realiter distingui ab habitu charitatis, præsertim S. Augustinus tom. 10. lib. de Spirit. & lit. cap. 32. colum. 118. ubi distinguit justitiam, *qua justi efficimur*, à charitate, qua nos Deus *facit dilectores suos* : ergo. His accedit D. Thomas, qui 1. 2. q. 110. a. 3 oppositam sententiam ex professo & ita clarè docet, ut propter ejus authoritatem non solùm Thomistæ, sed etiam plures alii Theologi illam amplectantur : ergo.

IV. Sic nos radicaliter justificaremur per habitum charitatis & formaliter per justitiam Christi, aut saltem per jus resultans ex justitia Christi : atqui hæc sententia fuit doctrina Pighii, & dein Buceri Calvinistæ, fuítque à Concilio Tridentino reprobata : ergo. Min. prob. Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 7. expresse ait : *Demum unica causa formalis* (nostræ justificationis) *est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit* : ergo Concilium vult, nos non justificari per justitiam Christi.

V. In S. Scriptura & Patribus nullum datur testimonium, quòd nos formaliter & completè justificemur per jus resultans ex promissione Divina & meritis Christi, aut, quòd hoc jus sit ex ordinatione Divina connexum cum habitu charitatis à Deo infusæ: ergo

ergo tale jus præter habitum charitatis non eſt aſſerendum.

℟. *ad 1.* d. ant. quando S. Scriptura loquitur de gratia ſanctificante & habitu charitatis infuſo, de his ſæpius loquitur ut de duobus realiter inadæquatè diſtinctis, nempe ſub ratione qualitatis & juris annexi; c. ant. ut duobus adæquatè diſtinctis ſub ratione duplicis qualitatis; n. ant. & ſub eadem diſtinctione n. con. S. Scriptura e. g. 1. Joan. 3. v. 1. dicendo: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & ſimus,* diſtinguit quidem gratiam ſanctificantem in eſſe qualitatis & juris; nunquam tamen diſtinguit qualitatem phyſicam gratiæ à qualitate phyſica charitatis.

Ad prob. & 1. textum dico, ibi ſenſum eſſe vel de gratia ſanctificante ſub diverſa ratione habitûs & juris, vel de gratia actuali; quæ utique realiter diſtinguitur ab habitu charitatis infuſo. Ad 2. dico, ibi non eſſe ſenſum de gratia habituali, ſed de actu charitatis, qui eſt fructus gratiæ ſanctificantis; ſicut gaudium, pax, patientia &c. de quibus l. c. loquitur Apoſtolus. Ad 3. c. ant. & con. n. min. ſubſumptam; nam per Spiritum Sanctum ibi probabiliùs intelligitur perſona Spiritûs Sancti, nobis per modum cauſæ extrinſecæ data, cui appropriantur opera noſtræ ſanctificationis. Vel, ſi per Spiritum Sanctum intelligitur ipſa gratia ſanctificans, tunc d. ant.

diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum formaliter; c. ant. diffusa est caussaliter; n. ant. & con. Distinctio in hoc supposito ultimo per se patet consideranti.

Ad 2. d. ant. Concilia de gratia sanctificante & habitu charitatis pariter loquuntur tanquam de duobus realiter adæquatè distinctis, seu distinctis in ratione duplicis qualitatis physicæ; n. ant. tanquam de duobus realiter inadæquatè distinctis, seu distinctis in ratione qualitatis physicæ & juris moralis; c. ant. & n. con. Concilium Viennense igitur per gratiam informantem intelligit habitum charitatis, prout jure adoptionis Divinæ moraliter affectum, per virtutes verò alias virtutes infusas, præsertim morales, tanquam proprietates gratiæ sanctificantis. Concilium Tridentinum ll. cc. vult contra modernos Hæreticos, quòd justificatio impii non sit sola peccatorum remissio, seu quid purè negativum, sed etiam positiva infusio virtutum supernaturalium: & loquitur de gratia sanctificante & habitu charitatis tanquam de duobus inadæquatè distinctis, sub ratione qualitatis physicæ & juris moralis. Idem est de Concilio Moguntino, quod Tridentino interim fuit subordinatum. Neque de mente Concilii Tridentini est dubium; nam, licèt ex duabus sententiis Catholicis neutram voluerit decidere; in nostram tamen

ma-

magis inclinat, dum Sess. 6. cap. 7. ex professo explicans causam formalem nostræ justificationis, ait: *Quamquàm enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri JEsu Christi communicantur* (nempe per jus adoptionis ex illis resultans) *id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret.* Idem constat ex Concilio Francofordiensi apud Joannem Harduinum tom. 4. Concilior. pag. 893. ubi adoptionem definit his verbis: *Quid est adoptio nisi charitatis copulatio, qua Pater adoptione sibi copulat filium, quem proprium non habet.*

Ad 3. c. ant. n. con. quòd nempe etiam habitus charitatis infusæ comitetur gratiam sanctificantem; nam ibi sensus solùm est de virtutibus moralibus infusis, quarum actus charitas imperat. Neque Catechismus Romanus ibi intendit docere, quòd gratia sanctificans realiter distinguatur à charitate, sed solùm, quòd cum illa infundantur habitus supernaturales omnium virtutum. Ad 2. n. ant. & dico, S. Augustinum l. c. loqui de charitate nobis infusa, & velle hanc non esse illam, *qua nos ipse diligit, sed qua nos facit Dilectores suos.* Quòd manifestum est; nam S. Pater expresè subdit: *Hæc est justitia Dei, quam non solùm docet per legis præceptum, verum etiam dat per Spiritûs donum.* Ad 3. c. ant.

 seu,

seu, quòd S. Thomas doceat sententiam oppositam; ejus tamen authoritatem solùm veneror, & sententiam oppositam amplector propter authoritatem S. Scripturæ, sanctorum Patrum eloquia, & rationum fundamenta: quæ nullibi docent, gratiam sanctificantem in esse qualitatis esse distinctam ab habitu charitatis nobis à Deo infuso, sed solùm partialiter in esse juris seu gratiæ justificantis quà talis; hæc enim præter qualitatem supernaturalem charitatis infusæ importat jus morale adoptionis Divinæ.

Ad 4. n. maj. quoad 2. membrum; nam, licèt nos radicaliter justificemur per habitum charitatis à Deo nobis infusum, & formaliter ac completè per jus morale resultans ex promissione Divina & meritis Christi; non tamen justificamur formaliter & immediatè per ipsam justitiam Christi nobis imputatam. N. etiam min. nam Pighius & Bucerus negarunt justitiam perfectam nobis à Deo infusam: ille quippe docuit, nos formaliter justificari per justitiam Christi amore apprehensam, iste verò per justitiam Christi fide apprehensam; ùt testatur Bellarminus lib. 2. de justificatione cap. 1. Unde nos à sententia Pighii & Buceri in duplici puncto sumus diversi. Primò, quòd admittamus justitiam perfectam nobis à Deo infusam; secundò, quòd dicamus, nos radicaliter sanctificari per habitum charitatis

infu-

infusum & formaliter ac completè per jus morale resultans ex promissione Divina & meritis Christi, non verò per justitiam Christi extrinsecè solùm nobis imputatam. Licèt igitur illorum doctrina sit difformis Concilio Tridentino, nostra tamen est huic perfectè conformis; nam in nostra doctrina perfectè verificatur citata propositio Concilii: *Demum unica causa formalis* (nostræ justificationis) *est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit*; nempe per habitum charitatis infusum & jus adoptionis Divinæ, huic annexum, nobisque moraliter intrinsecum.

Ad 5. n. ant. quoad utrumque membrum; nam imprimis jus adoptionis & hæreditatis Divinæ debere oriri ex promissione Divina & meritis Christi, probant omnes textus Scripturæ supra num. 148. secundo loco relati. Unde S. Augustinus tom. 8. lib. 3. contra Faustum cap. 3. colum. 191. ait: *Cùm igitur jus adoptionis filiorum apud Patres nostros & in Scripturis sanctis usitatum sit . . nos rectè dicimus: Pater noster, qui es in cælis.* Dein hoc jus adoptionis esse ex ordinatione Divina moraliter connexum cum habitu charitatis à Deo nobis infusæ, clarè docet S. Joannes 1. Epist. 3. v. 1. dicens: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus.* Et S. Jacobus 2. v. 5. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo divites in fide, & hæredes regni,*

quod repromisit Deus diligentibus se. Reliquas objectiones leviores & à ratione petitas Thomistarum solvi *in Theolog. Specul. tract. 6. disp. 5. q. 1. a. 2. à num. 8.*

150 *Quæres 8.* Quid igitur importet justificatio impii?

℞. Justificatio impii tria partialiter importat; nempe remissionem peccati, infusionem sanctitatis, seu charitatis cum virtutibus supernaturalibus, & collationem juris ad amicitiam Dei mutuam & vitam æternam. *Ita iterum quoad rem Theologi, supra num. 143. pro secunda sententia relati, communiter.*

Responsio patet ex diversis textibus S. Scripturæ per decursum hujus capitis citatis, clarissimè & distinctè verò ex Apostolo Paulo, qui 1. ad Corinth. 6. v. 11. Corinthiis, ante Baptismum impiis & per Baptismum justificatis, scripsit: *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri JEsu Christi & in Spiritu Dei nostri.* Ubi Apostolus clarè & distinctè asserit, in justificatione impii per Baptismum tres partialiter fieri mutationes, se concomitantes; nempe *ablutionem*, seu remissionem maculæ peccatorum; *sanctificationem*, seu infusionem habitûs charitatis cum reliquis virtutibus supernaturalibus; & *justificationem*, seu collationem juris ad amicitiam Divinam increatam & vitam æternam.

Ra-

Ratio responsionis verò est: quia impio in justificatione non solùm remittuntur peccata, sed ille etiam spiritualiter regeneratur, & renovatur ad exercitium virtutum supernaturalium, & acquirit jus ad amicitiam Divinam increatam & vitam æternam: ergo justificatio impii partialiter triplicem importat mutationem; nempe transitum ab esse ad non esse reatûs culpæ; à non esse ad esse habitûs charitatis infusæ, aliarúmque virtutum; & simul à non esse ad esse juris ad amicitiam Divinam & vitam æternam.

Porrò, licèt infusio habitûs charitatis & aliarum virtutum sit mutatio physica, remissio tamen peccatorum & collatio juris ad amorem amicitiæ Divinæ ac vitam æternam est mutatio solùm moralis. Ratio hujus est: quia in priori mutatione terminus positivus à quo, seu reatus culpæ, & in posteriori terminus positivus ad quem, seu jus, est solùm quid morale, & ex ordinatione voluntatis Divinæ resultans.

Neque præcedenti nostræ responsioni obstat Concilium Tridentinum, quod Sess. 6. cap. 7. de justificatione impii dicit: *Quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum:* adeoque videtur dicere in justificatione hominis impii duplicem solùm dari mutationem; nempe remissionem pecca-

peccatorum & sanctificationem per infusionem habitûs charitatis. Nam Concilium Tridentinum ex S. Scriptura semper implicitè supponit, gratiam justificantem quà talem præter qualitatem physicam charitatis importare jus morale ad amicitiam Divinam & vitam æternam, resultans ex promissione Divina & meritis Christi. Unde Concilium Tridentinum sub nomine *gratiæ justificantis*, prout ab habitu charitatis partialiter distinctæ, etiam supponit tertiam mutationem moralem, seu transitum de non esse ad esse similis juris, habitui charitatis à Deo infusæ annexi; juxta sæpius laudatam doctrinam 1. Joan. 3. v. 1. *Videte, qualem charitatem* &c Et Pauli 1. ad Corinth. 6. v. 11. *Sed sanctificati estis, sed justificati estis.* Ex his

151 Inferuntur sequentia corollaria Catholica, I. quòd homo impius per actum amoris Dei aut contritionis non justificetur formaliter & immediatè, sed solùm causaliter & mediatè; ùt *cum S. Thoma in Supplem. q. 5. a. 1. communiter docent Theologi.*

Ratio hujus est: quia in S. Scriptura amori Dei & contritioni à Deo promittitur justificatio; juxta illud Zachariæ 1. v. 3. *Convertimini ad me . . & ego convertar ad vos, dicit Dominus:* ergo justificatio consequitur amorem Dei & contritionem; adeoque hi duo actus non sunt forma justificans, sed potiùs dispositio moralis

lis ad justificationem, & hujus causa meritoria. Unde Concilium Trid. Sess. 6. cap. 6. inter actus disponentes ad justificationem enumerat timorem, spem veniæ, dilectionem Dei, & odium peccati; ac dein cap. 7. ait: *Hanc dispositionem- justificatio ipsa consequitur:* adeoque amor Dei & contritio juxta Tridentinum non sunt forma justificationis, sed dispositio moralis ad formam justificantem.

Præterea forma justificans non consistit in justitia facti transeuntis, sed in justitia juris permanentis ad amorem amicitiæ Divinæ increatum & vitam æternam; adeoque, licèt amor Dei & contritio sint justitia facti, tamen nos non justificant formaliter, sed solùm causaliter. Taceo, quòd justitia formalis coram Deo, seu jus adoptionis debeat oriri ex promissione Divina propter merita Christi & contritionem impii; adeoque hoc jus & justitia formalis permanens est distincta ab actu contritionis & amoris Divini. Quæ hìc possent objici, solvi *in Theol. Specul. tr. 6. disp. 5. q. 1. a. 4.*

II. Infertur, quòd reliqui habitus supernaturales à Deo infusi, & à charitate distincti, nos non justificent formaliter & immediatè, sed solùm dispositivè, aut integraliter; *ùt iterum communiter docent Theologi.*

Ratio hujus est: quia habitus fidei & spei subordinantur veluti præviæ dispositiones morales

rales habitui charitatis, & ad hunc referuntur tanquam media ad finem; adeoque habitus fidei & spei nos non justificant formaliter & immediatè, sed solùm dispositivè & mediatè, nempe mediante charitate. Virtutes morales infusæ verò habitum charitatis consequuntur, tanquam hujus proprietates ad supernaturaliter operandum; adeoque nos pariter non justificant moraliter & immediatè, sed solùm integraliter, & mediante charitate, tanquam illarum radice morali.

Præterea solus habitus charitatis infusæ in altera vita est principium amoris fruitivi, & consummatæ amicitiæ cum Deo; juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 13. v. 8. *Charitas nunquam excidit:* ergo etiam in hac vita ex ordinatione Divina soli habitui charitatis immediatè & per se est annexum jus morale ad amicitiam Divinam & vitam æternam; adeoque illa sola cum tali jure sibi annexo nos formaliter justificat. Unde Apostolus l. c. à v. 2. de charitate præcipuè habituali, & à Deo infusa, ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum . . nihil mihi prodest:* quia nempe non haberet habitum charitatis, cui à Deo annexum est jus ad vitam æternam.

III. Infertur, quòd justus per peccatum quodlibet mortale non solùm perdat habitum charitatis à Deo infusæ, sed etiam virtutes mo-

morales infusas; *utì iterum communiter docent Theologi.*

Ratio hujus est: quia justus per quodlibet peccatum mortale incurrit debitum sustinendi odium inimicitiæ Divinæ, & pœnam æternam; adeoque demeritoriè perdit habitum supernaturalem charitatis à Deo infusum unà cum jure ad amicitiam Divinam & vitam æternam. Cùm verò virtutes morales sint proprietates habitûs charitatis, etiam has perdit; quia amissa radice & quasi natura amittuntur etiam proprietates.

Interim tamen, amissa per peccatum mortale gratia justificante cum virtutibus moralibus infusis; non amittitur habitus infusus fidei & spei, nisi peccatum sit his duabus virtutibus directè oppositum, & contrarium; uti definivit Concilium Tridentinum Sess. 6. Can. 28. dicens: *Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul & fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licèt non sit viva . . anathema sit.*

Ratio hujus verò est: quia fides & spes sunt virtutes natura priores charitate & gratia justificante; adeoque, licèt amissâ per peccatum mortale gratia sanctificante amittantur virtutes morales infusæ, tanquam illius proprietates morales; non tamen amittitur fides & spes, tanquam illius præviæ dispositiones.

Præ-

Præterea habitus fidei & spei sunt principia radicalia ad pœnitendum; adeoque illos Deus non destruit in peccatore, nisi iste se illis specialiter reddat coram Deo indignum per peccatum his virtutibus directè oppositum.

Porrò, licèt e. g. per peccatum mortale desperationis amittatur etiam habitus spei infusus cum gratia sanctificante & virtutibus moralibus infusis, non tamen amittitur habitus infusus fidei; quia iste est prævia dispositio ad spem veniæ & pœnitentiam. Quando autem per peccatum mortale hæresis aut infidelitatis amittitur habitus fidei infusus, amittuntur simul omnes virtutes supernaturales infusæ; quia fides est fundamentum omnium virtutum supernaturalium; juxta illud Apostoli ad Hebr. 11. v. 1. *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

CAPUT XIV.

De Christo unico Mediatore, fonte omnis gratiæ ac unica causa nostræ justificationis & de adiaphoris.

SUMMARIUM.

152. *Quidnam importet persona & officium Mediatoris inter Deum & homines?*

153. *Christus, in rigore loquendo, est unicus Mediator inter Deum & homines.*

154. *Proponuntur & solvuntur quædam objectiones.*

155. *Per Christum & ejus merita omnibus hominibus remittuntur peccata, si in eum credant fide viva & efficaci.*

156. *Ex meritis Christi omnes homines accipiunt à Deo gratias supernaturales.*

157. *Ex meritis Christi omnes Beati acquirunt vitam æternam, præsertim quà æternam.*

158. *Hæc doctrina jam fuit in antiquo testamento de venturo Messia, & à tempore Apostolorum semper perseveravit in Ecclesia Catholica.*

159. *Unde Christus est fons omnis gratiæ & causa unica nostræ justificationis* comparativè *ad Sanctos.*

160. *Justificationem tamen & vitam æternam homines adulti sibi etiam merentur cum gratia Dei per propriam cooperationem, seu per opera supernaturalia.*

161. *Jus morale ad vitam æternam in justis adultis indivisibiliter oritur ex promissione Divina, ex meritis Christi, & propria cujuslibet cooperatione.*

162. *Unde Deus justis post mortem ex virtute suæ justitiæ reddit vitam æternam.*

163. *Quid & quotuplicia sint adiaphora.*

164. Celsissimus Archiepiscopus Viennensis inter adiaphora, comparativè sumpta, potuit numerare invocationem Sanctorum & similia, quæ non sunt à Deo præcepta.

165. Proponuntur, & solvuntur, quædam objectiones.

166. Inane jubilum Lutheranorum de Epistola Pastorali.

UT etiam Exegesim Epistolæ Pastoralis Celsissimi S. R. I. Principis & Archiepiscopi Viennensis, anno 1752. die 1. Jan. datæ, solidè & clarè incipiamus, eamque Epistolam esse fidei Catholicæ per omnia conformem, & Lutheranis nec in minimo puncto aut Jota favere demonstremus; hinc

152 *Quæres 1.* Quidnam importet persona, & officium Mediatoris inter Deum & homines?

℞. *ad 1.* Persona Mediatoris, strictè dicti, inter Deum & homines importat suppositum Humano - Divinum; adeoque ad personam Mediatoris strictè dicti necessariò requiritur, ut sit suppositum Human - aut Angelico - Divinum *Ita cum sanctis Patribus communis respectivè Theologorum Catholicorum, & aliorum contra Nestorianos, & modernos Socinianos.*

Responsio patet I. ex S. Scriptura; nam Apostolus 1. ad Timoth. 2. v. 5. ait: *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Christus JEsus: qui dedit redemptionem semet-*

metipsum pro omnibus. Idem asserit ad Galat. 3. v. 19. dicens: *Quid igitur lex? propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per Angelos in manu Mediatoris.* Ubi Apostolus alludit ad Moysen, cui Deus per ministerium Angelorum in monte Sina dedit decalogum seu legem; & simul perstringit Simonem Magum ejusque asseclas, qui ex Platone docebant, non Christum sed Angelos vel dæmones esse mediatores hominum ad Deum; ùt cum sanctis Patribus & aliis communiter advertit Cornelius à Lapide *Comment. in Epist. 1. ad Timoth. 2. v. 5.* Unde ipse Apostolus ad Hebr. 8. v. 6. de Christo inquit: *Nunc autem melius* (nempe præ Angelis) *sortitus est ministerium, quantò & melioris testamenti Mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.* Idem repetit ad Hebr. 9. v. 15. & 12. v. 24.

II. Clarè constat ex sanctis Patribus, inter quos S. Augustinus tom. 1. lib. 10. Confess. cap. 42. col. 194. ait: *Mediator autem inter Deum & homines, oportebat, ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus; nè in utroque hominibus similis, longè esset à Deo; aut in utroque Deo similis, longè esset ab hominibus; atque ita mediator non esset.* Et tom. 6. in Enchir. de fide cap. 108. col. 237. inquit: *Neque per ipsum liberaremur unum Mediatorem Déi & hominum, hominem JEsum Christum, nisi esset & Deus.* Ejusdem

dem sententiæ est S. Basilius in Psalm. 48. ubi exponens illa verba: *Non redimit frater, redimet homo*, inquit: *Non nudus homo, sed Homo-Deus, JEsus Christus; quia nullus alius poterat condignum offerre pretium.* Item S. Leo Papa Serm. 1. de Nativit. Domini ait: *Nisi esset verus Deus, non adferret remedium.* Idem docent Athanasius, Cyrillus, Cyprianus, Irenæus, Fulgentius, & alii Patres; uti per longum est videre apud Vasquez tom. 1. in 3. part. disp. 4. cap. 3.

Præterea sancti Patres contra Arianos & Nestorianos communiter utebantur sequenti argumento: *Christus obtulit Deo condignum pretium pro nostra redemptione, imò superabundans, mortemque ac peccatum sua passione & morte perfectè destruxit; ùt docet Scriptura: ergo fuit verus Deus & homo.* Ergo sancti Patres communiter censuerunt, ad personam Mediatoris inter Deum & homines, strictè dicti, requiri, ut sit Homo-Deus, & purum hominem non posse de condigno satisfacere pro peccato mortali; nam aliàs hoc commune argumentum Patrum fuisset infirmum & nullum.

Unde sancti Patres cum Apostolo communiter etiam censuerunt, quòd unus solùm sit Mediator Dei & hominum, Homo Christus JEsus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Hinc etiam Celsissimus Archiepiscopus Viennensis vestigiis sanctorum Pa-

trum

trum inhærens juxta commune dogma Ecclesiæ Catholicæ in Sua Epiſtola Paſtorali aſſerit, *Unicum Mediatorem noſtrum JEſum Chriſtum.*

Ratio reſponſionis verò eſt: quia peccatum mortale in ratione offenſæ Divinæ eſt moraliter malitiæ ſimpliciter infinitæ, ùt quidam volunt; vel ſaltem, ùt veriùs volunt alii, eſt altioris ordinis quàm ſatisfactio puræ creaturæ; ita ut hæc pro illo non poſſit condignè ſatisfacere, & multò minùs pro peccatis totius mundi: ergo ad perſonam Mediatoris, ſtrictè dicti, inter Deum & homines neceſſariò requiritur, ut ſit Homo-Deus, ſeu ſuppoſitum Humano-Divinum. Ant. fuſiùs patet ex dictis tract. 4. cap. 4. à num. 46. Con. etiam conſtat; quia Mediator inter Deum & homines, ſtrictè dictus, debet poſſe de condigno ſatisfacere pro toto genere humano.

Addidi autem in reſponſione: *Perſona Mediatoris ſtrictè dicti &c.* nam ad perſonam mediatoris inter Deum & homines latè dicti, qui poſſet ſolùm de congruo ſatisfacere pro peccatis hominum, non requireretur ſuppoſitum Humano-Divinum, ſeu Incarnatio Verbi Divini; ùt iterum communiter docent ſancti Patres. Inter quos S. Auguſtinus tom. 6. lib. de agone Chriſtiano cap. 11. colum. 251. ait: *Sunt autem ſtulti, qui dicunt: Non poterat aliter Sapientia Dei homines liberare, niſi ſuſciperet hominem, & naſceretur de fæmina, & à peccatoribus*

omnia illa pateretur. Et S. Athanasius Serm. 3. contra Arianos inquit: *Poterat enim sine ullo adventu Christi solummodò loqui Deus, & solvere maledictionem.* Quibus consonat Hugo à S. Victore lib. 1. p. 8. cap. 10. dicens: *Veraciter profitemur, quòd redemptionem generis humani etiam alio modo Deus perficere potuisset, si voluisset.* Deus igitur reparationem humani generis per Incarnationem Verbi Divini, tanquam per medium ad manifestandas suas perfectiones aptissimum, liberè elegit; juxta illud S. Leonis Papæ Serm. de Nativit. Domini: *Verax namque misericordia Dei, cum ad reparandum genus humanum infallibiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit.*

℞. *ad 2.* Ad munus Mediatoris strictè dicti inter Deum & homines in actu secundo præter personam Humano-Divinam requiritur, ut hæc à Deo ordinetur ad satisfaciendum pro genere humano; seu ut constituatur à Deo Mediator. *Ita quoad rem communis sanctorum Patrum & Theologorum.*

Responsio abundè patet ex S. Scriptura; nam Christus de ordinatione Divina circa se ipsum Joan. 3. v. 16. ait: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum* (nempe fide viva & efficaci) *non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et Actor. 10. v. 42. de illo dicitur: *Præcepit nobis prædicare, & testificari, quia ipse est, qui* con-

constitutus est judex vivorum & mortuorum. Unde etiam Paulus ad Hebr. 1. v. 2. de Deo & Christo inquit: *Novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum.* Idem docet Apostolus in textibus pro priori responsione de Christo ùt Mediatore relatis, & Scriptura alibi sæpissimè. Idem denique unanimiter docent sancti Patres: neque de hoc dubitant moderni hæretici, exceptis Socinianis.

Ratio responsionis verò est: quia satisfactio Mediatoris in actu secundo (ut sit perfecta & ex rigore justitiæ) præter dignitatem satisfacientis & satisfactionis, importat ex parte illius, cui satisfit, debitum acceptandi satisfactionem & deponendi justam indignationem: atqui Deus independenter à prævia sua ordinatione & constitutione Christi in Mediatorem, non haberet debitum acceptandi satisfactionem illius pro genere humano, & deponendi justam indignationem contra hujus peccata: ergo &c. Maj. per se patet. Min. prob. Deus est absolutus Dominus omnium rerum creatarum, & consequenter etiam humanitatis Christi à Verbo Divino assumptæ, hujusque operationum: ergo has potuisset exigere titulo supremi Dominii, aut præcisè propter exemplum aliorum hominum, & non tenebatur illas acceptare in satisfactionem pro genere humano independenter à prævia sua ordinatione: Deus

quippe, cum sit absolutus Dominus, nequit obligari ab alio, sed solùm à se ipso.

153 *Quæres 2.* An Christus sit unicus Mediator inter Deum & homines?

℞. Christus, in rigore & strictè loquendo, est unicus & solus Mediator inter Deum & homines. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum, & aliorum Christianorum, contra Nestorianos, & modernos Socinianos, qui volunt, naturam humanam Christi non esse Verbo Divino physicè & hypostaticè sed solùm moraliter unitam; uti retuli tract. 4. cap. 9. n. 105. cap. 10. à num. 120. & cap. 15. à num. 177. Adeoque dicunt, Christum non esse Redemptorem & Mediatorem, sed solùm Doctorem justitiæ à Deo missum, uti refert Brochmand tom. 1. pag. 971.*

Responsio patet ex S. Scriptura; nam Apostolus 1. ad Timoth. 2. v. 5. ait: *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, Homo Christus JEsus: qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Et Actor. 4. v. 12. dicitur de Christo: *Non est in aliquo alio salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Ergo Christus est unicus & solus Mediator inter Deum & homines, strictè dictus; ita ut Deus per illius solius, tanquam causæ moralis principalis, merita hominibus det gratias supernaturales, remittat peccata, & tribuat jus ad amorem amicitiæ increatum & vitam æternam.

Ratio

Ratio responsionis verò est: quia ad personam Mediatoris, propriè & strictè dicti, inter Deum & homines requiritur, ut sit persona, seu suppositum Humano-Divinum, utque possit de condigno satisfacere Deo pro peccatis totius generis humani: ergo Christus, in rigore strictè & propriè loquendo, unicus & solus est Mediator inter Deum & homines. Maj. abunde patet ex dictis num. præced. Min. etiam constat; quia in moderna providentia nulla alia creatura fuit à Deo hypostaticè assumpta, aut ad satisfaciendum pro genere humano ordinata, præter humanitatem Christi. Unde Apostolus ad Hebr. 2. v. 16. ait de Deo: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ* (id est, naturam humanam Christi) *apprehendit.*

Addidi autem: *in rigore & strictè loquendo*; nam, licèt in sensu latiori, & *titulo intercessionis* apud Deum, etiam Sancti possint dici mediatores; in sensu stricto tamen, & *titulo redemptionis*, solus Christus est, & dici potest, ac debet Mediator inter Deum & homines. Quam veritatem nervosè exprimit Paulus Apostolus 1. ad Corinth. 1. v. 13. ubi quosdam, qui dicebant: *Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephæ*, seu Petri, reprehendit, dicens: *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?*

Unde etiam Celsissimus Archi-Episcopus Viennensis in laudata sua Epistola Pastorali ad Concionatores sapientissimè ait: *Utile erit de laudibus & invocatione Sanctorum disserere; ita tamen, ut auxesibus nimiis supersedeatur; aut nè Sancti cum Sanctis quodammodò collidantur, alter alteri frivolè præferatur; aut (quod errorem atque impietatem saperet) qui intercessores solummodò sunt, unico Mediatori nostro Christo pares, imò suppares, deprædicentur.* Ubi,bena advertant malevoli Lutherani parenthesim in quo noster Archipræsul non dicit, quòd apud nos Catholicos hoc prædicetur; sed solùm monet, nè forsan à rudibus prædicetur.

Licèt igitur Sancti in sensu latiori possint dici, & pro nobis orando sint *Mediatores ministeriales, mediati, & secundarii*, ùt docet S. Cyrillus lib. 12. Thesauri cap. 10. & alii Patres; Christus tamen solus est *Mediator principalis, immediatus, & primarius*; ùt in formalibus terminis ait celeberrimus S. Scripturæ interpres Cornelius à Lapide è Societ. JEsu *commentario in 1. Epist. ad Timoth. cap. 2. pag. 748. & seq.* Sed

154 *Dices cum Socinianis I.* Apostolus ad Galat. 3. v. 19. etiam Moysen appellat Mediatorem, dicens: *Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per Angelos in manu mediatoris*, id est, Moysis: ergo etiam Moyses &

alii

alii Sancti possunt dici Mediatores inter Deum & homines.

II. Christus solùm dicitur Mediator inter Deum & homines, prout fuit interpres legis Divinæ; prout hanc clarè explicuit, exactæ observavit, & nobis dedit exemplum omnium virtutum: ergo Christus fuit purus homo, & non fuit speciali modo Mediator inter Deum & homines propter unionem physicam & hypostaticam cum Verbo Divino. Ant. & simul con. prob. Deuteronomii 18. v. 18. dixit Deus Moysi de venturo post eum Messia Judæorum, seu Christo: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore ejus, loquetúrque ad eos omnia, quæ præcepero illi:* ergo Messias, Moysi à Deo revelatus, fuit Moysi simili; adeoque fuit purus homo, & non fuit speciali modo Mediator inter Deum & homines propter unionem physicam & hypostaticam cum Verbo Divino.

III. Quando Paulus Apostolus 1. ad Timoth. 2. v. 5. dixit: *Unus est Mediator Dei & hominum, homo Christus JEsus,* munus Mediatoris reduplicat super hominem, dicendo: *Homo Christus JEsus:* ergo Apostolus l. c. non vult dicere, quòd Christus sit speciali modo Mediator inter Deum & homines propter personam Humano-Divinam, seu unio-

unionem physicam & hypostaticam naturæ humanæ cum Verbo Divino.

IV. Apostolus l. c. nihil præmisit de ira Dei, quod debuisset facere, si de aliqua pacificatione speciali iræ Dei per Christum tanquam Mediatorem agere voluisset: ergo ex citato textu Apostoli non probatur solùm Christum esse specialem Mediatorem inter Deum & homines propter unionem physicam & hypostaticam naturæ humanæ cum Verbo Divino.

V. Apostolus l. c. solùm præmisit commendationem gratiæ, bonitatis & clementiæ, qua Deus totum genus humanum complexus fuerat: ergo per nomen Mediatoris solùm vult dicere, Christum fuisse specialem internuncium voluntatis Divinæ; cùm voluntas Divina hominibus non nisi per internuncium patefieri soleat. Ita arguit *Socinus lib. 1. de Servatore cap. 7. pag. 47. & 48.* Cui Hæretico citatus textus Apostoli est sudes in oculis.

℞. *ad 1.* d. ant. Apostolus l. c. etiam Moysen appellat mediatorem in sensu latiori seu internuncium; c. ant. in sensu stricto seu pacificatorem Dei & Redemptorem hominum, sicut vocat Christum; n. ant & sub eadem distinctione n. con. Apostolus inter Moysen & Christum secundùm personam & naturam Divinam, aliásque prærogativas Christi, po-

sita

sita paritate, dein ingentem ponit disparitatem: nam ad Hebr. 3. à v. 1. ait: *Unde fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum & Pontificem Confessionis nostræ JEsum, qui fidelis est ei, qui fecit illum; sicut & Moyses in omni domo ejus.* Quæ Paulus dicit de Christo secundùm hujus naturam humanam. Et dein à v. 3. inter Moysen & Christum secundùm personam & suppositum Humano-Divinum, seu secundùm suppositum Verbi Divini (de quo Joan. 1. v. 3. dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt*) ponit ingentem disparitatem, dicens: *Amplioris enim iste gloriæ præ Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus* (id est, *quàm domus, ille*; uti exprimit paraphrasis græca) *qui fabricavit illam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit* (nempe Filius Dei cum Patre & Spiritu Sancto) *Deus est. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus in testimonium eorum, quæ dicenda erant: Christus verò tanquam Filius* (Dei) *in domo sua.* Considerent hæc verba Apostoli moderni Sociniani, & suum errorem de Christo, ùt puro homine, ab Apostolo Paulo refutatum fuisse clarè videbunt.

Ad 2. n. ant. ad prob. c. ant. d. con. ergo Messias seu Christus fuit similis Moysi secundùm suam personam & naturam Divinam; n. con. fuit similis Moysi secundùm naturam suam

suam humanam; c. con. Licèt igitur Christus secundùm naturam humanam fuerit similis Moysi & nobis, juxta illud Apostoli ad Philippenses 2. v. 7. *In similitudiuem hominum factus, & habitu inventus ùt homo;* adeoque secundùm naturam humanam etiam fuerit Propheta similis Moysi: secundùm personam tamen & naturam Divinam Christus fuit Moysi dissimilis, & hujus creator; utì clarè patet ex verbis Apostoli in priori responsione relatis. Unde Apostolus ad Philipp 2. à v. 6. explicat utramque naturam Christi, nempe Divinam & humanam, dicens: *Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit* (nempe sub forma hominis occultando suam invisibilem divinitatem) *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ùt homo.*

Ad 3. c. ant. n. con. nam Apostolus munus Mediatoris in Christo reduplicat super humanitatem, non quasi vellet, Christum fuisse purum hominem; sed, quia vult, munus Mediatoris & Redemptoris Christo convenire secundùm naturam humanam; ita ut suppositum Verbi Divini solùm fuerit principium *ùt quod* & dignificativum operationum, quas Christus per naturam humanam, tanquam per principium *ùt quo* & elicitivum, pro redemptione generis humani exercuit. De

qua

qua controversia plura ex professo dixi tract. 4. cap. 19. num. 226. & 227.

Ad 4. n. ant. nam Apostolus in Epistola prima ad Timotheum cap. 1. v. 10. enumerat diversos peccatores & transgressores legis Divinæ, qui utique habuerunt debitum sustinendi odium inimicitiæ Divinæ & pœnam æternam, seu iram Divinam: adeoque Apostolus satis præmisit de ira Divina & lege, quæ injustis est posita. Præterea textus Apostoli 1. ad Timoth. 2. v. 5. sic integer sonat: *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Christus JEsus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* In quo textu imprimis exprimitur singularitas unius solùm Mediatoris, sicut unius Dei, & dein sufficientia redemptionis pro omnibus: adeoque iste textus per se satis clarè exprimit, quòd Christus sit specialis Mediator inter Deum & homines propter unionem physicam & hypostaticam suæ humanitatis cum Verbo Divino.

Ad 5. trans. ant. n. con. quia citatus textus per se non tam exprimit internuncium voluntatis Divinæ quàm singularem Mediatorem, Redemptorem, & Salvatorem. Dixi autem *Trans. ant.* quia, licèt Apostolus in citata Epist. 1. ad Timoth. cap. 2. solùm præmiserit commendationem gratiæ, bonitatis, & clementiæ Divinæ; capite tamen primo

satis

satis præmisit de ira & lege Divina, quæ posita est peccatoribus & sceleratis. Reliqua argumenta, quæ Sociniani solent objicere contra unionem physicam & hypostaticam humanitatis Christi cum Verbo Divino ex professo solvi in tract. 4. Theol. Polem. cap. 5. num. 61.

155 *Quæres 3.* An per Christum & ejus merita omnibus hominibus remittantur peccata?

℞. Per Christum & ejus merita ac satisfactionem omnibus hominibus remittuntur peccata, si in illum credant fide viva & efficaci; ita ut à Deo hominibus nullum remittatur peccatum sine influxu morali meritorum satisfactionis & satispassionis Christi. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam Lutheranorum & Calvinistarum, contra Nestorianos & modernos Socinianos.*

Responsio patet I. ex S. Scriptura; nam Isaiæ 53. v. 4. dicitur: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.* Matth. 1. v. 21. *Vocabis nomen ejus JEsum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Joan. 1. v. 29. dixit Joannes Baptista de Christo ad se veniente: *Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi.* Actor. 10. v. 43. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum*

torum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum; nempe fide viva & efficaci, *quæ per charitatem operatur;* ùt explicat Apostolus ad Galat. 5. v. 7. Item ad Rom. 3. v. 23. dicitur: *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei: justificati gratis per gratiam ipsius, per redemtionem, quæ est in Christo JEsu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum.* Et 1. Joan. 2. v. 2. *Christus est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm sed etiam pro totius mundi.* Idem patet ex aliis plurimis textibus utriusque testamenti.

II. Constat ex unanimi doctrina sanctorum Patrum & interpretum in citatos textus S. Scripturæ, quos in testimonium afferre nimis longum foret. Si quis verò eorum longam seriem à tempore Apostolorum per singula sæcula videre cupit, legat Jodocum Coccium *in Thesauro Catholico tom. 1. lib. 2. art. 7.*

III. Nobis Catholicis certò etiam constat ex Conciliis, nempe Nicæno in Symbolo fidei, quod in missa recitari solet. Ex Concilio Toletano undecimo, ex Synodo Trullensi, & novissimè ex Concilio Tridentino, quod Sess. 6. cap. 7. ait: *Justificationis* (impii) *causa efficiens est misericors Deus, qui gratuitò abluit, & sanctificat.. meritoria autem dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster JE-*

sus Christus, qui, cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit. Et cap. 9. ait, quòd *necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis Divina misericordiâ propter Christum.* Idem denique constat ex quotidianis precibus Ecclesiæ Catholicæ, quæ in Missa elevatiori voce ter dicit: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.*

Ratio responsionis verò est; quia Deus ab æterno decrevit incarnationem Verbi Divini, ut Christus justitiæ Divinæ pro peccatis omnium hominum condignè satisfaceret, illis mereretur gratias supernaturales ad bene operandum, & jus ad vitam æternam, tanquam causa meritoria principalis & universalis: ergo Deus hominibus nullum remittit peccatum sine influxu morali meritorum, satisfactionis, & satispassionis Christi, tanquam causæ meritoriæ ac satisfactoriæ principalis & universalis. Ant. patet; nam Christus Joan. 3. v. 16. ipsemet dixit: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quòd autem finis decretæ à Deo incarnationis Verbi Divini non solùm fuerit manifestatio misericordiæ Divinæ sed etiam ostensio justitiæ Divinæ per satisfactionem Chri-

Christi pro peccatis hominum, clarè docet Apostolus ad Rom. 3. v. 23. dicens: *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei: justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo JEsu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius (NB.) ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum.*

Quæres 4. An ex meritis Christi omnes homines accipiant gratias supernaturales? 156

℞. Ex meritis Christi omnes homines accipiunt à Deo gratias supernaturales; ita ut hominibus nulla detur gratia supernaturalis, sive actualis sive habitualis, nisi ex meritis Christi. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum, & Lutheranorum; quoad 1. partem contra Calvinistas, qui volunt. à Deo solis electis dari gratias supernaturales, & Jansenistas volentes, has dari solis & omnibus fidelibus: quoad 2. partem verò communis etiam Calvinistarum & Jansenistarum contra Nestorianos & Socinianos: Sociniani tamen plerique cum Pelagianis negant etiam existentiam gratiæ supernaturalis.*

Responsio quoad 1. partem contra Calvinistas & Jansenistas abundè patet ex textibus S. Scripturæ, sanctorum Patrum, & decisionibus Romanorum Pontificum, relatis tract. 4. cap. 15. & tract. 7. cap. 14. à num. 61. ubi in utroque loco simul solvi objectiones adversariorum.

Responsio quoad 2. partem pariter constat I. ex S. Scriptura ; nam Joan. 1. v. 16. dicitur de Christo & gratiis : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus & gratiam pro gratia: quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per JEsum Christum facta est.* Actor. 4. v. 12. *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Et Apostolus ad Coloss. 1. à v. 18. ait de Christo : *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis : ut sit in omnibus primatum tenens. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum.* Idem patet ex textibus priori responsione citatis.

II. Constat ex unanimi doctrina sanctorum Patrum in relatos textus S. Scripturæ. Sanctos Patres sequitur D. Thomas 3. p. q. 8. a. 4. dicens : *Manifestum est, quòd ad unum finem* (*qui est gloria Divinæ fruitionis*) *ordinentur & homines & Angeli. Unde corpus Ecclesiæ mysticum non solùm constat ex hominibus sed etiam ex Angelis. Totius autem hujus multitudinis Christus est caput ; quia propinquius se habet ad Deum* (nempe propter unionem hypostaticam naturæ humanæ cum Verbo Divino) *& perfectius participat dona ipsius, & de ejus influentia non solùm homines accipiunt, sed etiam Angeli.* Idem docet in cap. 1. Joan. Lectione 10. ubi exponens illa verba : *De plenitudine ejus*

omnes

omnes accepimus, inquit: *Omnes Apostoli, Patriarchæ, & Prophetæ, & justi, quicunque fuerunt, sunt, & erunt; & etiam omnes Angeli, de plenitudine ejus acceperunt.*

III. Eandem doctrinam tanquam certam supponit Concilium Tridentinum Seff. 6. cap. 7. dicens: *Quamquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita Domini nostri JEsu Christi communicantur; id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur.* Et cap. 9. ait, quòd *necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis Divinâ misericordiâ propter Christum.* Imò l. c. can. 10. expreſsè statuit: *Si quis dixerit, homines sine justitia Christi, per quam nobis meruit justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse; anathema sit.*

Ratio responsionis verò est: quia Deus per decretum intentivum Christum prædefinivit ante omnes homines & Angelos, tanquam caput morale totius curiæ Cœlestis, & medium maximè aptum ad manifestandam suam misericordiam & justitiam cum reliquis perfectionibus Divinis: ergo Deus nulli creaturæ dat gratias supernaturales, nisi ex meritis Christi, & eorum influxu morali, tanquam capitis moralis in sua membra. Totam hanc rationem explicat Apostolus ad

Coloss. 1. à v. 15. de Christo dicens: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia, sive dominationes sive principatus sive potestates: omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse ante omnes, & omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens.* De prima etiam gratia, à Deo Angelis ex meritis Christi collata, plura ex professo dixi *tract. 5. cap. 2. num. 10.*

157 *Quæres 5.* An ex meritis Christi omnes Beati acquirant vitam æternam?

℞. Ex meritis Christi omnes Beati non solùm in hac vita justificantur, sed etiam acquirunt vitam æternam, præsertim quà æternam. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum, Lutheranorum, & Calvinistarum, contra Pelagianos, Nestorianos, & modernos Socinianos.*

Responsio patet I. ex S. Scriptura; nam Apostolus ad Rom. 8. à v. 17. de justis & electis ait: *Si autem filii & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur. Existimo enim, quòd non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Ubi dein à v. 29. de Christo tanquam causa exemplari & finali omnium electorum

sub-

ſubjungit : *Nam, quos præſcivit* (nempe Deus) *& prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit &c.* Et ad Epheſ. 1. v. 5. inquit : *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per JEſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.* Ad Titum 3. v. 7. *Ut juſtificati gratia ipſius* (nempe Chriſti Salvatoris noſtri) *hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* Et ad Hebr. 5. v. 9. *Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Imò Chriſtus ipſemet Joan. 10. v. 10. ait : *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.*

II. Idem conſtat ex unanimi doctrina ſanctorum Patrum in relatos S. Scripturæ textus, & Conciliorum : ſic Concilium Nicænum in Symbolo fidei de Chriſto ait : *Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis.* Et Tridentinum Seſſ. 6. cap. 16. inquit : *Atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia Filiis Dei per JEſum Chriſtum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda.* Unde, licèt juſti per bona opera mereantur vitam æternam, hæc tamen illis à Deo datur primariò propter merita Chriſti præſertim quoad æternitatem durationis.

Ratio responsionis verò est: quia homines justi etiam per opera supernaturalia sine concursu morali infiniti valoris meritorum Christi non possunt de condigno mereri jus ad amicitiam Divinam increatam, & vitam æternam quà æternam; ùt dixi supra cap. 10. num 114. ergo ex meritis Christi, tanquam causa meritoria principali, omnes Beati à Deo acquirunt vitam æternam, præsertim quà æternam.

158 *Quæres 6.* An hæc doctrina de justificatione per Christum jam fuerit in antiquo testamento, & à tempore Apostolorum semper perseveraverit in Ecclesia Catholica?

℞. *ad 1.* Hæc doctrina de justificatione per Christum, tam quoad remissionem peccatorum quàm collationem gratiarum & juris ad vitam æternam, jam fuit in antiquo testamento à Deo revelata. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam Lutheranorum & Calvinistarum, contra Judæos recentiores & modernos; item contra Pelagianos, Nestorianos, & Socinianos.*

Responsio quoad remissionem peccatorum patet ex Isaiæ 53. v. 4. ubi de Christo, prout à Deo ab æterno prædefinito, dicitur: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.*

Idem

Idem patet ex tota Prophetia Isaiæ, Danielis, & aliorum Prophetarum de venturo Messia, seu Christo Salvatore. Unde Actorum 10. v. 43. S. Petrus Apostolus dixit Judæis de Christo: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum*, nempe fide viva & efficaci, *quæ per charitatem operatur.*

Quoad causam gratiarum patet ex eodem Isaia cap. 12. v. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Et Zachariæ 13. v. 1. sub eadem metaphora fontis de Messia dicitur: *In die illa erit fons patens in domo David.* Ad quos Prophetas Christus alludens Joan. 7. v. 37. dixit: *Si quis sitit, veniat ad me.* Et Joan. 4. v. 14. *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei . . fiet in eo fons, aquæ salientis in vitam æternam.* Unde citata loca sancti Patres communiter interpretantur de fonte & aquis gratiarum per Christum; ùt videre est apud Cornelium à Lapide.

Quoad causam vitæ æternæ Beatorum patet ex Daniele Propheta, qui cap. 7. v. 14. de Christo seu venturo Messia, & hujus regno ait: *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur.* Idem quoad omnes tres partes responsionis asseruerunt Judæi veteres; uti videre est apud Jodocum Coccium *in thesauro Catholico tom. 1. lib. 2. pag. 214.* Imò veteres Judæos credidisse

& sperasse remissionem peccatorum, gratias supernaturales, & consecutionem vitæ æternæ per venturum Messiam testatur ipse Paulus Actor. 26. à v. 6. coram Agrippa Rege suam causam defendens, & dicens: *Et nunc in spe, quæ ad Patres nostros repromissionis facta est à Deo, sto judicio subjectus: in quam duodecim tribus nostræ, nocte ac die deservientes, sperant devenire. De qua spe accusor à Judæis, Rex.*

℟. *ad 2.* Eadem doctrina à tempore Apostolorum semper perseveravit in Ecclesia Catholica. *Ita cum sanctis Patribus & Conciliis communis Catholicorum.*

Responsio non solùm constat ex Concilio Nicæno primo & aliis usque ad Tridentinum inclusivè; sed etiam ex sanctis Patribus, quos à tempore Apostolorum per singula sæcula fusè refert *Jodocus Coccius l. c. à pag. 200.*

Interim tamen sancti Patres semper etiam simul docuerunt, justos per opera supernaturalia sibi verè, quamvis secundariò, mereri vitam æternam; uti pariter per singula sæcula refert *Jodocus Coccius in Thesauro Cathol. tom. 2. lib. 3. art. 3. à pag. 226.*

Idem docuerunt Concilia, nempe Arausicanum cap. 18. celebratum anno 449. Lateranense cap. 1. celebratum anno 1215. & novissimè Tridentinum Sess. 6. cap. 16. ubi merita Christi & nostra respectu vitæ æternæ conjungens, ait - *Atque ideo bene operantibus*

usque

usque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per JEsum Christum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Unde

Quæres 7. An Christus possit dici fons omnis gratiæ, & unica causa nostræ justificationis & æternæ salutis? 159

℟. *ad 1.* Christus potest, & in rigore, debet dici fons omnis gratiæ supernaturalis. *Ita quoad rem cum sanctis Patribus communis Catholicorum.*

Responsio patet I. ex textibus S. Scripturæ num. præced. de Christo & gratiis sub metaphora fontis & aquarum relatis, nec non ex communi interpretatione sanctorum Patrum in textus citatos.

II. Constat ex Concilio Tridentino, quod Sess. 6. cap. 6. de modo præparationis impiorum ad justificationem ait: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam . . dum peccatores se esse intelligentes . . ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi per Christum propitium fore (NB.) illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* Ubi Concilium *Deum per Christum propitium* vocat *omnis justitiæ fontem:* ergo, sicut Deus est fons physicus, seu causa physica omnis justitiæ & gratiarum supernaturalium; ita Christus est harum fons moralis, seu causa meritoria.

Ra-

Ratio responsionis verò est: quia à Deo nulla gratia supernaturalis datur hominibus nisi ex meritis Christi, tanquam capitis moralis; ùt abundè patet ex dictis supra num. 156. ergo Christus potest, & in rigore debet dici fons omnis gratiæ supernaturalis. Licèt igitur Sancti per suam intercessionem possint haurire nobis gratias etiam supernaturales; juxta illud Isaiæ 12. v. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*: quia tamen gratiæ supernaturales, per illorum intercessionem nobis impetratæ, non dantur à Deo ex illorum meritis sed ex meritis Christi, illi non possunt dici fontes gratiarum supernaturalium; nam hæ non ex illorum sed ex Christi meritis, tanquam sua scaturigne, emanant.

Unde Celsissimus S. R. I. Princeps & Archiepiscopus Viennensis in Sua Epistola Pastorali Catholicè & sapientissimè Christum appellavit *Fontem omnis gratiæ*.

℞. *ad 2.* Christus potest dici causa unica justificationis & salutis nostræ *comparativè* ad Sanctos, præsertim causa salutis æternæ quà æternæ. *Ita quoad rem iterum communis Catholicorum.*

Responsio patet I. ex textibus S. Scripturæ supra num. 154. 155. & 156. adductis; clarissimè verò ex illo Actor. 4. v. 12. ubi *comparativè* dicitur: *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in*

quo

quo oporteat nos salvos fieri. Unde etiam Apostolus ad Hebr. 5. v. 9. de Christo ait: *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.*

Interim tamen de Sanctis manet semper verum illud Christi Salvatoris Joan. 14. v. 13. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Et Joan. 16. v. 23. *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

II. Constat ex Concilio Tridentino, in quo Seff. 25. de invocatione Sanctorum dicitur: *Mandat sancta Synodus omnibus Episcopis & cæteris docendi munus, curamque sustinentibus, ut juxta Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ usum . . fideles diligenter instruant . . utile esse suppliciter eos* (id est Sanctos) *invocare; & ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus JEsum Christum Dominum nostrum* (NB.) *Qui Solus Noster Redemptor & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliúmque confugere.*

Ratio responsionis verò est *primò:* quia solus Christus est à Deo constitutus noster Mediator, Redemptor, & Salvator: ergo Christus comparativè ad Sanctos potest, imò debet dici *unica causa justificationis & salutis nostræ.* Ant. abundè constat ex dictis supra num. 154. & à nemine Catholicorum, sed solùm à Pelagianis, Nestorianis, & modernis Socinianis negatur. Consequens etiam est clarum; quia, licèt Sancti per merita Christi possint à Deo no-

nobis impetrare uberiores gratias supernaturales, jus tamen morale ad vitam æternam, præsertim quà æternam, nobis gratiæ Divinæ cooperantibus, solùm confertur ex meritis Christi, non verò ex meritis aliorum Sanctorum: adeoque Christus comparativè ad Sanctos potest, & in rigore loquendo debet dici unica causa justificationis & salutis nostræ. Unde etiam Concilium Tridentinum l. c. de Christo comparativè ad Sanctos ait: *Qui solus noster Redemptor & Salvator est.*

Secundò: Quia Sancti per se ipsos non sunt authores gratiarum supernaturalium, justificationis, aut nostræ salutis, imò nec beneficiorum temporalium; sed author moralis omnium gratiarum, saltem supernaturalium, nostræ justificationis & æternæ salutis est solus Christus: ergo Christus comparativè ad Sanctos potest, & debet dici *Fons omnis gratiæ & causa unica justificationis & salutis nostræ.* Ant. abundè patet ex dictis à num. 155. Con. etiam constat; quia ille solus in rigore est causa, qui per suam propriam virtutem potest producere aliquem effectum, non autem ille, qui solùm potest intercedere pro applicatione alienæ virtutis, quin hanc possit ipse applicare. Unde *non licet à Sanctis petere, ut nobis tanquam authores Divinorum beneficiorum, gloriam, vel gratiam, aliáque ad beatitudinem media concedant;* ùt cum aliis Catholicis optimè docet

docet *Cardinalis Bellarminus ex Inclyt. Societ. JEsu tom. 1. lib. 1. de Sanctis Beatis cap. 17.*

Tertiò: Quia Sancti gratias saltem supernaturales nobis à Deo non impetrant ex propriis meritis sed solùm per Christum & ejus merita: ergo Christus comparativè ad Sanctos potest, & debet dici Fons omnis gratiæ & causa unica nostræ salutis. Ant patet; nam Christus ipsemet Joan. 10. v. 7. dixit: *Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium.* Et Joan. 14. v. 6. *Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me.* Christo consonat Paulus ad Coloss. 1. v. 19. dicens: *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per Sanguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.* Et solus Christus secundùm suam humanitatem Deum potest per propria sua merita rogare pro salute peccatorum; juxta illud Apostoli ad Hebr. 7. v. 25. *Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis.*

Tota hæc doctrina patet ex continua praxi Ecclesiæ Catholicæ, quæ omnes orationes de Sanctis concludit hac consueta formula: *Per Christum Dominum nostrum &c.* Sic e. g. concludit orationem ordinariam de Beatissima Virgine: *Ut ejus pia intercessione ab instantibus malis*

&

& à morte perpetua liberemur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Unde Celsissimus S. R. I. Princeps & Archiepiscopus Viennensis in Sua Epistola Pastorali, de Christo comparativè ad Sanctos loquens, illum juxta communem doctrinam Ecclesiæ Catholicæ sapientissimè appellat *Fontem omnis gratiæ, & causam unicam justificationis & salutis nostræ.* Et, nè videatur devotionibus adiaphoris præjudicare, providè addit: *Utile omninò erit de utilibus loqui, ita tamen, ut iis, quæ necessaria* (seu præcepta sunt) *potiores semper partes tribuantur; ita quoque, ut sinceritas Catholicorum dogmatum suos semper inter limites salva consistat, & nè temerè quid dicatur, quod inviolabilibus sanctæ Religionis nostræ fundamentis adversari videatur.* Ac dein juxta mandatum Concilii Tridentini de invocatione Sanctorum specialiter subdit: *Utile erit de laudibus & invocatione Sanctorum disserere, ita tamen, ut auxesibus nimiis supersedeatur, aut ne Sancti cum Sanctis quodammodo collidantur, alter alteri frivolè præferatur; aut* (*quod errorem atque impietatem saperet*) *qui Intercessores solummodò sunt, unico Mediatori nostro Christo pares, imò suppares, deprædicentur.* Ubi Lutherani bene advertant, quòd Celsissimus Archiepiscopus non dicat, hunc impietatis errorem à Catholicis prædicari; sed solùm providè moneat, nè prædicetur.

Quæ-

Quæres 8. An Chriſtus ſit cauſa unica noſtræ juſtificationis & ſalutis etiam comparativè, & excluſivè, ad noſtra merita? 160

℞. Chriſtus non eſt unica cauſa noſtræ juſtificationis & ſalutis comparativè, & excluſivè, ad noſtra merita. *Ita cum ſanctis Patribus communis Catholicorum, & aliorum, contra Lutheranos & Calviniſtas.*

Reſponſio abundè patet ex dictis ſupra cap. 9. num. 99. & 103. item cap. 10. num. 111. Unde Apoſtolus, non excluſivè ſed incluſivè ad noſtram cooperationem cum gratia, ad Hebr. 5. v. 9. ait de Chriſto: *Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.*

II. Conſtat ex Concilio Tridentino Seſſ. 6. cap. 7. ubi enumerat quatuor cauſas noſtræ juſtificationis, nempe efficientem, meritoriam, inſtrumentalem, & formalem, de hac ultima dicens: *Demum unica formalis cauſa eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit:* adeoque nos non juſtificamur formaliter per juſtitiam Chriſti. Neque cauſaliter per illam ſolam; nam Concilium l. c. cap. 16. ait: *Atque ideo bene operantibus . . proponenda eſt vita æterna & tanquam gratia filiis Dei per JESum Chriſtum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda.* Imò Can. 24. expreſsè ſtatuit: *Si quis dixerit juſtitiam acceptam non conſervari neque augeri coram Deo per*

bona opera; sed opera ipsa fructus solummodò & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam; anathema sit. Idem dein statuit Can. 32. de bonis operibus, tanquam vera causa meritoria vitæ æternæ. Unde de fide certum est, quòd etiam nostra supernaturalia opera sint partialis causa nostræ justificationis & æternæ salutis.

Hæc & similia dogmata totius Ecclesiæ Catholicæ optimè scivit Celsissimus Archiepiscopus Viennensis, & *inviolabilia sanctæ Religionis nostræ fundamenta* vocavit. Unde in Sua Epistola Pastorali non dixit, Christum esse unicam causam nostræ justificationis & salutis absolutè aut comparativè ad nostra opera supernaturalia, sed solùm comparativè ad Sanctos; dum de quibusdam Concionatoribus, qui rariùs de Christi meritis differunt, ait: *Qui de Sanctis differti, de Sancto Sanctorum obmutescunt . . & fontem omnis gratiæ Christum causam unicam justificationis & salutis nostræ negligunt.* Quapropter ab omnibus doctis Catholicis ridentur quidam Lutherani eorumque Prædicantes, qui ignari dogmatum Catholicorum suæ plebi persuadere volunt, Celsissimum Archiepiscopum Viennensem in Sua Epistola Pastorali favere illorum doctrinæ de justificatione per solam fidem in Christum, aut de Sanctis non invocandis: cùm Ille in Sua Epistola disertè dicat invocationem Sancto-

rum

rum esse utilem. Sentiant illi de nostra justificatione, invocatione Sanctorum, & aliis punctis fidei, quod sentit noster Celsissimus Archiepiscopus & Clementissimus Ordinarius, & cum hoc nos Catholici omnes illis amicas dabimus dextras.

Quæres 9. An jus morale ad vitam æter- 161
nam in justis adultis indivisibiliter oriatur ex promissione Divina, meritis Christi, & propria cujuslibet cooperatione?

℞. Jus morale ad vitam æternam in justis adultis indivisibiliter oritur ex promissione Divina, ex meritis Christi, & propria cujuslibet cooperatione, tanquam ex una causa totali & adæquata. *Ita quoad rem communis Catholicorum contra Lutheranos & Calvinistas, qui merita justorum à causa morali vitæ æternæ excludere volunt.*

Responsio abundè patet ex dictis supra cap. 10. num. 111. & 116. clarissimè verò ex illis verbis Christi Joan. 15. v. 5. *Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum:* Vitis autem & palmites cum vinicola constituunt unam causam totalem fructûs. Christo consonat Paulus 1. ad Corinth. 3. à v. 11. dicens: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus JEsus .. Si cujus opus manserit, quod superædificat, mercedem accipiet.* Et ad Hebr. 5. v. 9. de Christo à Deo constituto Ponti-

fice ait : *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.*

Idem clarè constat ex Concilio Tridentino, quod Sess. 6. Can. 32. statuit : *Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & JEsu Christi meritum* (NB.) *cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia discesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit.*

Ratio responsionis verò est : quia Deus prædefinivit Christum, tanquam Mediatorem Redemptorem & Salvatorem generis humani, simulque propter ejus merita omnibus promisit remissionem peccatorum, & jus ad vitam æternam, si gratiis sibi collatis cooperarentur : ergo jus morale ad vitam æternam in justis adultis indivisibiliter resultat ex promissione Divina, ex meritis Christi, & propria cujuslibet cooperatione ; juxta illud Apostoli ad Rom. 2. v. 6. *Qui reddet unicuique secundùm opera ejus.*

Ant. Est certum ex sæpissimè dictis per decursum hujus tractatûs. Consequens etiam est clarum ; quia hoc jus resultat ex promissione Divina tanquam à pacto præmiantis ; ex meritis Christi tanquam à capite, & causa morali

rali principali; & ex meritis propriis justi, tanquam à causa morali minus principali & instrumentali, seu à justis tanquam vivis Christi membris: adeoque hoc jus est idem effectus moralis, qui resultat ex tribus causis sibi subordinatis, tanquam una totali & adæquata.

Porrò, cùm Deus tale jus annectat, seu 162
moraliter connectat cum habitu charitatis infuso, juxta illud 1. Joan. 3. 1. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus;* hinc non sequitur, quòd illud jus adoptionis nos formaliter justificet ante infusionem habitûs charitatis, sed unà cum habitu charitatis; qui aliunde ex natura sua physica radicaliter exigit tale jus sibi habere annexum. De quo plura ex professo dixi cap. præced. num. 147.

Addidi autem in responsione *in justis adultis;* nam in parvulis, qui baptizantur, & ante usum rationis moriuntur, jus morale ad vitam æternam solùm resultat ex promissione Divina & meritis Christi, illis per Baptismum, tanquam causam justificationis instrumentalem, applicatis: quia tales parvuli adhuc nihil boni egerunt, vel agere potuerunt ad meritum vitæ æternæ. Unde similibus parvulis non datur vita æterna *ùt corona*, sed præcisè *ùt hæreditas* propter Baptismum & merita Christi. Justis adultis verò vita æterna simul datur propter eorum merita ùt corona; juxta illud

Apostoli Pauli 2. ad Timoth. 4. à v. 7. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus.* Id est, diligunt Christum & Deum propter ejus infinitam bonitatem, misericordiam, & benevolentiam, qua *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum* (nempe fide viva & efficaci, *quæ per charitatem* (mutuam erga Deum) *operatur*; uti explicat idem Apostolus ad Galat. 5. v. 6.) *non pereat, sed habeat vitam æternam*; ùt docet Christus Joan. 3. v. 16.

163 *Quæres 10.* Quid & quotuplicia sint *adiaphora?*

℞. *ad 1. Adiaphorum* est nomen Græcum & secundùm etymologiam nominis idem omninò significat Græcè, quod *indifferens* Latinè. *Ita cum Aulo Gellio lib. 2. cap. 7. & Joanne Scapula in Lexico Græco - Latino litera Φ columna 1659. communis Græco - Latinorum.*

Responsio clarè patet ex eo, quia ἀδιάφορον componitur ex litera Græca α, quæ in compositione Græca sæpius est privativa (sicut in compositione Latina sæpius est privativa particula *in*, e. g. *inscius*, seu sine scientia) & ex verbo Græco διαφέρω, aut potiùs διαφορέω: quorum utrumque idem significat, quod Latinè verbum *differo.* Unde clarum est, quòd no-

nomen ἀδιάφορος, aut ἀδιάφορον, secundùm suam etymologiam idem significet Græcè ac Latinè *indifferens*, seu sine differentia, aut determinatione.

℞. *ad 2.* Adiaphora sunt in multiplici genere. I. Aliqua sunt *adiaphora in genere totius boni moralis*, quæ nempe de se nec sunt bona in genere morum neque mala, sed præcisè indifferentia; ùt e. g. *stare*, *sedere*, aut *lotis* vel *non lotis manibus manducare*. II. Alia sunt *adiaphora in genere præcepti*, quæ neque sunt præcepta neque prohibita: in qua classe etiam sunt opera bona, pia & utilia, quæ non sunt præcepta, seu per nullum præceptum ad obligationem determinata, sed libera. III. Alia sunt *adiaphora in genere laudis*, quæ nec laudari nec vituperari merentur: alia *in genere jucundi*, quæ nec delectant, nec molestant: & sic de aliis etiam extra lineam morum loquendo.

Porrò etiam Lutherani nobiscum adiaphora sumunt in genere præcepti seu comparativè ad præceptum, ita ut illa Germanicè significent **ungebotene Werck.** Sic Augustus Pfeiffer Superintendens Lubecensis in suo Anti-Calvinismo, Lubecæ anno 1699. edito, pag. 611. adiaphora cum aliis Lutheranis definit, Germanicè dicens: „ **So nenen wir nun** *Adiaphora* **und Mittl-Dinge, dergleichen Kirchen-wie auch andere** *Ceremonien*, **Gebräu-**

 „ **che**

„ che und übliche dinge, die in Gottes Wort
„ (*NB.*) weder geboten noch verboten sind,
„ sondern zu beybehaltung guter Ordnung
„ und wohl anständiger erbarkeit, anfangs
„ von denen Alten geordnet, und eingeführt,
„ nachmahls biß auf unsere Zeit behalten,
„ und fortgepflantzet sind: auch ferner aus
„ Christlicher freyheit mit guten gewissen
„ zu vermeidung allerley mißverstandes .. in
„ acht genomen und beybehalten werden.

Imò adiaphora comparativè ad præceptum etiam refert Aulus Gellius, in perscrutanda omni antiquitate diligentissimus Auctor, lib. 2. cap. 7. ubi, postquam retulisset sequentem Controversiam, tam Græcorum quàm Latinorum Philosophorum: *An semper & in omnibus jussis patri parendum sit?* dein comparativè ad legem naturalem distinguit tria genera actionum, nempe honestarum, turpium & indifferentium; de his ultimis dicens: *Quæ verè in medio sunt, & à Græcis tum ἀδιάφορα, id est, indifferentia, tum Μέσα, id est, media appellantur* &c. Et in fine concludit patri non esse parendum in turpibus, bene verò in honestis & adiaphoris. Igitur jam Aulus Gellius & ante ipsum Philosophi, tam Græci quàm Latini, *adiaphora in genere præcepti* agnoverunt. Unde etiam usus Ecclesiæ obtinuit, ut illa, quæ à Deo, aut Ecclesia, non sunt præcepta neque prohibita, sed sub indifferentia liberi

ar-

arbitrii relicta, dici possint adiaphora, saltem comparativè ad præceptum, Germanicè **ungebotene Werck.**

Quæres 11. An Celsissimus Archiepiscopus Viennensis inter adiaphora potuerit numerare invocationem Sanctorum & similia, quæ à Deo, aut Ecclesia, non sunt præcepta? 164

℞. Celsissimus Archiepiscopus Viennensis in Sua Epistola Pastorali inter adiaphora *comparativè* ad præceptum potuit numerare invocationem Sanctorum & similia, quæ non sunt à Deo, aut ab Ecclesia præcepta. *Ita quoad rem communis Doctorum contra ignaros adiaphororum.*

Ratio responsionis est: quia etiam opera bona, pia, & utilia, de quibus nullum extat præceptum, possunt numerari, & semper solebant numerari inter *adiaphora in genere præcepti*: ergo Celsissimus Archiepiscopus Viennensis inter adiaphora comparativè ad præceptum, seu in genere præcepti, potuit numerare invocationem Sanctorum & similia, quæ non sunt præcepta. Ant. abundè patet ex dictis num. præced. Con. etiam constat; quia, licèt invocatio Sanctorum juxta perpetuam doctrinam Ecclesiæ Catholicæ & Concilii Tridentini Sess. 25. de invocat. Sanct. sit *bona* & *utilis*, nullibi tamen est à Deo, aut ab Ecclesia, positivè præcepta; adeoque comparativè ad præceptum potest dici adiaphora.

Porrò, quòd Celsissimus Archipræsul Viennensis in Sua Epistola Pastorali invocationem Sanctorum & similia, non dicat esse *adiaphora in genere boni moralis*, quasi hæc non essent bona & utilia; sed solùm *adiaphora in genere præcepti*; cuilibet prædictam Epistolam legenti est liquidum, nisi suæ mentis oculos claudere & in luce meridiana cæcutire velit. Nam postquam Laudatus Noster Archipræsul similia vocaverat adiaphora (nè invocationi & laudi Sanctorum in minimo præjudicaret, sed suas quoque partes positivè tribueret) sapientissimè subdit: *Utile omninò erit de utilibus loqui, ita tamen, ut iis, quæ necessaria* (seu præcepta sunt) *potiores semper partes tribuantur.* Item specificè subdit: *Utile erit de laudibus & invocatione Sanctorum disserere &c. Utile etiam erit de cultu gratiosarum Iconum, de Peregrinationibus, Indulgentiis, & confraternitatibus, suo nempe loco & tempore verba facere.*

Unde ridendi sunt Lutherani, tanquam Catholicorum dogmatum omninò ignari, aut extremè malevoli, dum putant, aut spargunt, suæque plebi persuadere volunt, Celsissimum Nostrum Archipræsulem in Sua Epistola Pastorali per nomen *adiaphora* Lutheranorum sectæ favere, aut illam de rejiciendo cultu Sanctorum ex parte approbare; cùm tamen ille contra sectam Lutheranorum cultum Sanctorum

ctorum ſatis expreſsè, clarè, & poſitivè approbet, & ſuadeat tanquam utilem.

Dum autem Zeloſiſſimus Archiepiſcopus exceſſum quorundam rudiorum & fiduciam erroneam in ſolo cultu alicujus Sancti aut ſacræ Iconis reprehendit, agit omninò conformiter Concilio Tridentino, quod Seſſ. 25. de invocat. Sanct. & ſacris imag. ait: *In has autem ſanctas & ſalutares obſervationes, ſi qui abuſus irrepſerint, eos prorſus aboleri Sancta Synodus vehementer cupit; ita ut nullæ falſi dogmatis imagines, & rudibus periculoſi erroris occaſionem præbentes, ſtatuantur.* Sed

Dices I. Juxta præceptum naturale & Di- 165
vinum honor competens eſt exhibendus perſonæ, quæ quadam pollet excellentia; juxta illud Apoſtoli ad Rom. 13. v. 7. *Reddite ergo omnibus debita .. cui honorem, honorem:* ergo etiam Sanctis, qui in cœleſti gloria gaudent amicitia conſummata & ſocietate Divina, exhibendus eſt honor eis competens; atqui his non competit præcisè honor politicus & civilis, ſed excellentior & ſacer, ſeu cultus Duliæ: ergo iſte honor & cultus Sanctis ex præcepto naturali & Divino eſt exhibendus. Ergo cultus Sanctorum etiam comparativè ad præceptum Divinum aut naturale non poteſt dici *adiaphorus.*

II. Eccleſia Catholica ſtatuit, & obſervari præcipit, certa Feſta Sanctorum: ergo cultus

tus & invocatio Sanctorum etiam in genere præcepti non potest numerari inter adiaphora. Præterea Ecclesia in vigiliis aliquorum Sanctorum præcipit jejunium, & celebrationem Missæ de Sanctis, hujusque auditionem in die festo: ergo cultus Sanctorum nequit numerari inter adiaphora.

III. In Concilio Tridentino præcipitur nonnullis professio fidei juxta consuetam formulam Ecclesiæ, in qua inter alia profitenda ponitur: constanter teneo .. *Sanctos, unà cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse:* ergo veneratio & invocatio Sanctorum est ab Ecclesia inter articulos fidei definita, & præcepta; adeoque etiam in genere præcepti nequit numerari inter adiaphora.

IV. Nomen *adiaphorum*, seu ἀδιάφορον idem significat, ac nomen *indifferens*: atqui veneratio & invocatio Sanctorum non est indifferens, sed *bona* & *utilis*, juxta Tridentinum Sess. 25. ergo veneratio & invocatio Sanctorum non est adiaphora, seu non potest numerari inter adiaphora.

V. Ἀδιάφορα græcè sunt idem ac Μέσα, seu media inter honesta & turpia: atqui veneratio & invocatio Sanctorum non est media, seu in medio inter honestia & turpia, sed potiùs simpliciter & positivè honesta: ergo illa nequit dici adiaphora.

℞. ad

℞. *ad 1.* d. ant. Juxta præceptum naturale & Divinum honor competens est exhibendus personæ *præsenti*, quæ quadam pollet excellentia; c. ant. personæ *absenti*, subd. est exhibendus honor negativus, nempe nè aliquid agatur injuriosum contra excellentiam absentis; c. ant. est exhibendus honor positivus, præsertim semper ex præcepto; n. ant. d. con. ergo etiam Sanctis ex præcepto naturali, & Divino est exhibendus honor eis competens, si essent nobis viatoribus præsentes; c. con. dum sunt absentes subdist. est exhibendus honor positivus, præsertim sub præcepto; n. con. honor negativus, seu nè Sancti etiam absentes, aut eorum imagines inhonorentur; c. con. Licèt igitur Sanctis jam Beatis, & cum Christo regnantibus, teneremur ex præcepto radicaliter naturali, & Divino generali, nos Viatores exhibere honorem positivum, si illi nobis apparerent, essentque præsentes: cum tamen illi nobis sint absentes, eis ex præcepto solùm tenemur exhibere honorem negativum, saltem per se loquendo: positivum autem honorem eis exhibere decet solùm sub consilio.

Ad 2. c. ant. n. con. nam licèt Ecclesia statuat certa Festa Sanctorum, eaque observari præcipiat, & illos in his per suas orationes ad Deum honoret, eósque colat, & invocet, tanquam amicos Dei; fidelibus tamen

men non præcipit determinatum & positivum illorum cultum, sed solùm devotam auditionem Sacrificii Missæ, & cessationem ab opere servili propter cultum Deo debitum; ùt patet ex can. *Missas de Consecrat. dist. 1. eodem tit. dist. 3. can. 1. & seqq. item toto titulo de feriis.*

Ad id, quod additur, iterum c. ant. n. con. nam Ecclesia jejunium in similibus vigiliis non præcipit positivè propter honorem Sanctorum, sed ut caro spiritui subjiciatur: neque auditionem Missæ præcipit positivè propter honorem Sanctorum in eorum die festo, sed propter cultum Divinum, quem pro similibus festis determinat. Unde in simili causa Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 3. ait: *Quamvis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis Sacrificium offerre docet, sed Deo soli, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere solet: offero tibi Sacrificium Petre vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat; ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.* Idem dudum explicuit S. Augustinus de Civit. Dei lib. 8. cap. 27.

Ad 3. c. ant. n. con. nam per ista verba in professione fidei non indicatur præceptum colendi Sanctos, sed solùm Consilium & decen-

centia ; ſicut per iſta verba : *Danda eſt liberalis eleemoſyna ;* vel : *Diligenter viſitandi ſunt infirmi &c.* non indicatur, per ſe loquendo, præceptum ſed ſolùm decentia & conſilium. Unde, licèt Eccleſia obliget fideles ad credendum, aut etiam profitendum, Sanctos poſſe honeſtè & utiliter venerari & invocari; non tamen obligat poſitivè ad eos venerandos & invocandos. Neque deponens profeſſionem fidei ſe ſpecialiter obligat ad poſitivum cultum Sanctorum, ſed ſolùm ad credendum & profitendum, Sanctos poſſe honeſtè ac religiosè venerari, & utiliter invocari.

Ad 4. d. maj. nomen *adiaphorum*, ſumptum abſolutè, & in genere totius boni moralis, idem ſignificat ac nomen *indifferens ;* c. maj. ſumptum comparativè, & ſolùm in genere boni moralis præcepti ; n. maj. & ſic reſpectivè conceſſa min. d. con. ergo veneratio & invocatio Sanctorum non poteſt numerari inter adiaphora abſolutè & in toto genere boni moralis ſumpta ; c. con. comparativè ſumpta ; n. con. Neque Epiſtola Paſtoralis cultum Sanctorum & ſimiles devotiones, à Deo & Eccleſia non præceptas, numerat inter adiaphora abſolutè ſed comparativè ſumpta ; ùt clarè patet ex illius verbis num. præced. relatis.

Ad 5. Eadem est distinctio ; nam , licèt adiaphora absolutè sumpta, & talia in genere totius boni moralis, sint idem ac illa, quæ sunt media inter honesta & turpia ; adiaphora tamen comparativè ad præceptum, & solùm in genere præcepti, non sunt idem ac media inter honesta & turpia, sed idem ac nonpræcepta, Germanicè **ungebotene Werck.** Sic adiaphora cum aliis Lutheranis etiam sumpsit, & definivit Augustus Pfeiffer in suo Anti-Calvinismo ; ùt patet ex ejus verbis supra num. 163. Germanicè relatis.

166 Unde aliqui Lutherani, dum jubilant, & tripudiant, quòd Celsissimus S. R. I. Princeps & Archiepiscopus Viennensis in Sua Epistola Pastorali cultum Sanctorum numeraverit inter adiaphora, in hoc suo jubilo & tripudio suam rerum ignorantiam & irreligiosam contra Sanctos insaniam omnibus doctis manifestè produnt, & demonstrant.

Ratio ignorantiæ & inanitatis similium Lutheranorum est I. quia adiaphora in sensu ordinario & stricto, seu in Ecclesia usitato, non sumuntur absolutè & in genere totius boni moralis, sed comparativè & in genere boni moralis non præcepti. Audiant Lutherani è suis (præter citatum Augustum Pfeifferum) Erasmum Brochmond olim in Regia Academia Hafniensi Doctorem & Professorem Publicum tom. 2. Theol. System. de libertate Chri-

Chriſtiana cap. 1. Sect. 2. pag. 1361. dicentem : *Adiaphora aliquando lato & amplo ſignificato accipiuntur pro quibusvis rebus mediis, tam profanis quàm ſacris, quæ ex ſe æſtimatæ nec bonæ nec malæ ſunt.* Ubi dein pag. 1362. de adiaphoris in ſenſu ſtrictiori & in Eccleſia uſitato ſubdit : *Strictiùs verò accepta adiaphororum vox ſignificat ceremonias Eccleſiaſticas, Verbo Dei expreſſo nec mandatas nec prohibitas, ſed partim ordinis & decori partim ædificationis gratiâ legitimo modo & liberè ab Eccleſia inſtitutas.* Et de hoc genere adiaphororum ait ſe potiſſimùm agere, utpote in Eccleſia uſitato.

II. Quia nos Catholici actiones adiaphoras, ſeu liberas & à Deo non præceptas, quæ fiunt modo debito & ex motivo ſupernaturali cultûs Divini, aut Sanctorum cum Chriſto regnantium, dicimus, ſaltem in juſtis, eſſe meritorias augmenti juſtitiæ & vitæ æternæ, ſicque utiles. Quod in Sua Epiſtola Paſtorali clarè expreſſit Celſiſſimus Archiepiſcopus Viennenſis, dicens : *Utile omninò erit de utilibus loqui, ita tamen, ut iis, quæ neceſſaria* (ſeu præcepta ſunt) *potiores ſemper partes tribuantur &c.* Unde Celſiſſimus Lutheranis, qui ſimiles actiones adiaphoras dicunt eſſe inutiles, eſt è diametro contrarius. Lutherani igitur, qui prædictum dogma Catholicorum non intelligunt, putantque Celſiſſimum noſtrum Principem illorum errori favere, ſe ſuis er-

roneis somniis pascunt : sed, ut priùs dixi, cùm de adiaphororum stricto & in Ecclesia usitato sensu, nec suos nec nostros intelligant, suam ignorantiam manifestè monstrant.

Porrò, quòd cultus & invocatio Sanctorum, si fiat modo debito & ex motivo supernaturali, non solùm sint actiones per se meritoriæ, sed etiam utiles propter intercessionem Sanctorum apud Deum, ex professo fusius dicam in tract. de quatuor Novissimis.

CAPUT XV.

De spe & fiducia Christiana.

SUMMARIUM.

167. *Certum est, quòd finis incarnationis Filii Dei immediatus sit nostra salus æterna ; finis ultimatus verò manifestatio bonitatis misericordiæ & justitiæ Divinæ.*

168. *Certum etiam est, quòd finis immediatus incarnationis sit noster amor mutuus erga Deum, observantia mandatorum, & meritum vitæ æternæ.*

169. *Non solùm sapientia, sanctitas & justitia Divina, sed etiam efficacia meritorum Christi extensivè magis manifestatur per hoc, quòd in adultis ad consecutionem vitæ æternæ simul requirantur eorum merita.*

170. In

170. *In miſericordia Divina & meritis Chriſti ponenda eſt ſpes & fiducia abſoluta de ſufficientia auxiliorum; de vita æterna verò, quantum eſt ex parte noſtræ cooperationis ſpes & fiducia ſolùm conditionata.*
171. *Quomodo moderni hæretici in ſua fiducia differant à nobis Catholicis?*
172. *Qualem fiduciam poſſimus ponere in virtute Sacramentorum, & noſtris meritis ſupernaturalibus?*
173. *In noſtris meritis naturalibus aut etiam ſupernaturalibus non poſſumus gloriari.*
174. *Qualem in cultu & interceſſione Sanctorum ſpem & fiduciam poſſimus ponere?*
175. *Unde cum metu & tremore debemus operari noſtram ſalutem; ſemper tamen ſimul animum erigere in miſericordiam Divinam & merita Chriſti per fidem, ſpem, & charitatem.*

Cùm Celſiſſimus Archiepiſcopus Viennenenſis in Sua Epiſtola Paſtorali inter alia agat de miſericordia Divina, de infinitis Chriſti meritis, & ſpe in his collocanda, etiam me in exegeſi ejusdem Epiſtolæ de ſpe & fiducia Chriſtiana breviter agere oportet. Ut autem de hac ſpe & fiducia clariùs agere poſſim, de motivo ſeu fine incarnationis Filii Dei aliqua ſunt præmittenda. Igitur

167 *Quæres 1.* Quisnam ſit finis incarnationis Filii Dei immediatus, & quis finis ultimatus?

℞. *ad 1.* Motivum & finis immediatus incarnationis Filii Dei, hujusque paſſionis, eſt noſtra redemptio & ſalus æterna. *Ita cum ſanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam Lutheranorum & Calviniſtarum, contra Pelagianos, Neſtorianos, & Socinianos, qui volunt, Chriſtum nos à peccatis non redemiſſe, nihilque nobis meruiſſe, ſed tantùm ad pœnitendum & merendum dediſſe doctrinam cœleſtem & bonum exemplum.*

Reſponſio patet I. ex S. Scriptura; nam Chriſtus Joan. 3. v. 16. ipſemet explicans finem immediatum ſui adventûs, ſeu incarnationis Filii Dei, dixit: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum* (nempe fide viva & efficaci, *quæ per charitatem operatur*) *non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et Joan. 10. à v. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant. Ego ſum Paſtor bonus. Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Unde etiam Paulus ad Galat. 4. à v. 4. ait: *Ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Et S. Joannes 1. Epiſt. 4. v. 9. inquit: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum,*

dum, ut vivamus per eum. Idem patet ex aliis plurimis textibus S. Scripturæ utriusque teſtamenti, & communi ſenſu ſanctorum Patrum.

II. Conſtat ex Conciliis; nam Nicænum in Symbolo fidei de Filio Dei ait: *Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis.* Et poſt alia Concilia noviſſimè Tridentinum Seſſ. 6. cap. 16. inquit: *Atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia Dei per JEſum Chriſtum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus fideliter reddenda.*

Ratio reſponſionis verò eſt: quia purus homo non potuit de condigno ſatisfacere pro peccato mortali, neque de condigno mereri vitam æternam quà æternam: ergo, ut homo purus hoc utrumque poſſet juſtitiæ Divinæ de condigno præſtare per influxum gratiæ & meritorum Chriſti, tanquam cauſæ moralis principalis, miſit Deus Filium ſuum Mediatorem, ſeu decrevit illius incarnationem, ut in natura humana aſſumpta poſſet pro noſtris peccatis ſatisfacere ſimulque ſatispati, & nobis mereri de condigno vitam æternam quà æternam.

℞. *ad 2.* Motivum & finis ultimatus incarnationis Filii Dei eſt manifeſtatio bonitatis

misericordiæ & justitiæ Divinæ. *Ita iterum cum sanctis Patribus communis Catholicorum, Lutheranorum & Calvinistarum, contra Pelagianos, Nestorianos, & modernos Socinianos.*

Responsio patet ex S. Scriptura; nam de bonitate & misericordia Divina, à Deo per incarnationem Verbi seu Christum manifestanda, ait Apostolus ad Ephes. 2. à v. 4. *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos: etiam cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo ... ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo JEsu.* De justitia Divina verò, per incarnationem Filii Dei manifestanda, inquit ad Rom. 3. v. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.* Idem patet ex pluribus aliis textibus utriusque testamenti, qui loquuntur de Christo ejusque satisfactione pro nostris peccatis, & merito vitæ æternæ.

Ratio responsionis verò est: quia Deus decrevit incarnationem Filii Divini ad manifestandas creaturis rationalibus suas perfectiones, tanquam finem ultimum: atqui incarnatio Filii Divini est medium maximè aptum ad manifestandam bonitatem, misericordiam & justitiam Divinam: ergo finis ultimus incarnationis Filii Dei est manifestatio bonitatis

tis, misericordiæ & justitiæ Divinæ. Maj. patet ex illo generali dicto Proverb. 16. v. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum.* Min. verò constat ex textibus Scripturæ priùs relatis. Præterea purus homo non potuit de condigno satisfacere pro peccato mortali, neque de condigno mereri vitam æternam quà æternam: ergo incarnatio Filii Dei, hujusque satisfactio & meritum, fuit medium maximè aptum ad manifestandam bonitatem misericordiam & justitiam Divinam. Ant. fusius patet ex dictis tract. 4. cap. 4. à num. 46. Item ex dictis supra num. 152. & 157.

Quæres 2. An finis immediatus incarnationis sit etiam noster amor mutuus erga Deum, observantia mandatorum, & meritum vitæ æternæ? 168

℞. Finis immediatus incarnationis est etiam noster amor mutuus erga Deum, observantia ejus mandatorum, & meritum vitæ æternæ per influxum gratiæ & meritorum Christi. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum contra Lutheranos & Calvinistas, qui quoad ultimam partem nobis sunt contrarii dicentes, nos per bona opera non mereri vitam æternam, neque merito secundario.*

Responsio patet I. ex S. Scriptura; nam de nostro mutuo amore sub metaphora ignis ait Christus Lucæ 12. v. 49. *Ignem veni mit-*

tere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur. Unde etiam Ecclesia Sabbato Pentecostes in Missa sic orat: *Illo nos igne, quæsumus Domine, Spiritus Sanctus inflammet, quem Dominus noster JEsus Christus misit in terram, & voluit vehementer accendi.*

De observantia verò mandatorum Dei inquit Christus Matth. 5. v. 17. *Nolite putare, quoniam veni solvere legem aut Prophetas: non veni solvere sed adimplere.* Et dein à v. 20. docet, quomodo lex moralis sit simul per actus internos virtutum perfectè implenda. Unde Isaias de Christo à Deo mittendo 55. v. 4. prædixit: *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.*

Denique de influxu in meritum vitæ æternæ per gratiam & suum meritum dicit Joan. 15. v. 5. *Ego sum vitis, vos palmites: qui in me manet & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* Et Joan. 10. v. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* In eodem sensu Paulus de Christo ad Hebr. 5. v. 9. ait: *Didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam: & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ.*

II. De fine amoris mutui specialiter constat ex sanctis Patribus; inter quos S. Augustinus tom. 6. lib. de catechizandis rudibus cap. 4. colum. 267. num. 8. ait: *Si ergo maximè propterea Christus venit, ut cognosceret homo, quan-*

quantum eum diligat Deus ; & ideo cognosceret, ut in ejus dilectionem, à quo prior dilectus est, inardesceret . . Ergo . . omnis Scriptura Divina, quæ ante ad prænunciandum adventum Domini Scripta est ; & quidquid postea mandatum est literis, & Divina authoritate firmatum, Christum narrat, & dilectionem (mutuam) *monet.*

Imò S. Thomas 2. 2. q. 23. a. 1. clarè videtur docere, quòd ad amorem amicitiæ Divinæ perfectum non sufficiat simplex complacentia & benevolentia de ejus perfectionibus essentialibus ; sed requiratur amor mutuus Dei propter benevolentiam, qua Deus voluit Filium suum incarnari propter nostram salutem. Sic enim ait l. c. *Sed neque benevolentia sufficit ad rationem amicitiæ ; sed requiritur quædam mutua amatio, quia amicus est amico amicus. Talis autem mutua benevolentia fundatur super aliqua communicatione . . de qua quidem communicatione dicitur 1. ad Corinth. 1. Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus.* Et subdit : *Amor autem super hanc communicationem fundatus est charitas,* nempe ex parte Dei. Cùm autem nos Deo nihil possimus de nostris bonis communicare præter mutuum amorem, Deus requirit, ut eum diligamus propter prædictam suam benevolentiam, & ex tali amore servemus ejus mandata ; juxta illud Christi Joan. 14. v. 21. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.*

Ratio responsionis verò est: quia Deus non solùm est summum bonum, sed etiam amorem sui secundùm exigentiam suæ bonitatis & benevolentiæ exigit, tanquam actum à creatura sibi maximè debitum: ergo in novo testamento post benevolentiam per beneficium incarnationis re ipsa exercitam, & hominibus manifestatam, maximè exigit amorem nostrum mutuum. Ant. patet de maximo præcepto dilectionis Dei tam ex antiquo quàm novo testamento. Con. etiam constat; quia post præstitam in effectu & declaratam tantam benevolentiam Divinam Deo ex parte hominum major in actu secundo debetur mutuus amor, quàm ante illam. Juxta illud S. Gregorii Magni homil. 9. in Evang. *Cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum.*

169 *Quæres 3.* An perfectiones Divinæ & efficacia meritorum Christi magis manifestentur per hoc, quòd in adultis ad consecutionem vitæ æternæ simul requirantur eorum merita?

℟. *ad 1.* Sapientia, sanctitas, & justitia Divina extensivè magis manifestantur per hoc, quòd Deus in adultis ad collationem vitæ æternæ simul requirat eorum merita. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum contra Lutheranos & Calvinistas.*

Responsio abundè patet ex textibus S. Scripturæ, sanctorum Patrum, & Conciliorum, qui-

quibus ſupra cap. 10. num. 109. 110. & 111. demonſtravimus, opera bona juſtorum eſſe à Deo præcepta, eique placere; illis eſſe à Deo promiſſam vitam æternam per modum præmii, ac mercedis; & illa habere vim merendi vitam æternam, præſertim in complexo meritorum Chriſti.

Ratio reſponſionis verò eſt: quia ſapientia, ſanctitas, & juſtitia Divina per ſe exigit opera bona juſtorum in obſequium Dei & legis Divinæ: ergo ſapientia, ſanctitas, & juſtitia Divina extenſivè magis manifeſtatur per hoc, quòd Deus in adultis ad conſecutionem vitæ æternæ ſimul requirat illorum merita. Ant. patet; quia Deus propter exigentiam ſuæ ſapientiæ, ſanctitatis, & juſtitiæ defacto præcipit opera bona, & prohibet opera mala; ùt patet ex decalogo. Con. etiam conſtat; quia ſic ſapientia, ſanctitas, & juſtitia Divina remunerativa ſe non ſolùm extendit ad merita Chriſti, tanquam cauſam vitæ æternæ principalem, ſed etiam ad merita juſtorum, tanquam ad cauſam vitæ æternæ inſtrumentalem; adeoque illæ perfectiones Divinæ ſic extenſivè magis manifeſtantur.

Præterea juſtitia Divina vindicativa magis manifeſtatur per hoc, quòd opera mala peccatorum, quæ ſunt contra exigentiam ſapientiæ, ſanctitatis, & legis Divinæ, puniat, quàm, ſi impunita relinqueret in altera vita: ergo

ergo etiam justitia Divina remunerativa magis manifestatur per hoc, quòd opera bona justorum, quæ sunt juxta exigentiam sapientiæ, sanctitatis, & legis Divinæ præmietur in altera vita, quàm, si hæc relinqueret sine præmio, & sola merita Christi præmiaretur. Ant. admittunt Lutherani & Calvinistæ. Con. non possunt negare, nisi S. Scripturam & simul sanam rationem abjicere velint.

℞. *ad 2.* Etiam efficacia meritorum Christi extensivè magis manifestatur per hoc, quòd Deus adultis ex meritis Christi conferat gratiam supernaturalem, & ab his, tanquam membris Christi, exigat cooperationem per modum meriti secundarii vitæ æternæ. *Ita iterum cum sanctis Patribus communis Catholicorum contra Lutheranos & Calvinistas.*

Responsio abundè patet ex textibus S. Scripturæ, & doctrina Concilii Tridentini, supra cap. 10. num. 11. relatis.

Ratio responsionis verò est: quia efficacia meritorum Christi extensivè magis manifestatur, & commendatur, si dicatur, quòd ille nobis non solùm meruerit vitam æternam (& quidem quoad æternitatem quà talem solus de condigno) sed etiam gratiam entitativè supernaturalem & tam excellentem, ut cum ea etiam nos possimus secundariò & instrumentaliter mereri visionem Dei intuitivam & amorem fruitivum; quàm, si dicatur, quòd ille

ille quidem nobis meruerit vitam æternam, non tamen gratiam tam perfectam: ergo priori modo extenſivè magis manifeſtatur, & commendatur, efficacia meritorum Chriſti, quàm poſteriori modo Lutheranorum & Calviniſtarum. Ant. patet; quia vis & efficacia cauſæ eſt extenſivè major, ſi ſe ſimul extendat ad cauſam inſtrumentalem, quàm ſi ſe ſolùm intra ſe ipſam contineat, & ſolùm per ſe ipſam operetur.

Porrò in negotio noſtræ ſalutis & glorificatione juſtorum ante virtutem meritorum Chriſti, & cum hac, debet ſalvari, & commendari, ſapientia, ſanctitas & juſtitia Divina remunerativa; nam propter has aliasque ſuas perfectiones manifeſtandas Deus decrevit incarnationem Verbi Divini, & ad illas manifeſtandas ordinavit merita Chriſti; juxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 3. v. 23. *Omnia enim veſtra ſunt: vos autem Chriſti: Chriſtus autem Dei.* Cùm igitur nos Catholici per merita ſimultanea juſtorum meliùs commendemus non ſolùm efficaciam meritorum Chriſti, ſed etiam præcipuè ſapientiam, ſanctitatem, & juſtitiam Divinam remunerativam, quàm Lutherani & Calviniſtæ ſine noſtris meritis ſimultaneis & ſecundariis; hinc noſtra ſententia eſt vera, & illorum falſa. Argumenta illorum in contrarium jam ſupra cap. 10.

num.

num. 113. evidenter solvi, & nulla ac falsa esse declaravi.

170 *Quæres 4.* Qualis fiducia sit ponenda in misericordia Divina & meritis Christi? & qualis in nostra cooperatione?

℞. *ad 1.* in misericordia Divina & meritis Christi, quantúm est præcisè ex parte Dei & virtutis meritorum Christi, ponenda est fiducia & spes absoluta de sufficientia auxiliorum. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam Lutheranorum, contra Calvinistas, qui dicunt, Deum solis electis dare gratias supernaturales; & Jansenistas, qui dicunt, Deum illas dare solis fidelibus.*

Responsio abundè patet ex textibus S. Scripturæ, Patrum, & Conciliorum, relatis tract. 4. cap. 15. num. 183. ubi dixi, Christum pro omnibus hominibus mortuum fuisse. Et tract. 7. cap. 14. per totum, ubi dixi, Deum ex meritis Christi dare omnibus hominibus tempore opportuno gratias sufficientes.

Ratio responsionis verò est: quia Deus gratias sufficientes propter merita Christi vult absolutè conferre tempore opportuno omnibus hominibus; & collatio gratiarum purè sufficientium non habet pro sua conditione nostrum meritum, sicut collatio vitæ æternæ: ergo in misericordia Divina & meritis Christi, quantùm præcisè est ex parte Dei & meritorum

rum

rum Chriſti, ponenda eſt fiducia & ſpes abſoluta de ſufficientia futura auxiliorum.

Addidi autem in reſponſione: *Quantum eſt præcisè ex parte Dei & virtutis meritorum Chriſti;* nam tempus opportunum conferendi gratias actuales, & conſequenter etiam collatio gratiarum actualium, poteſt impediri, & ſæpius impeditur per curſum naturalem cauſarum ſecundarum; ſicut ſæpe impeditur collatio Baptiſmi parvulis ſine hoc decedentibus. Unde Apoſtolus ad Galat. 6. v. 10. nos admonet: *Ergo, dum tempus habemus, operemur bonum.*

Porrò, cùm gratiæ ſupernaturales à Deo nobis non dentur ex meritis Sanctorum, ſed ex meritis Chriſti, quamvis propter interceſſionem Sanctorum quandoque uberiores, hinc Celſiſſimus Archiepiſcopus Viennenſis in Sua Epiſtola Paſtorali providè reprehendit quosdam ignaros fideles, qui forſan *in Sancti cujusdam cultu ejusve icone plus ſpei reponunt, quàm in meritis Chriſti; in quo tamen ſolo oportet nos ſalvos fieri.* Interim tamen diſertè docet Sanctos tanquam Interceſſores eſſe invocandos.

℞. *ad 2* in noſtra cooperatione eſt ponenda fiducia & ſpes ſolùm conditionata de vita æterna. *Ita cum ſanctis Patribus communis Catholicorum, imò ſuo modo etiam Lutheranorum, qui docent, fidem eſſe amiſſibilem, contra Calviniſtas, qui volunt fidem eſſe inamiſſibilem, & electos de ſua præ-*

prædestinatione absolutè esse certos, dummodò semel in se senserint fidem.

Responsio patet ex textibus S. Scripturæ & sanctorum Patrum supra cap. 7. num. 75. & 78. relatis; specialiter verò ex Concilio Tridentino, quod Sess. 6. cap. 12. contra prædestinationis temerariam præsumptionem docet: *Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano Divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certò statuat, se omninò esse in numero prædestinatorum.* Et cap. 13. ait: *Similiter de perseverantiæ munere . . nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent.* Et dein Can. 15. & 16. damnat oppositam præsumptionem Calvinistarum de certitudine suæ prædestinationis & doni perseverantiæ.

Ratio responsionis verò est: quia vita æterna est nobis à Deo promissa *sub conditione* bonorum operum & perseverantiæ finalis: ergo nullus in particulari potest sine speciali revelatione certò & omninò absolutè sperare vitam æternam vel perseverantiam finalem; adeoque in nostra cooperatione usque ad finem nequit ponere fiduciam absolutam, etsi in auxilio Dei firmissimam spem debeat collocare. Ant. patet ex S. Scriptura; nam Christus Matth. 19. v. 17. dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et Matth. 24. v. 13. *Qui autem*

tem perſeveraverit usque in finem, hic ſalvus erit. Con. etiam conſtat; quia id, quod promittitur ſub conditione contingenter futura, nequit abſolutè & certò ſperari.

Quæres 5. Quomodo moderni hæretici in 171
ſua fiducia differunt à nobis Catholicis?

℞. Moderni hæretici, tam Lutherani quàm Calviniſtæ, à nobis Catholicis præcipuè differunt per hoc, quòd fiduciam de remiſſione peccatorum, de ſua juſtificatione, & futura vita æterna ponant in miſericordia Divina & meritis Chriſti dependenter à ſola fide ſpeciali, tanquam conditione; eò quòd putent, nos juſtificari & ſalvari per ſolam fidem ſpecialem, tanquam per actum, quo formaliter apprehendimus juſtitiam Chriſti, eamque facimus noſtram. Unde totam fiduciam ex parte ſua ponunt in ſolo actu fidei, excluſo omni merito præter meritum Chriſti; ùt patet ex dictis ſupra cap. 6. & 7.

Econtra nos Catholici fiduciam ponimus in miſericordia Divina & meritis Chriſti dependenter à Sacramentis, tanquam cauſis inſtrumentalibus noſtræ juſtificationis, præſertim Baptiſmo & Pœnitentia, quæ ſunt duo Sacramenta mortuorum. Item ponimus noſtram fiduciam in miſericordia Divina & meritis Chriſti dependenter à fide, ſpe, charitate, aliisque operibus ſupernaturalibus, quæ Deus à nobis exigit tanquam noſtram cooperatio-

nem, & meritum secundarium augmenti justitiæ & vitæ æternæ. Neque sine hac nostra cooperatione in sola misericordia Divina & meritis Christi potest collocari firma fiducia absque præsumptione. Unde S. Augustinus tom. 5. serm. 24. in Psalm. 82. colum. 131. nos admonet: *Tota spes vestra in illo sit, in quo solo potest firmiter collocari. Quomodo autem ibi erit spes nostra, nisi obediamus præceptis ejus?*

Præterea nos Catholici nostram fiduciam ponimus in misericordia Divina & meritis Christi dependenter ab Indulgentiis Ecclesiæ, intercessione Sanctorum cum Christo regnantium, & mutua oratione viatorum in Confraternitatibus, aut etiam extra has. Quæ Celsissimus Archiepiscopus Viennensis in Sua Epistola Pastorali omnia approbat, dummodò debitè fiant: adeoque præsumptuosæ fiduciæ Lutheranorum & Calvinistarum in sola fide speciali nullatenus favet, sed huic positivè & è diametro est contrarius; dum ait: *Utile erit de laudibus & invocatione Sanctorum disserere &c. Utile etiam erit de cultu gratiosarum Iconum, de Peregrinationibus, Indulgentiis. & Confraternitatibus(suo nempe loco & tempore verba facere &c.)* Hæc, inquam, omnia Celsissimus noster Archipræsul approbat intra limites nostræ Catholicæ Religionis, & Concionatoribus sapientissimè præscribit debitum dicendi ordinem, dicens: *Utile omninò erit de utilibus loqui, ita tamen,*

men, ut iis, quæ necessaria (seu præcepta sunt) *potiores semper partes tribuantur; ita quoque, ut sinceritas Catholicorum dogmatum suos semper inter limites salva consistat, & nè temerè quid dicatur, quod inviolabilibus sanctæ Religionis nostræ fundamentis adversari videatur.*

Quæres 6. Qualem fiduciam possimus ponere in virtute Sacramentorum, & nostris meritis supernaturalibus? 172

℞. *ad 1.* Quamvis in virtute & efficacia Sacramentorum, quantum est de se, possimus ponere fiduciam absolutam & firmam; non tamen, quantum est ex parte ministri aut nostræ dispositionis. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum contra Lutheranos & Calvinistas, qui Sacramentis denegant virtutem causandi gratiam ex opere operato, & totam fiduciam ponunt in fide speciali, qua suscipiens Sacramentum certò credit sibi remitti peccata.*

Responsio clarè constat ex Concilio Tridentino, quod Sess. 6. cap. 9. contra inanem hæreticorum fiduciam in sola fide ait: *Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest; cùm nullus scire valeat certitudine fidei (cui non potest subesse falsum) se gratiam Dei esse consecutum.*

Ratio responsionis quoad 1. partem est: quia Sacramenta fuerunt à Christo instituta tanquam signa practica, & causæ instrumentales nostræ justificationis, debéntque conferri in nomine Christi; juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 4. v. 1. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei:* ergo actiones Sacramentales, utpote nomine Christi peractæ, propter ejus merita habent virtutem sibi annexam & moraliter intrinsecam causandi ex opere operato gratiam sanctificantem: ergo in virtute & efficacia Sacramentorum, quantum est de se, & præciso omni defectu ex parte ministri & suscipientis, possemus ponere fiduciam absolutam & firmam de nostra justificatione.

Ratio responsionis quoad 2. partem verò est: quia defectus non solùm potest contingere ex parte ministri, intentionis, aut materiæ vel formæ, sed etiam præcipuè ex parte suscipientis Sacramentum ob defectum debiti doloris de peccatis & præpositi efficacis vitæ melioris: ergo ob similes occultos defectus suscipiens Sacramentum non potest habere fiduciam omninò firmam, aut planè certitudinem fidei de sua justificatione.

Unde Celsissimus Archiepiscopus Viennensis in Sua Epistola Pastorali Concionatores solicitè admonet, ut post propositam misericordiam ac justitiam Divinam, & infinita merita Chri-

Chriſti, loquantur *de ſupernaturalibus pœnitentiæ motivis, de gravitate & horrore peccati &c.* nempe ut ſic auditores ad pœnitentiam debitè diſponant. In quem finem dein adducit illud monitum S. Auguſtini Serm. 106. de Temp. *Scitis, quòd tuba non tam oblectationis eſſe ſoleat quàm terroris. Tuba itque peccatoribus neceſſaria eſt, quæ non ſolùm aures eorum penetret, ſed & cor concutiat; nec delectet cantu, ſed caſtiget auditu.*

℞. *ad 2.* In noſtris meritis ſupernaturalibus, quæ nempe fiunt cum gratia Divina ex motivo ſupernaturali & purè bono, poſſumus aliquam ſpem & fiduciam ſecundariam ponere. *Ita cum ſanctis Patribus communis Catholicorum contra Lutheranos, & Calviniſtas cum ſuo Duce Calvino lib. 3. inſtit. cap. 2. §. ult. qui volunt, ſpem & fiduciam ſecundariam eſſe ponendam in ſola fide ſpeciali.*

Reſponſio patet I. ex S. Scriptura utriusque teſtamenti; nam in antiquo teſtamento Tobiæ 4. v. 12. dicitur: *Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam.* Et Jobi 11. à v. 14. *Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua, abſtuleris à te, & non manſerit in tabernaculo tuo injuſtitia; tunc levare poteris faciem tuam absque macula . . Et habebis fiduciam, propòſita ſpe, & defoſſus ſecurus dormies.* In novo teſtamento verò Apoſtolus ad Rom. 5. à v. 3. ait: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem*

non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. 1. ad Timoth. 3. v. 13. *Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam.* Et ad Hebr. 10. à v. 34. *Nam & vinctis compassi estis & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.. Nolite itaque amittere confidentiam vestram.* Item 1. Joan. 3. v. 21. dicitur: *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.*

II. Idem constat ex sanctis Patribus apud Bellarminum tom. 3. lib. 5. de justificatione cap. 2. Unde Concilium Trident. Sess. 6. cap. 16. ait: *Atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per JEsum Christum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.*

Ratio responsionis verò est: quia opera bona supernaturalia Deo placent, habent vim merendi vitam æternam, & illis per modum mercedis à Deo est promissa vita æterna; ùt omnia patent ex dictis supra cap. 10. ergo in illis possumus ponere spem & fiduciam secundariam, si fiunt cum gratia Divina ex motivo supernaturali & purè bono.

Addidi autem *spem & fiduciam secundariam*; nam spes & fiducia primaria de consequenda justificatione, perseverantia finali, & vita æter-

æterna debet poni in misericordia Divina & meritis Christi. Unde Celsissimus Archiepiscopus Viennensis in Sua Epistola Pastorali reprehendit quosdam simplices fideles, *qui in devotiunculis privatis, in Sancti cujusdam cultu, ejusvè icone, plus spei reponunt, quàm in meritis Christi.* Et Eximius P. Erbermanus è Soc. JEsu in Anatomia Calixtina Sect. 12. num. 7. pag. 46. inquit: *Quisquis ex proprio & non ex merito Passionis Christi sperat salutem; anathema esto. Ita sentit, ita profitetur omnis Catholicus; qui aliter sapit, desipit cum Stoicis, Pharisæis, & Pelagianis.*

Quæres 7. An possimus gloriari in nostris meritis naturalibus, aut saltem supernaturalibus? 173

℟. *ad 1.* Nos non possumus gloriari in nostris meritis naturalibus, quæ fiunt ex motivo naturali, aut vitioso, & sine influxu meritorum Christi. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam Lutheranorum & Calvinistarum, contra Stoicos, Pharisæos, Pelagianos, & modernos Socinianos.*

Responsio clarè patet I. ex S. Scriptura; nam Christus Joan. 15. à v. 4. dixit suis Discipulis: *Sicut palmes non potest facere fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Idem patet ex pluribus aliis Scripturæ textibus relatis tract. 7. cap. 9. Clarissimè verò ex

Apostolo, qui ad Ephesios, putantes se per opera naturalia meruisse fidem, cap. 2. à v. 8. ait: *Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ut nè quis glorietur.*

II. Constat ex unanimi doctrina sanctorum Patrum & Conciliorum contra Pelagianos; ùt retuli cit. tract. 7. cap. 9. Et novissimè ex Concilio Tridentino, quod Sess. 6. Can. 1. statuit: *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires vel per legis doctrinam fiant, absque Divina per JEsum Christum gratia posse justificari coram Deo; anathema sit.* Idem statuit Can. 2. & 3.

Ratio responsionis verò est: quia per opera naturalia non possumus mereri justificationem, vitam æternam, aut etiam primam gratiam; ùt fusè declaravi l. c. cap. 9. & 10. ergo in nostris meritis naturalibus non possumus gloriari.

℞. *ad 2.* Quamvis in nostris meritis supernaturalibus possimus ponere spem & fiduciam secundariam; in illis tamen, prout à nobis elicitis, non possumus gloriari. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum.*

Responsio patet ex S. Scriptura; nam Lucæ 17. v. 16. Christus ipsemet nos monuit: *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* Et Apostolus 1. ad Corinth. 4. v. 7.

ait:

ait: *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Item 2. ad Corinth. 10. v. 17. *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. Non enim, qui se ipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat.* Idem patet ex unanimi doctrina sanctorum Patrum in relatos textus.

Ratio responsionis verò est: quia opera supernaturalia non merentur augmentum justitiæ & vitam æternam, prout illa præcisè eliciuntur à nostra libera voluntate, sed prout illa simul fluunt à gratia Divina: ergo non possumus gloriari in nostris meritis etiam supernaturalibus. Præterea non sumus certi, an non propter vanam gloriam aut alium occultum affectum inordinatum impediverimus influxum gratiæ Divinæ, sicque nostra opera bona sint vitiosa, & purè naturalia: ergo de illis nunquam possumus gloriari.

Unde propter incertitudinem propriæ justitiæ, & periculum inanis gloriæ, tutissimum est fiduciam totam in sola Dei misericordia & benignitate ac meritis Christi reponere, & salutem humiliter operari; uti non solùm ex S. Scriptura sed etiam precibus Ecclesiæ & doctrina sanctorum Patrum demonstrat Celeberrimus Cardinalis Bellarminus è Soc. JEsu tom. 3. lib. 5. de justificatione cap. 7.

Idem in Sua Epistola Pastorali præstitit Celsissimus Archipræsul Viennensis, dum docet, præcipuam spem esse reponendam in misericordia Divina & meritis Christi; simulque Concionatores admonet, ut frequentiùs populo loquantur *de Christo ejusque meritis infinitis, de misericordia & justitia Dei, de supernaturalibus pœnitentiæ motivis* &c.

174 *Quæres 8.* Qualem spem & fiduciam possimus ponere in cultu & intercessione Sanctorum?

℟. 1. In solo cultu & intercessione Sanctorum sine debitis nostris bonis operibus & seria emendatione vitæ non possumus ponere spem & fiduciam firmam: imò talis fiducia esset præsumptuosa, vana, & ab omni pietate aliena. *Ita communis Catholicorum.*

Responsio patet à pari & à fortiori ex Concilio Tridentino, quod Sess. 6. cap. 9. fiduciam modernorum hæreticorum, in sola fide misericordiæ Divinæ propter merita Christi quiescentium appellat *vanam & ab omni pietate remotam fiduciam*: ergo à fortiori vana & ab omni pietate remota esset fiducia in solo cultu Sanctorum, eorumque intercessione, sine præceptis bonis operibus & seria emendatione vitæ.

Ratio responsionis verò est: quia Sancti à simili cultu inordinato & præsumptuosa fiducia in solo illorum cultu & intercessione non

mo-

moventur ad intercedendum pro peccatoribus præsumptuosis: ergo talis cultus est inanis, & fiducia præsumptuosa.

Unde Celsissimus Archiepiscopus Viennensis in Sua Epistola Pastorali de cultu Sanctorum aliisque aliàs utilibus adiaphoris sapientissimè monet I. *Ne Sancti cum Sanctis quodommodo collidantur, aut alter alteri frivolè præferatur;* nam, ùt ait S. Augustinus tom. 8. lib. 3. contra Faustum cap. 5. colum. 192. *Non enim amant Sancti suos electores, si suorum sociorum eos invenerint desertores.* II. Nè ejusmodi materiæ adiaphoræ temerè extollantur, neque infirmis rationibus, incertis revelationibus, miraculis apocryphis, talibusque historiis fulciantur, *quæ imprudentem auditorem non à peccato avocent, sed in malo confirment, atque in errorem inducere valeant, ut sibi persuadeat, vivat, ùt ùt velit, salvum se fore, dummodò hunc aut illum Sanctum colat, hanc aut illam Iconem frequentet, huic aut illi Confraternitati accedat.*

Quod ultimum monitum est prorsus conforme monito Concilii Tridentini, Sess. 25. de invocat. Sanctor. & sacris imaginibus, dicentis; *In has autem sanctas & salutares observationes, si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cupit; ita ut nulli falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes, statuantur.*

℞. 2. In cultu & interceſſione Sanctorum poſſumus ponere aliquam ſpem & fiduciam ſecundariam, ſi res per eos à Deo petita ſit judiciis Divinis conformis, illorum invocatio pia & conſtans, & noſtra cooperatio debita. *Ita communis Catholicorum contra Lutheranos & Calviniſtas*.

Reſponſio patet ex S. Scriptura; nam Chriſtus Joan. 14. v. 13. dixit ſuis Diſcipulis: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Et Joan. 16. v. 23. *Amen, amen dico vobis: ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Quòd autem oratio aut interceſſio Sanctorum valeat etiam pro aliis patet ex illo Jacobi 5. v. 16. *Orate pro invicem, ut ſalvemini: multùm enim valet deprecatio juſti aſſidua.* Et 1. Joan. 5. v. 14. *Hæc eſt fiducia, quam habemus ad Deum, quia, quodcunque petierimus ſecundùm voluntatem ejus, audit nos.* Deus autem vult, ut Sancti in cælis cum Chriſto regnantes intercedant pro nobis viatoribus; uti patet ex Symbolo Apoſtolorum, in quo pro articulo decimo fidei aſſeritur communio Sanctorum. Unde etiam Eccleſia in Miſſa Deum pro interceſſione Sanctorum rogat: *Ut illi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam agimus in terris.*

Ratio reſponſionis verò eſt: quia Sancti vident per viſionem matutinam, ſeu in ſcientia Divina noſtras preces; ſunt amici Dei, & Deus

Deus vult, ut illi pro nobis viatoribus intercedant: ergo in cultu & interceſſione Sanctorum poſſumus ponere ſpem & fiduciam ſecundariam. Unde etiam Celſiſſimus Archiepiſcopus in Sua Epiſtola ait: *Utile erit de laudibus & invocatione Sanctorum diſſerere.*

Addidi autem in reſponſione: *Si res per eos petita ſit judiciis Divinis conformis* &c. nam, ùt refert S. Auguſtinus tom. 5. ſerm. 319. col. 1275. S. Stephano, pro aliqua perſona Deum oranti, reſponſum eſt: *Pro qua oras non eſt digna, hoc & hoc fecit.* Præterea ad legitimam invocationem Sanctorum, ſicut ad orationem per Chriſtum, plures requiruntur conditiones, ut illa ſit efficax: quas explicui *in Theol. Moral. Tract. 5. q. 1. a. 3. à n. 27.* Unde in cultu & interceſſione Sanctorum non poſſumus ponere ſpem & fiduciam omninò abſolutam & firmam. Cultus tamen & invocatio Sanctorum pia & ordinata ſemper eſt utilis; quia, quando per illam non impetramus gratiam determinatè petitam, impetramus aliam. Igitur

Quæres 9. Quomodo debeamus operari no- 175
ſtram ſalutem?

℞. *1.* Noſtram ſalutem debemus operari cum metu & tremore, ſine fiducia omninò abſoluta in miſericordiam Divinam propter ſola merita Chriſti. *Ita cum ſanctis Patribus communis*

munis Catholicorum contra Lutheranos & Calvinistas.

Responsio clarè patet I. ex S. Scriptura; nam Apostolus ad Philipp. 2. v. 12. disertis verbis nos admonet: *Itaque charissimi mei (sicut semper obedistis) non ut in præsentia mei tantùm, sed multò magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Eadem veritas patet ex aliis textibus S. Scripturæ & sanctorum Patrum supra cap. 8. relatis.

II. Constat ex Concilio Tridentino, quod citata Sess. 6. cap. 9. contrariam inanem fiduciam modernorum hæreticorum omninò absolutam de sua justificatione, aut perseverantia finali appellat *vanam & ab omni pietate remotam fiduciam*; hancque tanquam hæresim dein Can. 12. 13. & 14. sub anathemate damnat.

Ratio responsionis verò est: quia justificatio peccatoribus solùm promittitur sub conditione pœnitentiæ, & vita æterna sub conditione observantiæ mandatorum, & perseverantiæ finalis: ergo nostram salutem debemus operari cum metu & tremore, sine fiducia omninò absoluta in misericordiam Divinam propter sola merita Christi. Con. patet; quia id, quod promittitur solùm sub conditione, non obtinetur sine impleta conditione. Ant. verò clarè constat ex S. Scriptura; nam Christus ipsemet Lucæ 13. v. 5. dixit:

Si

Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam igredi, serva mandata.* Et Matth. 24. v. 13. *Qui autem perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit.*

Huic Catholico dogmati conformis eſt Archiepiſcopus Viennenſis in Sua Epiſtola Paſtorali, de Concionatore, qui præcepta Dei & Eccleſiæ populo proponere diſſimulat, dicens: *Qualiter verò id præstat, si de dogmatibus salvificæ fidei nostræ, de Christo ejusque meritis infinitis, de misericordia & justitia Dei, de supernaturalibus pœnitentiæ motivis, de gravitate & horrore peccati, de fide, de spe, de charitate Dei & proximi, cæterisque necessariis altum taceat? & solummodo adiaphora quæque speciosis, & utinam non persæpe malè fundatis argumentis, persuadere nitatur?*

℞. *ad 2.* Metus & tremor de futura noſtra ſalute eſt temperandus per fiduciam in miſericordiam Divinam & merita Chriſti cum noſtra cooperatione, ſeu per Chriſtianam fidem, ſpem & charitatem. *Ita iterum cum sanctis Patribus communis Catholicorum.*

Reſponſio patet I. ex S. Scriptura; nam Apoſtolus ad Hebr. 11. v. 11. commendat fidem tanquam primum Chriſtiani hominis fundamentum, dicens; *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Et v. 6. ſubjungit: *Sine fide autem impossi-*

possibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Ad Rom. 5. v. 5. commendat spem: *Spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et postquam 1. ad Corinth. 13. charitatem justificantem, tanquam optimum Charisma commendasset, v. 13. concludit: *Nunc autem* (seu pro hac vita mortali) *manet fides, spes charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.* Imò S. Joannes 1. Epist. 4. v. 18. ait: *Perfecta charitas foras mittit timorem,* nempe serviliter servilem aut etiam servilem pœnarum; nam timorem Dei filialem, qua justi timent Deum offendere propter ejus summam bonitatem, charitas Dei semper habet secum connexum in hac vita mortali.

II. Constat ex communi doctrina sanctorum Patrum in textus citatos S. Scripturæ. Ex quibus brevitatis causa solùm produco Augustinum, qui tomo 5. serm. 161. de verbis Apostoli cap. 9. colum. 779. de charitate, post fidem & spem cor hominis fidelis intrante ait: *Quanto plus illa intraverit, tantò timor minor erit. Cum illa tota intraverit, nullus timor erit: quia perfecta charitas, foras mittit timorem. Intrat ergo charitas, pellit timorem. Non autem intrat & ipsa incomitata. Habet secum suum timorem, quem introducit ipsa; sed illum castum permanen-*

manentem in ſæculum ſæculi. Servilis timor eſt, quo times cum diabolo ardere: timor caſtus eſt, quo times Deo diſplicere.

Ratio reſponſionis verò eſt: quia tres virtutes, nempe fides, præſertim de myſterio incarnationis Filii Dei propter noſtram ſalutem; ſpes tali fide roborata, & actus charitatis Dei propter hanc ſummam benevolentiam, ſunt tres virtutes Theologicæ & præſtantiſſimæ, quæ nos uniunt cum Deo ut noſtro fine ultimo: ergo, poſt elicitum timorem pœnarum & dolorem de peccatis, animus ſemper per Chriſtianam fidem, ſpem & charitatem eſt ad Deum erigendus, & timor ſervilis pœnarum temperandus.

Et hoc ipſum eſt, quod per verba priùs relata in Sua Epiſtola Paſtorali intendit Celſiſſimus Archiepiſcopus Viennenſis. Ut autem hæc primaria & ſaluberrima hujus Epiſtolæ intentio, non tam Catholicis quàm Hæreticis, circa illam valde errantibus magis declaretur; ſit

CAPUT XVI.

De dogmatibus mortiferæ fidei Hæreticorum, & ſalvificæ fidei Catholicorum.

SUMMARIUM.

176. Primaria intentio Epiſtolæ Paſtoralis fuit, ut Verbum Dei à Concionatoribus ritè,

& simul ordinatè *populo Catholico explicetur.*

177. *Venit inimicus ejus, & superseminavit zizania.*

178. *Fides & fiducia specialis Lutheranorum & Calvinistarum est fides mortifera*

179. *Quænam possint objicere Lutherani & Calvinistæ.*

180. *Hæc clarè solvuntur.*

181. *Celsissimus Archiepiscopus Viennensis nullatenus voluit, à Concionatoribns prædicari fidem specialem Lutheranorum.*

182. *Fides Catholicorum, quæ per charitatem operatur est salvifica.*

183. *Qualis actus fidei, spei, & charitatis sit præcipuè eliciendus?*

184. *De his actibus eliciendis aliisque necessariis populum à Concionatoribus præcipuè instrui vult Celsissimus Archipræsul Viennensis.*

185. *De pœnis docentium fidem mortiferam, aut abutentium S. Scripturâ.*

186. *De præmiis docentium fidem salvificam.*

476 QUæres I. Quidnam per Suam Epistolam Pastoralem primariò intenderit Celsissimus Archiepiscopus Viennensis?

℞. Celsissimus Archiepiscopus Viennensis per Suam Epistolam Pastoralem primariò intendit, ut Verbum Dei à Concionatoribus ritè

ritè & ſimul *ordinatè* populo Catholico explicetur.

Utraque pars reſponis clarè patet ex hac Epiſtola; nam in primo hujus Epiſtolæ ingreſſu ait: *Ut primum Paſtorale onus Noſtrum ſuſcepimus, ea ſollicitudinis Noſtræ præcipua pars fuit, ut Verbum Dei ſacris in Exedris ex voto & præſcripto Eccleſiæ ritè explicetur; cùm à recta Verbi Dei prædicatione quàm maxima in Chriſtianam Rempublicam emolumenta emanare, & ferè potiſſimos animarum fructus metiendos eſſe, nemo non percipiat.*

Et poſtquam de munere Concionatorum & quibusdam tam illorum quam ignaræ plebis defectibus fuit locutus, inquit: *Utile omninò erit de utilibus loqui, ita tamen, ut iis, quæ neceſſaria* (ſeu præcepta ſunt) *potiores ſemper partes tribuantur; ita quoque, ut ſinceritas Catholicorum dogmatum ſuos ſemper inter limites ſalva conſiſtat, & nè temerè quid dicatur, quod inviolabilibus ſanctæ Religionis noſtræ fundamentis adverſari videatnr.* Secundariò verò & concomitanter Zeloſiſſimus Archipræſul vult eliminare quosdam defectus, qui velut quædam zizania etiam in agris Catholicæ Eccleſiæ ex ignorantia plebis connaturaliter oriuntur, & ab aliquibus Concionatoribus debitè non eradicantur.

Unde Celſiſſimus Archiepiſcopus Viennen- 177
ſis meritò poſſet comparari homini, *qui ſemi-*

navit bonum semen in agro suo, Matth. 13. v. 24. Neque in Illius Epistola Pastorali ulla continentur zizania, sed potiùs modus illa per Concionatores eradicandi. Cùm autem Hæretici de hoc semine & Verbo Dei lippos habeant mentis oculos, dum Celsissimus Noster Archipræsul suos Concionatores monet ad ritè explicandam Verbum Dei & ad proponenda sæpius populo *dogmata salvificæ fidei nostræ*, putant Illum per Suam Epistolam Pastoralem, eorum falsæ fidei speciali, & præsumptuosæ fiduciæ omninò absolutæ in sola merita Christi, favere. Imò plures eorum Epistolam Pastoralem tantopere depravarunt, eique sua falsa dogmata commiscuerunt, ut quemadmodum Noster Celsissimus Archipræsul merito possit comparari homini Evangelico, *qui seminavit bonum semen in agro suo*; ita illi à contrario comparari debeant homini inimico, de quo loco citato v. 25. sub parabola dicitur: *Venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici.* Ut igitur clarè & evidenter demonstremus, Nostrum Celsissimum Ecclesiasticum Principem illorum fidei speciali, & fiduciæ præsumptuosæ, esse è diametro contrarium, priùs declaranda est fides Lutheranorum & Calvinistarum mortifera, & Catholicorum salvifica; quam ultimam sæpius populo prædicari cupit Noster Zelosissimus Ordinarius. Igitur

Quæ-

Quæres 2. An fides & fiducia ſpecialis Lutheranorum & Calviniſtarum ſit fides ſalvifica vel mortifera ? 178

℞. Lutheranorum & Calviniſtarum fides ſpecialis, qua quilibet illorum in particulari credit ſe eſſe juſtum per juſtitiam Chriſti, ſola fide apprehenſam ; & fiducia omninò abſoluta, in ſola merita Chriſti ſine noſtra cooperatione & merito ſupernaturali, non eſt fides ſalvifica, ſed mortifera. *Ita cum ſanctis Patribus communis Catholicorum, & aliorum, contra Lutheranos & Calviniſtas.*

Reſponſio patet I. ex S. Scriptura & quidem primò ex textibus, in quibus dicitur fides ſine charitate nos non juſtificare, ſupra cap. 6. num. 57. relatis. Secundò ex textibus S. Scripturæ, in quibus dicitur, nos non poſſe eſſe certos de noſtra juſtitia, relatis ſupra cap. 7. num. 75. Tertiò ex textibus ejusdem S. Scripturæ, in quibus vita æterna dicitur promiſſa bonis operibus per modum mercedis, & hæc verè mereri vitam æternam, relatis ſupra cap. 10. num. 110. & 111. Specialiter verò patet ex illo Apoſtoli 1. ad Corinth. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum . . nihil mihi prodeſt.* Et illo Jacobi 2. v. 17. *Fides, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa.* Et v. 26. *Sicut enim cor-*

 pus

pus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.

II. Constat ex sanctis Patribus in præcedentes tetxus. Ex quibus hìc solum adduco Augustinum, qui tom 4. enarrat. 2. in Psalm. 31. colum. 170. de homine in sola fide confidente ait: *Si se infirmitati propriæ omni ex parte donaverit, & in hanc cogitationem se inclinaverit, ut dicat, quia misericordia Dei omnibus peccatoribus, in quibuslibet peccatis perseverantibus, tantùm credentibus, quia Deus liberat, Deus ignoscit, ita in fine parata est, ut nemo pereat fidelium iniquorum.. Qui ergo dicit neminem perire talium, cogitatione mala inclinatur in impunitatem peccatorum; & Deus ille justus (cui cantatur misericordia & judicium, non solùm misericordia sed & judicium) invenit hominem malè de se præsumentem, & ad interitum suum misericordia Dei abutentem, & necesse est, ut damnet.*

III. Liquet ex Concilio Tridentino, quod Sess. 6. cap. 9. fidem specialem & fiduciam omninò absolutam Lutheranorum & Calvinistarum appellat *vanam & ab omni pietate remotam fiduciam.* Et dein can. 12. statuit: *Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse quàm fiduciam Divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur; anathema sit.* Et Can. 13. *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certò, &*

absque

absque ulla hæſitatione propriæ infirmitatis & indiſpoſitionis, peccata ſibi eſſe remiſſa; anathema ſit.

Ratio reſponſionis verò eſt I. quia talis fides ſpecialis & abſoluta de ſua juſtificatione in particulari eſt falſa, & conſequenter naturalis: ergo nequit eſſe fides juſtificativa & ſalvifica. Con. patet; quia nos non juſtificamur per fidem falſam & naturalem, ſed per fidem veram & ſupernaturalem, quæ juxta Apoſtolum ad Epheſ. 2. v. 8. *Dei donum eſt.* Ant. prob. Remiſſio peccatorum & juſtificatio nobis promittitur solùm ſub conditione veri doloris & pœnitentiæ; juxta illud Chriſti Lucæ 13. v. 5. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis:* Ergo fides ſpecialis, qua quis in particulari abſolutè & absque vera pœnitentia credit ſe eſſe juſtificatum, eſt fides falſa & naturalis.

II. Quia talis fiducia ſpecialis omninò abſoluta ex parte voluntatis eſt præſumptuoſa & peccaminoſa: ergo non eſt fiducia ſalvifica, ſed mortifera. Ant. prob. Talis fiducia confidit abſolutè in miſericordiam Divinam propter ſola merita Chriſti, quin arripiat media à Deo ad juſtificationem ordinata: ergo eſt præſumptuoſa & peccaminoſa. Ant. patet; quia media à Deo ad juſtificationem peccatoris baptizati ordinata ſunt Sacramentum pœnitentiæ, contritio perfecta, aut etiam

amor Dei super omnia: hæc media autem Lutherani & Calvinistæ propter suam fiduciam absolutam in solam misericordiam Divinam & merita Christi non arripiunt; adeoque illorum fiducia est præsumptuosa & peccaminosa, seu mortifera juxta prædictam Christi sententiam: *Si pœnitentiam non egeritis &c.*

III. Quia dogma adversariorum de justificatione per justitiam Christi sola fide speciali apprehensam homines non retrahit à peccatis, sed eos potiùs facilitat ad peccandum: ergo non est dogma de fide salvifica sed de fide mortifera. Ant. prob. Stante hoc dogmate quilibet ad peccandum tentatus potest intra se dicere: *Etsi consentiam in peccatum, statim dein eliciam actum fidei specialis, & iterum justificabor*: Ergo hoc dogma homines non retrahit à peccatis, sed potiùs facilitat ad peccandum; præsertim, quia juxta adversarios post reatum culpæ remissum nullus remaneat reatus pœnæ temporalis.

Ex quibus omnibus clarè vides, quòd dogma Lutheranorum & Calvinistarum de justificatione per solam justitiam Christi, sola fide speciali apprehensam, non sit dogma de fide salvifica, sed de fide mortifera. Sed

179 *Quæres 3.* Quænam possint objicere Lutherani & Calvinistæ?

℞. Præter illa, quæ supra cap. 6. & 7. fuerunt objecta & clarè soluta, hic specialiter possunt

possunt objicere I. Fides specialis non est actus falsus : ergo est justificativa. Ant prob. Christus Joan. 3. v. 16. dixit : *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam,* & consequenter sit justus ; quæ propositio est revelatio universalis : atqui revelatio universalis sufficit ad credenda particularia ; ùt communiùs docent etiam Theologi Catholici : ergo, qui credit in unum verum Deum, Trinitatem personarum, & in incarnationem Filii Dei, potest credere se per talem fidem esse justum ; adeoque fides specialis non est falsa, aut mortifera.

II. Saltem fideles, qui experimentaliter sciunt, se diligere Deum, & proximum propter Deum, possunt in particulari & fide speciali credere, se esse justos ; & quidem fide Divina, vera, & supernaturali : ergo talis fides specialis non est falsa, aut mortifera. Ant. prob. S. Joannes 1. Epist. 3. v. 14. ait : *Nos scimus, quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Et 4. à v. 12. *Si diligimus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta est. In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis:* Ergo saltem fideles, qui experimentaliter sciunt, se diligere Deum & proximum propter Deum, possunt credere se esse justos. Con. prob. Quòd nos maneamus in Deo, & Deus

in nobis non possumus aliter cognoscere nisi per fidem: ergo.

III. Apostolus ad Romanos 8. v. 16. inquit: *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus Filii Dei:* ergo verè fidelis, saltem qui experimentaliter scit, se diligere Deum & proximum propter Deum, potest, & debet fide Divina credere, se esse Filium Dei adoptivum, seu justificatum. Con. prob. Hoc testimonium Spiritûs S. est revelatio Divina: atqui revelationi Divinæ debemus credere fide Divina: ergo.

IV. Apostolus l. c. v. 38. subdit: *Certus sum, quia neque mors neque vita . . neque creatura alia nos poterit separare à charitate Dei, quæ est in Christo JEsu Domino nostro:* ergo Apostolus certitudine fidei Divinæ credidit se esse in charitate Dei & justificatum. Con. prob. Apostolus alia certitudine non potuit scire, se esse in charitate Dei supernaturali, & justificatum, quàm certitudine fidei Divinæ: ergo.

V. Idem Apostolus 1. ad Corinth. 2. v. 12. ait: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum Dei, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ donata sunt nobis:* atqui iste spiritus est revelatio Dei de præsenti justificatione fidelium & futura eorum beatitudine propter merita Christi: ergo.

VI. Idem

VI. Idem Apoſtolus Paulus 2. ad Corinth. 13. v. 5. monet fideles: *Vosmetipſos tentate, ſi eſtis in fide. An non cognoſcitis vosmetipſos, quia Chriſtus JEſus in vobis eſt? niſi fortè reprobi eſtis:* ergo reprobi ſunt, qui per fidem non agnoſcunt ſe eſſe in fide & gratia Chriſti; econtra quotquot juſti ſunt, hoc agnoſcunt per fidem.

VII. Fides ſpecialis de juſtificatione præſenti & futura gloria ex ſola miſericordia Divina ſolisque meritis Chriſti parit firmam ſpem & perfectam charitatem Dei: ergo non eſt fides mortifera, ſed ſalvifica. Ant. patet ex Apoſtolo, qui ad Rom. 5. v. 5. ait: *Spes autem non confundit; quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Con. etiam conſtat; quia charitas Dei perfecta etiam in ſententia Catholicorum juſtificat.

VIII. Etiamſi talis fides ſpecialis de juſtificatione præſenti & futura gloria ex ſola miſericordia Divina ſolisque meritis Chriſti eſſet falſa, tamen poteſt parere in hæreticis materialibus & pientioribus ſpem & charitatem Dei ſupernaturalem: ergo talis fides ſaltem in ſimilibus hæreticis non eſt mortifera, ſed potiùs ſalvifica. Ant. patet; quia ad actum ſupernaturalem voluntatis non requiritur, ut ille ſit verus, ſed ſolùm, ut fiat ex motivo purè honeſto & ſupernaturali.

IX. Fi-

IX. Fiducia specialis modernorum Lutheranorum non est omninò absoluta : ergo non est præsumptosa, & mortifera, sed potest esse supernaturalis & salutifera. Ant. prob. Lutherani, post editum librum Concordiæ anno 1580. in Summario articulor. Controvers. titulo de bonis operib. communiter dicunt, quòd ad fidem vivam requirantur bona opera tanquam fructus fidei ; licèt illa non mereantur justificationem & vitam æternam : ergo fiducia Lutheranorum in sola misericordia Dei, & justitia Christi fide apprehensa, non est omninò absoluta

X. Fiducia in propriis meritis est magis præsumptuosa quàm fiducia in sola misericordia solisque meritis Christi : ergo potiùs fiducia Catholicorum, quàm Lutheranorum, est præsumptuosa, peccaminosa & mortifera. Ant. prob. Magis præsumit, qui confidit in meritis propriis, quàm qui confidit in sola misericordia Divina & meritis Christi : ergo.

180 ℞. *ad 1.* n. ant. nam fides specialis omninò absoluta de justificatione in particulari sine speciali revelatione Divina est falsa ; item falsum est, quòd formaliter justificemur per justitiam Christi sola fide apprehensam ; uti patet ex dictis supra cap. 6. per totum. Ad prob. d. maj. Hæc revelatio est universalis conditionata ; c. maj. absoluta ; n. maj. d.

min. ſed revelatio univerſalis abſoluta ſufficit ad credenda particularia, præſertim quæ in illa certò continentur; c. min. revelatio univerſalis ſolùm conditionata, & ſi particularia in illa ſolùm conjecturaliter continentur; n. min. & con. Hæc revelatio univerſalis eſt ſolùm de fide ſupernaturali viva & efficaci, *quæ per charitatem operatur*; adeoque eſt virtualiter & implicitè conditionata. Unde Chriſtus Matth. 7. v. 21. dixit: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt.* Quòd autem ad credenda particularia fide abſoluta non ſufficiat revelatio univerſalis conditionata, quando illa in hac ſolùm probabiliter & conjecturaliter continentur, eſt communis ſententia Theologorum; cùm fides Divina abſoluta debeat eſſe ſuper omnia firma.

Ad 2. Dico hoc argumento Lutheranos ſua caſtra de juſtificatione per ſolam fidem deſerere, & ad caſtra Catholicorum de juſtificatione per charitatem &c. recurrere. In forma n. ant. quia nemo in particulari fide Divina & ſuper omnia firma poteſt credere, ſe eſſe coram Deo juſtum, niſi ei hoc ſit ſpecialiter revelatum. Ad prob. explico utrumque textum: Nos ſcimus fide generali, quia translati ſumus de morte ad vitam &c. c. ant. ſcimus fide ſpeciali præſertim abſoluta; n. ant.

&

& con. S. Joannes ll. cc. non loquitur de fide Divina speciali, quæ deberet haberi per revelationem Divinam specialem, sed loquitur de certitudine morali & conjecturali, quæ habetur per effectus justitiæ: qualis effectus specialiter est dilectio proximi pura & efficax propter Deum. Hanc autem certitudinem moralem & conjecturalem non possunt habere omnes: sed solùm pii, qui servant mandata Dei, & proximum diligunt purè & efficaciter propter Deum.

Ad 3. explico textum: Spiritus Sanctus reddit testimonium spiritui nostro, quòd sumus filii Dei in communi; c. ant. quòd sumus filii Dei in particulari; subd. quòd sumus filii Dei absolutè & certò; n. ant. quòd sumus filii Dei conditionatè & conjecturaliter; c. ant. & sub distinctione n. con. Duplex potest esse testimonium Spiritus Sancti de nostra justificatione: Unum datur per revelationem Divinam & Verbum Dei expressum de justificatione & adoptione hominum in filios Dei generale, si credant in Deum & Christum, eumque ament, aut infantes ritè baptizenter: Et huic testimonio generali sub his conditionibus saltem implicitis debemus credere. Alterum est testimonium Spiritûs Sancti speciale & minùs strictè tale per experimentalem quendam affectum & motionem: quam Apostolus l. c. appellat spiritum nostrum.

Por-

Porrò hoc poſterius teſtimonium non efficit, ut quis in particulari poſſit certò ſcire, aut fide Divina abſolutè credere, ſe moveri à Spiritu Sancto, & eſſe filium Dei: quia quandoque intercurrit philautia, ſeu amor proprius naturalis, ad Deum amandum, & ſub tali amore ſpiritus malus poteſt ſe transfigurare in Angelum lucis. Quod facillimè poteſt contingere, quando quis diligit Deum propter falſam fidem ſpecialem & præſumptuoſam fiduciam, qua putat, ſe juſtificari ex ſola miſericordia Divina & meritis Chriſti abque propria cooperatione & merito per gratiam; nam talis amor Dei, cum oriatur ex falſis principiis, eſt inordinatus & ſolùm naturalis.

Ad 4. c. ant. n. con. nam Apoſtolus l. c. non loquitur de certitudine fidei Divinæ ſpecialis, ſed de certitudine morali, quæ habetur ex ſignis & conjecturis: in Græco quippe textu (uti etiam ex adverſariis in noviſſima editione Amſtelodamenſi de anno 1710. cum Joanne Millio refert Ludolphus Kuſterus) habetur verbum πέπεισμαι, id eſt, *perſuaſus ſum*, ſeu confido. Unde etiam S. Ambroſius in locum citatum Apoſtoli, & S. Hieronymus in Epiſt. ad Algaſiam quæſt. 9. non legunt *certus ſum*, ſed *confido*. Imò ipſemet Apoſtolus in eadem Epiſt. cap. 15. v. 14. utitur eodem verbo, dum dicit: *certus ſum fratres mei, quoniam pleni eſtis dilectione*: ubi non vult dicere,

ſe

se habere certitudinem fidei de dilectione Romanorum, sed solùm persuasionem moralem. Præterea Apostolus Paulus, in tertium cælum raptus, de sua justificatione & prædestinatione probabiliùs habuit revelationem specialem; sicut eam habuerunt alii Apostoli, juxta illud Christi Lucæ 10. v. 20. *Gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis.* Licèt igitur Paulus cum reliquis Apostolis potuerit fide Divina credere, se esse justificatum, aut prædestinatum, hoc tamen non possunt credere Lutherani & Calvinistæ; quia hi de neutro habent specialem revelationem Divinam.

Ad 5. c. maj. d. min. atqui iste spiritus est revelatio Dei generalis & sub conditione dilectionis supernaturalis & perseverantiæ finalis; c. min. est revelatio Dei specialis & absoluta; n. min. & sub eadem distinctione n. con. Quòd revelatio Divina de justificatione & æterna beatitudine pro sua conditione non habeat solam fidem, sed etiam dilectionem Dei supernaturalem, satis clarè innuit Apostolus l. c. v. 9. dicens: *Oculus non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum. Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum.* Et clarissimè 1. ad Corinth. 13. v. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum . . nihil mihi prodest.*

Ad 6. c. ant. n. con. nam Apoſtolus non dicit: *Vos ipſi certi eſtis de veſtra fide & remiſſione peccatorum, & creditis Chriſtum in vobis eſſe;* ſed longè aliter inquit: *Vosmetipſos tentate, ſi eſtis in fide: ipſi vos probate.* Ad quid autem deberent tentare & probare ſe eſſe in fide, ſi certi eſſent, ſe habere fidem ſupernaturalem, & per hanc eſſe juſtos. Præterea Apoſtolus l. c. non loquitur de Chriſto inhabitante in Corinthiis per gratiam ſanctificantem, ſed per potentiam & miracula, quæ apud ipſos fiebant; nam v. 3. præmſit: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus, qui in vobis non infirmatur, ſed potens eſt in vobis?* Unde hortatur Corinthios, ut tentent ſuam fidem, an firmiter credant in Chriſtum ejusque potentiam; non autem, ut illi fide ſpeciali credant ſe eſſe juſtos. Quinque ultimas objectiones jam ſupra cap. 7. à num. 76. propoſui, & ſolvi; cùm tamen hìc propter exegeſim Epiſtolæ Paſtoralis Celſiſſimi Archiepiſcopi Viennenſis de fide ſpeciali debuerit redire quæſtio, illas repetere volui.

Ad 7. d. ant. Fides ſpecialis de juſtificatione præſenti &c. parit firmam ſpem ordinatam & ſupernaturalem; n. ant. inordinatam & naturalem; c. ant. (eadem eſt diſtincto de charitate) n. con. Eadem eſt reſponſio & diſtinctio tam ad textum Apoſtoli pro antecedente quàm de doctrina Catholicorum pro con-

sequente citata. Licèt igitur spes ordinata & supernaturalis non confundat, & pariat charitatem Dei ordinatam & supernaturalem; spes tamen inordinata & naturalis, quæ oritur ex fide speciali falsa, confundit & parit charitatem Dei inordinatam naturalem & vitio philautiæ infectam.

Ratio hujus clara est: quia stante & prælucente fide falsa de immerito bonorum operum, & impunitate peccatorum hominis fidelis, dummodò iterum credat se justificari & salvari ex sola misericordia Divina propter merita Christi, homo ex connaturali influxu amoris proprii Deum diligit propter impunitatem peccatorum; adeoque Deum diligit inordinatè contra sanctitatem & justitiam Divinam vindicativam, & consequenter amore solùm naturali ac vitioso.

Ad 8. d. ant. tamen posset parere in hæreticis materialibus & pientioribus spem & charitatem supernaturalem, per se & stante se sola; n. ant. posset parere talem charitatem per accidens & stante simul fide vera, quòd Deus non solùm sit misericors sed etiam Sanctus & Justus; c. ant. d. con. ergo talis fides in hæreticis materialibus non est mortifera per se; n. con. per accidens; c. con. stante & prælucente sola fide speciali falsa de justificatione propria sine omni suo merito, & de impunitate præcedentium peccatorum, homo ex con-

connaturali influxu amoris proprii Deum ſimul diligit propter impunitatem ſuorum peccatorum contra ejus ſanctitatem & juſtitiam vindicativam; adeoque ſtante & prælucente ſola fide falſa ſpeciali etiam hæreticus materialis Deum diligit amore inordinato & ſolùm naturali, qui nequit eum juſtificare.

Ad 9. d. ant. Fiducia ſpecialis modernorum Lutheranorum non eſt omninò abſoluta, ita tamen, ut bona opera excludat à ratione meriti coram Deo, & innitatur miſericordiæ Divinæ de impunitate peccatorum hominis fidelis; c. ant. ſecùs; n. ant. & con. Ad prob. c. ant. & ſub priori diſtinctione n. con. Licèt Lutherani poſt editum Librum Concordiæ ab anno 1580. communiter dicant, quòd ad fidem vivam requirantur bona opera tanquam fructus fidei; negant tamen opera bona ullo modo mereri juſtificationem & vitam æternam; item negant Deum ullo modo punire peccata fidelium, ſed propter ſatisfactionem & ſatispaſſionem Chriſti ſola fide apprehenſam remittere omnem reatum culpæ & pœnæ: adeoque ſtante tali fiducia præſumptuoſa Deum diligunt propter impunitatem peccatorum, quæ tanquam motivum ſimul influit; talis amor autem eſt ſolùm naturalis & inordinatus, ſeu repugnans ſanctitati & juſtitiæ Divinæ vindicativæ. Taceo, quòd talis fiducia Lutheranorum non retrahat illos à pec-

catis, sed potiùs facilitet ad peccandum, & bonum omittendum; adeoque est naturalis & inordinata.

Ad 10. d. ant. Fiducia in propriis meritis naturalibus, & solis naturæ viribus absque influxu gratiæ Divinæ peractis, est magis præsumptuosa, quàm fiducia &c. c. ant. Fiducia in propriis meritis supernaturalibus, & cum influxu gratiæ Divinæ peractis; n. ant. & con. Ad prob. eadem est distinctio. Nos Catholici fiduciam primariam ponimus in misericordia Divina & infinitis meritis Christi, solumque secundariam in nostris meritis supernaturalibus, seu cum influxu gratiæ Divinæ peractis; adeoque nostra fiducia nullo modo est præsumptuosa; cùm includat nostram cooperationem & meritum secundarium. Econtra fiducia Lutheranorum in solam misericordiam Divinam & justitiam Christi, sola fide apprehensam, est præsumptuosa; cùm excludat nostram cooperationem, & meritum secundarium, quod à nobis sapientia sanctitas & justitia Divina requirit.

181 *Quæres 4.* An Celsissimus Archiepiscopus Viennensis voluerit, à Concionatoribus prædicari fidem specialem Lutheranorum?

℞. Celsissimus Archepiscopus Viennensis, dum in Sua Epistola Pastorali Concionatores admonuit, ut frequentiùs populo loquantur *de dogmatibus salvificæ fidei nostræ, de Christo ejus-*

que

ue meritis &c. nullatenus voluit, ab illis debere prædicari fidem ſpecialem Lutheranorum.

Reſponſio manifeſtè patet ex Illius Epiſtola Paſtorali; nam I. poſt ingreſſum hujus Epiſtolæ ait: *Compertum quidem nobis abundè eſt, Concionatorum noſtrorum quàm plurimos, Viros doctriná, prudentiá, zelo & ſpiritu Dei ubertim inſtructos, munere ſuo præclarè fungi;* adeoque manifeſtè laudat, & approbat, illorum conciones de Verbo Dei & fide ſalvifica: atqui nullus modernorum Concionatorum Viennenſium prædicavit fidem ſpecialem Lutheranorum: ergo Celſiſſimus non vult ab illis debere prædicari fidem ſpecialem Lutheranorum, ſed ſalvificam Catholicorum, quæ ab illis hucusque zelosè prædicata fuit.

II. Quia vult, ut Concionatores frequentiùs & ordinariè loquantur de neceſſariis, nempe *de præceptis Dei & Eccleſiæ, de dogmatibus ſalvificæ fidei noſtræ, de Chriſto ejusque meritis infinitis, de miſericordia & juſtitia Dei, de ſupernaturalibus pœnitentiæ motivis, de gravitate & horrore peccati, de fide, de ſpe, de charitate Dei & proximi, cæterisque neceſſariis;* quin unquam faciat vel minimam mentionem de fide ſpeciali, aut juſtificatione noſtra per juſtitiam Chriſti *ſola fide apprehenſam:* ergo vult, à ſuis Concionatoribus prædicari ſalvificam fidem Catholicam de Deo, de Chriſto, & bonis operibus, tam ab Eccleſia quàm Deo præceptis, tanquam ne-

necessariis ad justificationem & consequendam salutem: quæ omnia sunt contraria fidei speciali Lutheranorum, & justificationi putatitiæ per justitiam Christi sola fide speciali apprehensam.

III. Quia vult, ut Concionatores tam de necessariis, & à Deo aut Ecclesia præceptis, quàm de utilibus solùm, seu adiaphoris, ita populo loquantur, *ut sinceritas Catholicorum dogmatum suos semper inter limites salva consistat, & nè temere quid dicatur, quod inviolabilibus sanctæ Religionis nostræ fundamentis adversari videatur:* quæ omnia iterum sunt contraria fidei speciali Lutheranorum: ergo &c.

Taceo, quòd noster Celsissimus, Sapientissimus & Zelosissimus Archipræsul optimè sciverit, & sciat, fidem specialem Lutheranorum esse falsam, fiduciam specialem omninò absolutam in misericordiam Divinam & merita Christi sine nostris bonis operibus esse præsumptuosam, & utramque mortiferam. Quando igitur in Sua Epistola Pastorali præcepit, ut Concionatores frequentiùs populo proponant dogmata salvificæ fidei nostræ, fides & fiducia specialis Lutheranorum ab Ipsius mente & bona intentione extorris & longè aliena fuit.

Nec obstat, quòd Celsissimus in Sua Epistola Pastorali cum Petro Apostolo dicat de Christo: *In quo tamen solo oportet nos salvos fieri.*

Et

Et dein Christum appellet *fontem omnis gratiæ & causam unicam justificationis & salutis nostræ*: quia non loquitur comparativè ad nostra merita, quæ sunt causa moralis secundaria nostræ justificationis & salutis, sed comparativè ad Sanctos; uti manifestè patet ex ipsa Epistola Pastorali, & fusiùs declaravi supra cap. 14. num. 153. & 160.

Quæres 5. Qualis fides sit salvifica? 182

℟. Fides Catholicorum de Deo uno & tribus Personis, Filioque Dei propter nostram salutem Incarnato & Crucifixo, quæ per charitatem operatur, est salvifica. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum: neque hoc negant moderni Lutherani & Calvinistæ; quia concedunt, Catholicos posse in sua fide salvari.*

Responsio clarè patet I. ex S. Scriptura; nam Apostolus ad Galat. 5. v. 6. ait: *Nam in Christo JEsu, neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Et ad Rom. 5. v. 5. *Spes autem non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Eadem veritas abunde patet ex aliis textibus S. Scripturæ, & sanctorum Patrum, atque Conciliorum, supra cap. 7. relatis.

II. Constat ex Symbolo S. Athanasii, quod etiam Lutherani admittunt, & in libro Concordiæ post Symbolum Apostolorum & Symbolum Nicænum fol. 1. habent expressum; in quo dicitur v. 3. *Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate & Trinitatem in unitate veneremur &c.* Item v. penult. *Et, qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum.*

Ratio responsionis verò est: quia fides sine charitate, quæ est virtus præstantissima & finis legis, non justificat, & per charitatem justificat: ergo fides Catholicorum de Deo uno & tribus personis, Filióque Dei propter nostram salutem incarnato & crucifixo, viva & efficax, quæ per charitatem operatur, seu implet præcepta Dei, est fides salvifica.

183 *Quæres 5.* Qualis actus fidei, spei, & charitatis sit præcipuè eliciendus?

℞. *ad 1.* Actus fidei Christianæ & Catholicæ est præcipuè eliciendus de Deo uno & tribus Personis Divinis, ac Christo, seu Filio Dei propter nostram salutem incarnato & crucifixo. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam Lutheranorum, Calvinistarum, & aliorum modernorum hæreticorum contra Arianos, Nestorianos & Socinianos.*

Responsio patet I. ex S. Scriptura; nam Christus de credendo & prædicando Mysterio Sanctissimæ Trinitatis Matth. ultimo post-

quam

quam v. 18. dixisset: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*, à v. 19. subjungit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti: docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* De sua crucifixione verò propter nostram salutem Joan. 3. à v. 14. inquit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum* (nempe fide viva & efficaci, quæ per charitatem operatur) *non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et Joan. 17. v. 3. ante suam passionem Patrem rogavit, ut se clarificaret hominibus, & v. 3. subjunxit: *Hæc est autem vita eorum æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti JEsum Christum.* Unde etiam Paulus ad Rom. 3. de Christo ait: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius &c.*

II. Constat ex Symbolo Apostolorum, in quo ante omnia credendum nobis ab Apostolis proponitur Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & incarnatio ac passio Filii Dei. Idem constat ex Symbolo Nicæno, Symbolo S. Athanasii, & communi consensu aliorum Conciliorum & sanctorum Patrum, nec non interpretum S. Scripturæ. Inter quos ultimos Cornelius à Lapide Comment. in Joan. cap.

17. v. 3. præclarè ait: *Hæc claritas est cognitio Dei & Christi, quæ unica est via ad vitam æternam.*

Ratio responsionis verò est: quia actus fidei vivax & firmus de tanta bonitate & benevolentia Divina, qua Deus voluit Filium suum unigenitum pro nostra salute incarnari, & secundùm naturam humanam assumptam pro nostris peccatis satisfacere, satispati pro reatu pœnæ æternæ, & nobis mereri vitam æternam, est actus maximè aptus ad excitandam in voluntate spem & charitatem mutuam erga Deum: ergo talis actus fidei est præcipuè & frequenter eliciendus.

℞. *ad 2.* Actus spei Christianæ & Theologicæ pariter est præcipuè eliciendus propter prædictam bonitatem ac benevolentiam Divinam, & propter promissiones, quibus per Christum nobis Deus promisit gratias, remissionem peccatorum & vitam æternam. *Ita cum sanctis Patribus communis Catholicorum, & aliorum contra Arianos, Nestorianos, & Socinianos.*

Responsio patet I. ex S. Scriptura; nam Apostolus Paulus ad Rom. 8. v. 32. ait: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Et Apostolus Petrus 2. Epist. 1. à v. 2. inquit: *Gratia vobis & pax adimpleatur*

in

in cognitione Dei & JEſu Chriſti Domini noſtri: quomodò omnia nobis Divinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam & pietatem donata ſunt per cognitionem ejus, qui vocavit nos. Per quem maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini Divinæ conſortes naturæ. Idem patet ex aliis plurimis Scripturæ textibus.

II. Conſtat ex Concilio Tridentino, quod Seſſ. 6. cap. 16. ait: *Atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia Filiis Dei per JEſum Chriſtum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda.* Licèt igitur ad conſequendam vitam æternam requiratur noſtra cooperatio tanquam meritum ſecundarium; ſpes tamen primariò debet inniti bonitati miſericordiæ & benevolentiæ Divinæ ac infinitis meritis Chriſti.

Ratio reſponſionis verò eſt: quia actus ſpei, qui innititur bonitati, miſericordiæ, & benevolentiæ Divinæ, ac promiſſionibus Dei propter infinita merita Chriſti, eſt maximè aptus ad excitandam in nobis charitatem mutuam erga Deum & Chriſtum: ergo talis actus ſpei eſt præcipuè exercendus, ut pariat in nobis actum charitatis juſtificativum. Unde Apoſtolus ad Rom. 5. v. 5. de tali ſpe ait: *Spes autem non confundit; quia charitas Dei diffu-*

ſa

sa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.

℞. *ad 3.* Actus charitatis non solùm debet esse actus simplicis complacentiæ & benevolentiæ de perfectionibus Divinis essentialibus sed etiam amor mutuus Dei propter ejus bonitatem, benevolentiam & amorem, quo ita dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret &c. *Ita cum sanctis Patribus D. Thomas 2. 2. q. 23. a. 1.*

Responsio clarè satis colligitur I. ex S. Scriptura; nam Christus Joan. 3. v. 16. nos admonuit ad hunc amorem mutuum Dei propter ejus benevolentiam, & præcedentem amorem, dicens: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum* (nempe fide viva & efficaci, quæ per charitatem operatur) *non pereat, sed habeat vitam æternam.* Unde v. 19. subdit: *Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* Et S. Joannes 1. Epist. 4. v. 19. ex charitate, qua *Deus prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris,* infert: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* Eadem est obligatio diligendi Christum propter ejus amorem, ex quo nos redemit; juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 16. v. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum JEsum Christum, sit anathema, Maran Atha.*

II. Con-

II. Conſtat ex ſanctis Patribus, inter quos S. Auguſtinus tom. 6. lib. de catechizandis rudibus cap. 4. col. 267. num. 8. ait: *Si ergo maximè propterea Chriſtus advenit, ut cognoſceret homo, quantum eum diligat Deus; & ideò cognoſceret, ut in ejus dilectionem, à quo prior dilectus eſt, inardeſceret . . omnis Scriptura Divina, quæ ante ſcripta eſt, ad prænuntiandam adventum Domini ſcripta eſt; & quidquid poſtea mandatum eſt literis, & Divina authoritate firmatum, Chriſtum narrat, & dilectionem monet.*

Clariſſimè verò noſtram reſponſionem docet Doctor Angelicus l. c. dicens: *Sed nec benevolentia ſufficit ad rationem amicitiæ, ſed requiritur quædam mutua amatio; quia amicus eſt amico amicus: talis autem mutua benevolentia fundatur in aliqua communicatione*, nempe bonorum, *cùm ergo ſit aliqua communicatio hominis ad Deum, ſecundùm quod nobis ſuam beatitudinem communicat, ſuper hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundori . . Amor autem ſuper hanc communicationem fundatus eſt charitas.*

Ratio reſponſionis verò eſt: quia ad amorem Dei perfectum conſtantem & practicum non poſſunt nos tam efficaciter movere perfectiones Divinæ eſſentiales, & bonitas ac beatitudo Dei ad intra, ſe ſolis, quàm ſimul cum benevolentia Divina, qua Deus nos vult ſecum in æternum beare, & in ordine ad hoc voluit, Filium ſuum incarnari, pro noſtris

nostris peccatis satisfacere, & nobis mereri beatitudinem æternam: ergo actus charitatis non solùm debet esse actus simplicis complacentiæ & benevolentiæ de perfectionibus Divinis essentialibus, sed simul amor mutuus Dei propter ejus benevolentiam, qua ita dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret &c. Ant. patet; quia voluntas humana nequit perfectè, constanter & practicè amare Deum tanquam bonum summè perfectum, nisi secundariò simul amet se ipsam tanquam subjectum perfectibile, & finem cui Deo subordinatum.

De his tribus actibus jam in antecedentibus idem respectivè dixi; hic tamen repetere volui, ut magis constet, quidnam Celsissimus Archiepiscopus intendat, dum in Sua Epistola Pastorali Concionatores admonet, ut populo frequentiùs proponant dogmata fidei salvificæ & loquantur de fide, spe, & charitate. Igitur.

184 *Quæres 6*. Quidnam per dogmata fidei salvificæ intellexerit Celsissimus Archiepiscopus Viennensis?

℞. Per dogmata salvificæ fidei nostræ, quæ Ille in Sua Epistola Pastorali præcepit frequentius prædicari, intellexit dogmata de præcedente actu fidei, spei & charitatis Dei efficaci, aliisque actibus virtutum necessariis.

Re-

Reſponſio patet ex Epiſtola ſæpius laudata, in qua dogmata ſalvificæ fidei noſtræ ait eſſe *de Chriſto ejusque meritis infinitis, de miſericordia & juſtitia Dei, de ſupernaturalibus pœnitentiæ motivis, de gravitate & horrore peccati, de fide, de ſpe, de charitate Dei & proximi, cæterisque neceſſariis.*

Primò igitur noſter Archipræſul vult, ut à Concionatoribus populo frequentiùs proponantur dogmata fidei Catholicæ *de Chriſto ejusque meritis infinitis*, ſeu de incarnatione & paſſione Filii Dei propter noſtram redemptionem, juſtificationem, & æternam ſalutem. Et quidem jure merito; nam Chriſtus ipſemet Joannis 17. v. 1. ante ſuam paſſionem Patrem pro clarificatione ſui rogavit, & v. 3. ſubjunxit: *Hæc eſt autem vita eorum æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, &, quem miſiſti, JEſum Chriſtum.*

Secundò, ut frequentius proponantur dogmata *de miſericordia & juſtitia Dei*; & quidem tam de miſericordia & juſtitia Dei univerſali, qua voluit Filium ſuum incarnari, & pati, ut ei pro noſtris peccatis per pretium ſanguinis Chriſti de condigno ſatisfieret; juxta illud Apoſtoli ad Rom. 3. v. 25. *Quem propoſuit Deus per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum.* Quàm de miſericordia & juſtitia Dei particulari, qua Deus vult omnes homines ad agni-

tionem veritatis venire, ad pœnitentiam reverti, &, nisi hoc cum illius gratia præstent, in æternum punire.

Tertiò vult, ut populo sæpius proponantur dogmata *de supernaturalibus pœnitentiæ motivis, de gravitate & horrore peccati.* Similia autem motiva præcipuè sunt 1. quòd peccata tantopere displiceant sanctitati Divinæ, ut ad hæc tollenda voluerit Filium suum unigenitum incarnari, & pro illis secundùm naturam humanam amaram mortem crucis pati. 2. Quòd peccatum mortale inducat odium inimicitiæ Divinæ, sitque offensa Dei personalis, pro qua pura creatura nequit de condigno satisfacere. 3. Quòd peccatum mortale inducat reatum pœnæ æternæ & separationem æternam ab ultimo fine, seu à Deo & æternæ beatitudine, nisi deleatur per pœnitentiam.

Quartò tandem vult, ut populo frequentiùs proponantur dogmata *de fide, de spe, de charitate Dei & proximi, cæterisque necessariis* nempe ad salutem. Inter quæ necessaria numerat credere *Verbo Dei scripto & non scripto,* & observare *præcepta Dei & Ecclesiæ.* Quando igitur Celsissimus Archiepiscopus in Sua Epistola Pastorali loquitur *de dogmatibus salvificæ fidei nostræ,* & fidei Lutheranorum speciali falsæ est fiduciæ eorum inordinatæ ac morti-

feræ

feræ è diametro contrarius & ab his prorſus alienus. Pro coronide hujus controverſia.

Quæres 7. Quænam ſint pœnæ docentium 185
fidem mortiferam, aut abutentium S. Scripturâ?

℞. *ad 1.* Pœnæ hæreticorum docentium fidem mortiferam ſunt præcipuè duæ, nempe in præſenti vita cæcitas mentis & in futura ſupplicium æternum. *Ita cum S. Auguſtino & aliis Patribus Catholici Doctores communiter.*

Reſponſio patet ex S. Scriptura; nam Chriſtus de hæreticis ſolam fidem prædicantibus & legem ſolventibus Matth. 7. à v. 21. ait: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt. Multi dicent mihi in illa die, Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus . . Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos: diſcedite à me, qui operamini iniquitatem.* In quem locum S. Chryſoſtomus apud Cornelium à Lapide ait: *Tunc, quando ſingulorum opera loquentur, & ora tacebunt.* Et S. Hilarius: *Regnum enim cœlorum ſola verborum officia non obtinent . . de noſtro eſt beata æternitas promerenda, præſtandúmque aliquid de proprio;* nempe cooperatio cum gratia Dei & meritum ſecundarium. De cæcitate noviſſimorum verò hæreticorum, qui *voluptatum amatores ducunt mulierculas,* prædixit Paulus 2. Timoth. 3. v. 8. *Quemadmodum autem Jannes &*

Mambres restiterunt Moysi; ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.

II. Constat ex sanctis Patribus priùs citatis & S. Augustino, qui tom. 2. Epist. 264. col. 894. de hæreticis ait: *Comparant sibi illi sua voluntate perversa & præsentis meritum cæcitatis, & futuri æterni supplicii; si per contumaciam indociles fuerint, seque, cum in hac vita sunt, corrigere atque emendare neglexerint.*

Ratio responsionis verò est I. de excæcatione mentis in hac vita: quia docentes & prædicantes fidem mortiferam Lutheranorum & Calvinistarum ordinariè non habent alium panem nisi ex officio, voluptuosè adhærent suis uxoribus, aliisque commoditatibus hujus vitæ; adeoque propter hæc & similia resistunt veritati, & in pœnam à Deo permissivè excæcantur in fide.

II. De pœna æterna ratio est: quia docentes & prædicantes talem fidem mortiferam suis auditoribus ingerunt præsumptuosam fiduciam in solam misericordiam Divinam propter satisfactiones, satispassiones & merita Christi, seu propter hujus justitiam sola fide speciali apprehensam; nobisque imputatam adeoque illos non satis revocant à peccatis & faciunt impœnitentes: hoc autem est ingens delictum, pœnâ & suppliciô æternô dignum: cùm non solùm se ipsos sed etiam populum secum in æternam damnationem præcipitent.

℞. *ad*

℞. *ad 2.* non solùm hæreticorum, qui S. Scripturam *depravant ad suam ipsorum perditionem* (2. Petri 3. v. 16.) sed etiam Catholicorum, qui illa abutuntur, aut eam in alienum sensum detorquent, delicto proportionata est pœna. *Ita sancti Patres, & Interpretes communiter in locum citatum.*

Responsio patet ex diversis Patribus, ex quibus solùm adduco Tertullianum & S. Augustinum; quorum prior de Præscriptionibus cap. 17. ait: *Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum corruptor stylus.* S. Augustinus verò tom. 3. part. 2. tract. 18. in Joann. col. 430. inquit: Neque enim natæ sunt hæreses . . nisi *dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene; & quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur.* Plura de abusu S. Scripturæ videre licet apud Cornelium à Lapide Procœmio in Minores Prophetas pag. 7. & Commentario in 2. Epist. Petri cap. 3. v. 16. pag. 409.

Unde etiam Celsissimus Archiepiscopus Viennensis in quosdam Concionatores, qui rariùs de dogmatibus fidei salvificæ loquuntur, & prædicant Verbum Dei ùt verbum hominum, & non sicut est verè Verbum Dei, jure merito invehitur his verbis: *Qua autem ratione exspectationi tot animarum, quæ esuriunt & sitiunt justitiam, satisfaciet Concionator ille, ex cujus ore non nisi themata ineptissimos in fronte ti-*

tulos præferentia, inanes & ſicciſſimi conceptus, ludicra imò ſcandaloſa Poetarum commenta, audaces & inſulſæ metaphoræ, vaniſſimi verborum luſus, & temerariæ Sacrarum Scripturarum detorſiones, expoſitiones, applicationésque procedunt?

186 *Quæres 8.* Quænam ſint præmia docentium & prædicantium fidem ſalvificam?

℞. Præmia bona intentione & zelo animarum docentium & populo prædicantium dogmata veræ fidei ſalvificæ ſunt vita æterna & gloria ſpecialis. *Ita cum ſanctis Patribus Theologi communiter.*

Reſponſio patet ex S. Scriptura; nam Danielis 12. v. 3. dicitur: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Unde Theologi Catholici communiter docent, quòd ſimiles Doctores practici, qui ad juſtitiam erudiunt multos, etiam in corpore glorioſo ſint poſt reſurectionem in cælo habituri aureolam Doctorum, ſeu lumen glorioſum in corpore ſpeciale ad æternam diſtinctionem; juxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 15. v. 41. *Stella enim à ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum.*

Ratio reſponſionis verò eſt: quia Concionatores, qui frequenter & zeloſè populo proponunt dogmata fidei ſalvificæ, cauſant ingentem fructum animarum apud ſuos auditores; adeoque, ſi hoc faciant ex amore Dei &

& ſalutis ſpiritualis proximi, habent ingens meritum ſui laboris Apoſtolici. Nè tamen Concionatores zeloſi hoc ſuum meritum perdant, non ſolùm debent ſuis auditoribus præbere exemplum bonorum operum, ſed etiam ſtudere humilitati, & conſiderare illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 3. v. 7. *Neque, qui plantat, eſt aliquid, neque, qui rigat, ſed, qui incrementum dat, Deus.* Et tunc verificabitur, quod Paulus l. c. v. 9, ſubjungit: *Unusquisque autem accipiet mercedem ſecundùm ſuum laborem. Dei enim ſumus adjutores*, nempe per ejus gratiam; ùt ulterius docet Apoſtolus l. c.

Porrò Apoſtolus Paulus l. c. duo docet, quibus Epiſtola Paſtoralis eſt omninò conformis; I. à v. 11. dicit: *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus JEſus. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum &c.* Cui Apoſtolicæ doctrinæ conformia ſunt ſequentia verba Epiſtolæ Paſtoralis: *Utile erit de laudibus & invocatione Sanctorum diſſerere, ita tamen, ut auxeſibus nimiis ſuperſedeatur, aut, quod errorem atque impietatem ſaperet, qui Interceſſores ſolummodò ſunt, unico Mediatori noſtro Chriſto pares imò ſuppares deprædicentur &c.*

II. Apoſtolus l. c. v. 19. ait: *Sapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum.* Cui Apoſtolicæ ſententiæ conformia ſunt hæc verba ejusdem Epiſtolæ: *Munere ſuo haud quaquam fun-*

guntur Concionatores illi, qui toti sunt in eo, ut comptulâ nimis aut vanâ & ludicrâ dicendi ratione aures plebis demulceant, non corda percellant: qui gentium Apostolo è diametro oppositi, nihil minùs sciunt, quàm JEsum Christum, & hunc Crucifixum.

Cùm verò Lutherani aliqui (inter quos primarius est quidam Anonymus, qui præcedente anno 1753. Gothæ Saxonum aliquot pagellas typis Christiani Mevii evulgavit) non solùm salutarem Epistolam Pastoralem Celsissimi S. R. I. Principis & Archiepiscopi Viennensis falsè in suum favorem interpretentur, sed etiam Sacræ Romanæ Ecclesiæ & Catholicis diversas calumnias inferant; hinc pro coronide meæ Exegesis sit.

CAPUT XVII.

De calumniis à quodam Anonymo Lutherano præcedente anno 1753. Sacræ Romanæ Ecclesiæ, Celsissimo Archiepiscopo Viennensi, aliisque Catholicis, falsè illatis.

SUMMARIUM.

187. *De libello hujus Anonymi, & calumniis ab isto Ecclesiæ Romanæ &c. illatis.*

188. *In quibus Lutherani cum Catholicis conveniant, & in quibus differant circa nostram justificationem per merita Christi?*

189. *Ecclesia Apostolica & Catholica semper docuit, homines justificari & salvari per merita*

rita Christi; dependenter tamen à nostra cooperatione & merito secundario adultorum.

190. *Nostrum meritum supernaturale & secundarium optime cohæret cum justificatione & salute ex meritis Christi, tanquam causæ primariæ.*

101. *Quidnam specialiter objiciat Anonymus?*

192. *Epistola Pastoralis Celsissimi Archiepiscopi Viennensis circa nostram justificationem est omninò conformis Ecclesiæ Catholicæ, & contraria Sectæ Lutheranorum.*

193. *Proponuntur & solvuntur quædam objectiones Anonymi.*

194. *In Ecclesia Romano-Catholica infantes & juvenes satis instruuntur in articulis substantialibus fidei Christianæ & nostra justificatione per merita Christi.*

195. *Errores quorundam simplicium Catholicorum non proveniunt ex falsis dogmatibus Ecclesiæ Romanæ, aut erronea doctrina Concionatorum, sed ex ignorantia & excessu pietatis talium simplicium.*

196. *Quænam possint objici in contrarium?*

197. *Hæc clarè solvuntur.*

198. *Doctrina Ecclesiæ Romano-Catholicæ & Scholasticorum de nostra justificatione est clara & Apostolicæ doctrinæ omninò conformis; Lutheranorum verò huic contraria.*

199. *Quidnam præcipuè contineat libellus famosus Anonymi?*

200. Quænam sint præcipua ejus mendacia.
201. Præmium Anonymi & Prædicantium fidem mortiferam.

187 QUæres *1.* Qualis sit libellus hujus Anonymi, & quas calumnias contineat?

℞. *ad 1.* Libellus hujus Anonymi sunt pagellæ triginta aliquot foliorum, in Lingua Germanica anno præcedente 1753. Gothæ Saxonum editæ typis Christiani Mevii: in quibus non solùm extat Epistola Pastoralis Celsissimi Archiepiscopi Viennensis, sed etiam ejusdem Demonstratio Synthectica, utraque tam in idiomate Latino quàm Germanico, in 50. §§. cum annotationibus hujus Anonymi distributa.

De hoc libello in Novellis Lipsiensibus Eruditorum de anni præcedentis die 18. Octobris sequens extat Germanica relatio: *Gotha.* Allhier ist in Verlage Christian Mevius folgend gelehrte Schrift zum Vorschein gekommen: Schrift- und Vernunft-mäßige Apostolisch-Catholische Anmerckungen über den in dem Jahr 1752. in seinen ersten Lateinischen Laut, und in das Teutsche übersetzt, heraus gegeben so genannten gründlichen Beweiß, daß die Ermahnung, welche von Ihro Fürstl. Gnaden, dem Hochwürdigsten Ertz-Bischoff zu Wienn, durch den Hirten-Brief von 2. Jenner 1752. an deroselben Geistlich-

keit

keit ergangene nöthig, richtig und weißlich eingericht sey: entworffen von einen Jesum Ewig Verehrenden Bekenner der Evangelischen Warheit. Igitur sub his quatuor literis J. E. V. B. latet noster Anonymus, & in prædictis Novellis Eruditorum à Typographo Mevio, aut alio Cicerone Lutherano, pro domo sua multùm laudatur: qualem laudem verò re ipsa mereatur, patebit ex decursu hujus capitis ultimi.

℞. *ad 2.* Calumniæ, quas in hoc suo libello Ecclesiæ Romanæ, Celsissimo Archiepiscopo Viennensi, & nobis Catholicis Anonymus intulit, sunt præcipuè tres sequentes. I. Ecclesiam Romano - Catholicam §. 4. & deinceps non solùm vocat Ecclesiam *particularem*, sed etiam ait, illam in dogmatibus de nostra justificatione per merita Christi defecisse à doctrina Apostolica & Catholica; eò quod Romana Ecclesia asserat, nos secundariò simul justificari & salvari ex nostris meritis supernaturalibus: uti præcipuè ratiocinatur §. 8. pag. 81.

II. Calumnia Celsissimo Archiepiscopo illata est, quòd ibidem pag. 82. & seqq. Illius Epistolam dicat esse doctrinæ Lutheranorum de justificatione & salute ex pura misericordia Divina & solis meritis Christi perfectè conformem. Et §. 12. pag. 157. concludat Celsissimum Archiepiscopum Viennensem in Sua

Epistola Pastorali in sex punctis de adiaphoris esse doctrinæ Lutheranorum contrarium; in doctrina verò de nostra justificatione magis cum illis quàm cum moderna Romana Ecclesia convenire.

III. Ingens calumnia, quam omnibus Catholicis infert, est, quòd §. 39. pag. 265. dicat, illos sua turpi opinione sanguinea merita Christi hodiedum in Romano-Catholica Ecclesia inhonorare. Ut igitur has ingentes injurias solidè rejiciam.

188 *Quæres 2.* In quibus Lutherani in doctrina de nostra justificatione cum Catholicis conveniant, & in quibus differant?

℞. *ad 1.* Lutherani & Catholici conveniunt contra Pelagianos & Semipelagianos aliosque hæreticos *primò* in hoc, quòd homo nullum opus salutare possit ponere sine gratia supernaturali, à Deo nobis propter merita Christi collata: uti fusè ostendi tract. 7. cap. 9. & 10. *Secundò* in hoc, quòd omnis gratia supernaturalis nobis à Deo detur propter merita Christi, & nullum peccatum nobis remittatur nisi propter merita Christi; ùt dixi supra cap. 14. num. 155. *Tertiò*, quòd ex meritis Christi omnes Beati & Electi acquirant vitam æternam; uti pariter dixi citato cap. 14. num. 159.

℞. *ad 2.* Lutherani à nobis Catholicis in doctrina de nostra justificatione præcipuè differunt

ferunt in duobus ſequentibus punctis; *Primò*, quòd illi dicant, nos *formaliter* juſtificari per juſtitiam Chriſti ſola fide apprehenſam, & fidelibus à Deo extrinſè imputatam; econtra nos Catholici dicamus, nos *cauſaliter* juſtificari per juſtitiam Chriſti, & *formaliter* per qualitatem nobis intrinſecam, ſeu per habitum charitatis nobis à Deo infuſum & jus adoptionis in nobis reſultans ex promiſſione Divina & meritis Chriſti: uti omnia fuſiùs patent ex dictis ſupra cap. 6. & cap. 13. *Secundò*, quòd Lutherani dicant, noſtra opera etiam ſupernaturalia & per gratiam Chriſti elicita nullo modo mereri juſtificationem, hujus augmentum, & vitam æternam: econtra nos Catholici dicamus, ſimilia opera ſupernaturalia ſecundariò mereri juſtificationem, hujus augmentum, & vitam æternam; quamvis hæc nobis à Deo tribuatur primariò propter merita Chriſti infinita; uti dixi ſupra cap. 7. & alibi.

Quæres 3. An hoc ultimum ſemper docue- 189
rit Eccleſia Apoſtolica & Catholica?

℞. Eccleſia Apoſtolica & Catholica ſemper docuit, homines juſtificari & ſalvari per infinita merita Chriſti, dependenter tamen à noſtra cooperatione cum gratia & merito ſecundario adultorum. *Ita omni tempore communis Catholicorum contra diverſos hæreticos, & ſpecialiter contra Anonymum pag. 81.*

Reſpon-

Responsio abundè constat ex textibus S. Scripturæ, sanctorum Patrum, & Conciliorum, relatis supra cap. 6. 9. & 10. Si quis autem longiorem seriem textuum S. Scripturæ & Patrum pro hac Apostolica & Catholica veritate, semper in Ecclesia Christi perseverante, videre cupit, legat Jodocum Coccium in Thesauro Catholico tom. 2. lib. 3. ubi, postquam pro necessitate nostri meriti ad justificationem & vitam æternam plurimos S. Scripturæ textus retulisset, dein à pag. 227. pro eadem veritate ex Græcis quinquaginta tres refert Patres & Doctores in singula sæcula à tempore Apostolorum distributos: & dein à pag. 234. ex Latinis septuaginta sex Patres & Doctores à tempore Apostolorum usque ad annum 1500. pariter per singula sæcula distributos.

Iste insignis & laboriosus vir, quamvis fuerit à Lutheranis parentibus natus, & in Secta Lutheri exactè eruditus de justificatione ex sola misericordia Dei & solis meritis Christi, fide speciali apprehensis; hunc tamen errorem esse Ecclesiæ Apostolicæ & Catholicæ contrarium agnovit, ad gremium Romanæ Ecclesiæ rediit, & postea Canonicus Juliacensis factus magnum suum opus laboriosè composuit, & Thesaurum Catholicum appellavit.

Ex quibus omnibus collectivè ſumptis clarè patet, quòd malevolus Anonymus Eccleſiæ Romanæ ingentem intulerit calumniam, dum ll. cc. illam appellat Eccleſiam *particularem*, & mendaciter ait, illam defeciſſe ab Eccleſia Apoſtolica & Catholica; eò quod aſſerat, nos ſecundariò ſimul juſtificari & ſalvari ex noſtris meritis ſupernaturalibus cum gratia Divina, ex meritis Chriſti nobis collata, peractis. Imò, cùm à tempore Apoſtolorum circa juſtificationem & ſalutem agnoverit, & hodiedum agnoſcat, Eccleſia tam Græca quàm Latina noſtrum meritum ſecundarium per opera bona ſupernaturalia, manifeſtum eſt, quòd Lutherani & Calviniſtæ, rejicientes tale meritum, receſſerint ab Eccleſia Apoſtolica & Catholica; uti fuſiùs monſtravi ſupra cap. 5. ubi retuli diverſos errores hæreticorum de bonis operibus, quos ipſi Apoſtoli rejecerunt.

Quæres 4. An noſtrum meritum ſupernaturale cohæreat cum juſtificatione & ſalute noſtra ex meritis Chriſti? 190

℞. Noſtrum meritum ſupernaturale & ſecundarium optimè cohæret cum juſtificatione & ſalute noſtra ex meritis Chriſti, tanquam cauſæ primariæ. *Ita cum ſanctis Patribus communis Catholicorum, imò etiam Rhutenorum, aliorumque contra Lutheranos & Calviniſtas, & ſpecialiter contra Anonymum pag. 81.*

Re-

Responsio clarè patet ex S. Scriptura; nam Christus Joan. 15. à v. 1. explicans influxum suæ gratiæ & nostræ voluntatis in merita supernaturalia, & subsequam justificationem hujusque augmentum, ait: *Ego sum vitis vera: & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat . . manete in me & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Ergo, sicut agricola vitis & palmes constituunt unam causam totalem fructus, sic Deus per gratiam, Christus per sua merita, & homo per cooperationem constituunt unam causam totalem justificationis & salutis.

Christo consonat Paulus 1. ad Corinth. 3. à v. 11. dicens: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus JEsus. . Si cujus opus manserit, quod superædificat, mercedem accipiet.* Et ad Hebr. 5. v. 9. de Christo à Deo constituto Pontifice ait: *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Item 2. ad Ephes. à v. 20. inquit de Sanctis: *Estis Cives Sanctorum & Domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo JE-*

JEſu: in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino.

Unde Concilium Tridentinum Seſſ. 6. Can. 32. meritò ſtatuit: *Si quis dixerit, hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita; aut ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & JEſu Chriſti meritum* (NB.) *cujus vivum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia diſceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema ſit.*

Ratio reſponſionis verò eſt: quia Deus prædefinivit, & miſit Chriſtum, tanquam Mediatorem, Redemptorem & Salvatorem generis humani, ſimulque propter ejus merita omnibus hominibus promiſit remiſſionem peccatorum & jus ad vitam æternam, ſi gratiis ſibi collatis cooperati fuerint per fidem vivam & efficacem: ergo juſtificatio & jus morale ad vitam æternam in juſtis adultis indiviſibiliter reſultat ex promiſſione Divina, ex meritis Chriſti, & propria cujuslibet cooperatione; juxta illud Apoſtoli ad Rom. 2. v. 6. *Qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus.*

Quòd

Quòd autem merita Christi infinita sint causa moralis principalis & nostra merita supernaturalia causa moralis solúm secundaria nostræ justificationis & æternæ salutis, patet tum ex citatis textibus S. Scripturæ, tum à ratione: quia homo purus seclusis meritis Christi infinitis non potest de condigno mereri jus ad amorem amicitiæ increatum & ad vitam æternam quà æternam, sed solùm cum influxu morali meritorum Christi, cujus homo est, aut efficitur vivum membrum; utì fusiùs dixi supra cap. 10. num. 114. & 116. Præterea Catholici communiter docent, & credunt, quòd purus homo non possit sine influxu morali meritorum Christi de condigno satisfacere pro unico etiam peccato mortali; adeoque censent, satisfactionem & merita Christi esse causam nostræ justificationis & salutis principalem & primariam, nostram cooperationem verò causam solùm instrumentalem & secundariam.

Unde malevolus Anonymus omnibus Catholicis (qui credunt, se cum gratia Divina secundariò mereri justificationem & salutem, si illi debitè cooperentur) ingentem intulit calumniam, dum §. 39. pag. 265. ait, illos *sua turpi opinione sanguinea Christi merita hodiedum in Ecclesia Romano-Catholica inhonorare.* Quibuscunque Catholicis hanc falsam calumniam ex illius pagellis prælegi, præ indignatione spuunt,

&,

&, ſi Anonymum præſentem haberent, omnes in eum ſpuerent, dicentes: *Mentiris in collum tuum, malevole Anonyme! Nos Catholici omnes ſanguinea merita Chriſti, pro nobis crucifixi, in memoriali Sacrificio Miſſæ quotidie adoramus, ſummè honoramus, & credimus, nos per illa primariò juſtificari & ſalvari; quamvis noſtram cooperationem & meritum ſecundarium cum illius gratia ponamus.*

Quæres 5. Quidnam ſpecialiter objiciat Anonymus? 191

℞. Contra præcedentem Doctrinam Catholicam & Concilium Tridentinum Anonymus §. 8. pag. 81. ſpecialiter objicit ſequentia I. Concilium Tridentinum Seſſ. 6. cap. 7. dicit, quòd *nemo poſſit eſſe juſtus, niſi cui merita paſſionis Domini noſtri JEſu Chriſti communicantur:* ergo manifeſtè & palpabiliter ſibi contradicit, dum eodem cap. priùs dixerat: *Unica cauſa formalis* (noſtræ Juſtificationis) *eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit: qua videlicet ab eo donati, renovamur ſpiritu mentis noſtræ; & non modo reputamur, ſed verè juſti nominamur, & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes unusquisque ſuam.* Con. prob. Chriſti merita non poſſunt nobis aliter communicari quàm per imputationem in fide ad noſtram juſtificationem: ergo.

II. Patres Concilii Tridentini Seſſ. 14. cap. 8. volunt videri, quaſi docerent, quòd no-

bis inhabitans justitia non sit ex nobis ipsis, sed donum Dei nobis per Christi merita infusum; & consequenter, quòd justitia & satisfactio JEsu Christi suum valorem retineat: ergo sibi contradicunt, dum Sess. 6. cap. 16. dicunt: *Atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia Filiis Dei per Christum JEsum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda &c.* Con. prob. Si bona opera non nostræ sed Dei operationes sunt, tunc non possunt in proprio sensu dici meritoria: ergo Patres Tridentini sibi iterum contradicunt, dum dicunt &c. NB. hæ duæ objectiones sunt formalia verba Anonymi l. c. pag. 81. & illatio à me facta est ex illius citationibus pag. 91. expressis.

III. Præterea etiam justificatio à sanctificatione debet distingui: ergo justificatio non est nobis intrinseca, sicut sanctificatio. Ant. patet: quia illa est judicialis sententia, seu verbum forense, hæc verò est infusio sanctitatis, nempe actualis. Con. prob. Non potest dici, quòd justificatio consistat primò in judiciali sententia, seu remissione peccatorum nobis extrinseca; & dein secundo in infusione Christianarum virtutum, nobis intrinseca: ergo justificatio non est nobis intrinseca, sicut

cut ſanctificatio ; adeoque non poſſunt commiſceri, aut in unam formam fundi.

IV. Etiam Paulus juſtificationem noſtram à ſanctificatione diſtinguit 1. ad Corinth. 1. v. 30. de Chriſto dicens : *Qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio :* ergo juſtitia diſtinguitur à ſanctificatione, & illa nobis eſt extrinſeca, hæc verò intrinſeca. Ecce pro uno quatuor Achilles, quibus Anonymus, ſub quatuor literis I. E. V. B. latens, totam doctrinam Romanæ Eccleſiæ & Patrum Concilii Tridentini in ſua hæretica phantaſia proſternit. Sed

℟. *ad 1.* c. ant. n. con. Sic Concilium Tridentinum Seſſ. 6. cap. 9. contra inanem hæreticorum fiduciam ait : *Quamvis autem neceſſarium ſit credere, neque remitti neque remiſſa unquam fuiſſe peccata, niſi gratìs Divina miſericordia propter Chriſtum ;* nullatenus tamen ſibi contradicit, dum immediatè ſubdit : *Nemini tamen fiduciam & certitudinem remiſſionis peccatorum ſuorum jactanti, & in ea ſola quieſcenti, peccata dimitti, vel dimiſſa eſſe dicendum eſt.* Ad prob. n. ant. nam merita Chriſti nobis non communicantur formaliter, & immediatè per ſe ipſa, quaſi eſſent moraliter noſtra merita, ſed communicantur ſolùm cauſaliter, & mediatè per ſuos effectus ; utì fuſiùs dixi ſupra cap. 6. num. 55. & 56. cauſaliter verò nobis dupliciter poſſunt communicari in ordine ad

nostram justificationem; *primò* remotè per solas gratias actuales sine infusione charitatis habitualis & juris adoptivi filiorum Dei; utì peccatoribus communicantur ante justificationem ad eliciendum actum fidei aliósque actus, qui justificationem formalem præcedunt. *Secundò* possunt nobis communicari causaliter proximè per ipsam infusionem habitûs charitatis & collationem juris adoptivi filiorum Dei, resultantis ex meritis Christi.

Utraque hæc causalis communicatio meritorum Christi clarè patet ex S. Scriptura; nam de prima ait Christus Joan. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere.* Et Apostolus 2. ad Corinth. 3. v. 5. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, per Christum.*

De secunda communicatione causali meritorum Christi verò inquit S. Joannes 1. Epist. 3. v. 1. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & simus.* Et Apostolus Paulus ad Rom. 5. v. 5. *Spes autem non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Unde etiam Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 7. loquens de nostra justificatione formali & communicatione causali meritorum Christi, ait: *Id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito per Spi-*

Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret.

Ad 2. c. ant. imò Patres Concilii Tridentini non solùm videntur velle docere, sed clarè positivè docent, quòd justitia nobis intrinseca sit donum Dei, & causaliter oriatur ex meritis Christi. N. con. ad prob. d. ant. Si bona opera non sunt nostræ sed Dei operationes tam directivè & causaliter, quàm elicitivè & formaliter, tunc non possunt in proprio sensu dici meritoria; c. ant. Si sunt operationes Dei solùm directivè & causaliter, elicitivè verò & formaliter operationes nostræ liberæ; n. ant. & con. Operationes nostræ triplicem habent causam partialem & sibi subordinatam, nempe Deum per concursum simultaneum operantem, gratiam supernaturalem actualem, aut etiam habitualem, à Deo ex meritis Christi collatam, & voluntatem aut aliam potentiam hominis. Licèt igitur Deus per supernaturalem illustrationem intellectûs & piam affectionem voluntatis præviè moveat voluntatem ad consensum deliberatum; cùm tamen voluntas tali motioni possit liberè consentire vel dissentire, & consensum vitaliter eliciat, hinc nostra bona opera sunt operationes Dei causaliter & directivè, simúlque operationes nostræ formaliter & elicitivè; adeoque bona opera sunt Dei dona

& simul nostra merita, absque eo quòd sequatur ulla contradictio.

Unde bona opera, quamvis secundariò, verè tamen merentur vitam æternam. Utrumque clarè expressit Concilium Tridentinum Sess. 6. can. 22. his verbis: *Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & JEsu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia discesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit.*

Ad 3. c. ant. n. con. Licèt enim justificatio quà talis distinguatur à sanctificatione præcisè quà tali, utraque tamen est homini intrinseca, & tota justificatio formalis importat tres mutationes partiales homini intrinsecas, se concomitantes, nempe duplicem mutationem moralem & unam physicam. Prima mutatio moralis est remissio peccati, seu transitus ab esse reatûs culpæ. Secunda est mutatio physica & simultanea per infusionem habituum supernaturalium, quæ est sanctificatio & renovatio hominis interioris. Tertia verò est mutatio iterum moralis & simultanea per collationem juris adoptionis filiorum Dei, quæ est justificatio formalis positiva. Omnes has tres partiales & simultaneas mutationes clarè

clarè expressit Apostolus Paulus 1. ad Corinth. 6. v. 11. Corinthiis prius peccatoribus dicens : *Et hæc quidam fuistis : sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.* Ad prob. c. ant. quoad 1. membrum ; n. quoad 2. & con. nam Nos Catholici non dicimus justificationem formalem hominis consistere in judiciali sententia extrinseca Dei, sed in remissione peccatorum, & infusione virtutum supernaturalium cum jure adoptionis filiorum Dei : quæ omnia sunt homini intrinseca ; ùt priùs dixi, & fusiùs explicui supra cap. 12. & 13.

Ad 4. c. ant. n. con. quoad verba media: *& illa nobis est extrinseca;* nam, licèt justitia Christi, nos causaliter justificans, sit nobis extrinseca ; habitus tamen charitatis infusæ cum jure adoptionis filiorum Dei, quæ duo nos formaliter justificant, est nobis intrinsecus ; juxta illud 1. Joan. 3. v. 1. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & simus.* Neque iste textus intelligendus est de charitate actuali à nobis elicita, sed de habituali à Deo nobis infusa; nam de hac charitate à Deo nobis infusa, nósque formaliter sanctificante ait Paulus ad Rom. 5. v. 5. *Spes autem non confundit ; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Taceo, quòd Lutherani sine infusione habituum supernatura-

 lium

lium non possint explicare regenerationem & renovationem permanentem; neque assignare principium intrinsecum stabile, à quo in homine justificato fluerent connaturaliter actus supernaturales virtutum. Ex hucusque dictis clarè vides, quòd Anonymus dogmata Catholica de nostra justificatione nec à longè intelligat, & quòd illius argumenta, quibus Concilium Tridentinum impugnare præsumpsit, prorsus sint nulla.

192 *Quæres 6.* An Epistola Pastoralis Archiepiscopi Viennensis circa nostram justificationem sit conformis Ecclesiæ Romano-Catholicæ.

℞. Epistola Pastoralis Celsissimi Archiepiscopi Viennensis circa nostram justificationem est omninò conformis Ecclesiæ Apostolicæ ac Romano-Catholicæ, & contraria sectæ Lutheranorum. *Ita communis Doctorum Catholicorum contra Anonymum* §. *12. pag. 157. & quosdam alios Catholicorum dogmatum ignaros Lutheranos.*

Responsio patet ex tota Ejus Epistola Pastorali; nam I. Se dicit Dei & *Apostolicæ Sedis* gratia Archiepiscopum Viennensem, per quam Apostolicam Sedem utique intelligit Sedem Pontificiam Romanam, à qua accepit Pallium Archiepiscopale; adeoque etiam deinceps per dogmata salvificæ fidei nostræ intelligit dogmata Ecclesiæ Romano-Catholicæ de nostra justificatione. II. Vult, *ut sinceritas Ca-*

Catholicorum dogmatum ſuos ſemper inter limites ſalva conſiſtat, & ne temere quid dicatur, quod inviolabilibus ſanctæ Religionis noſtræ fundamentis adverſari videatur; adeoque ipſi nunquam incidit docere aliquid Eccleſiæ Romano-Catholicæ contrarium. III. Per *Heterodoxos, qui ſacris noſtris cæteroquin fors accederent*, utique intelligit Lutheranos; adeoque horum doctrinam de noſtra juſtificatione ex ſola miſericordia Divina & juſtitia Chriſti, ſola fide ſpeciali apprehenſa, ſine noſtris meritis, uti docent Lutherani, vult eſſe *heterodoxam:* unde illorum doctrinam nullatenus approbat, ſed poſitivè reprobat. IV. Tandem, ubi loquitur de dogmatibus *ſalvificæ fidei noſtræ*, ait, illa eſſe, *de Chriſto ejusque meritis infinitis, de miſericordia & juſtitia Dei, de ſupernaturalibus pœnitentiæ motivis, de gravitate & horrore peccati, de fide, de ſpe, de charitate Dei & proximi, cæterisque neceſſariis:* inter quæ obſervatu neceſſaria numerat *præcepta Dei & Eccleſiæ*, utique Romano-Catholicæ. Hæc verò omnia ſunt dogmata Catholicorum non verò fidei ſpecialis falſæ & præſumptuoſæ fiduciæ ſpecialis Lutheranorum in ſolam miſericordiam Divinam, & juſtitiam extrinſecam Chriſti, ſine noſtris meritis & cooperatione ad juſtitiam & ſalutem.

Unde malevolus Anonymus Celſiſſimo S. R. I. Principi & Archiepiſcopo Viennenſi

ingentem intulit calumniam & injuriam, dum §. 12. pag. 157. ait: daß der Hochwürdigste Ertz-Bischoff diese sechs Puncte, wovon bishero geredet worden, in Dero Hirten-Brief als Mittel-dinge ansehe, solches kan, dem deutlichen Buchstaben entgegen, so wenig geläugnet, als behauptet werden, daß diese meynung unserer Evangelischen Lehre gemäß seye. Et post pauca incipit calumniam dicens: So kan es, mit bestand der warheit, weder ein Bosheit, die mit Vorsatz übl ausleget, noch eine unbesonnenheit und unverstand genennet werden, wenn man in einer so klaren sache behauptet, daß der Hochwürdigste Herr Ertz-Bischoff, da Höchst die selben denen ersten Warheiten des Glaubens nichts entgegen gelehret wissen wollen den sinn der Evangelisch-apostolischen Kirche gemässer, als der heutigen Römischen Kirche, geschriben haben. Ecce quanta & quàm ingens calumnia! Sed

193 *Quæres 7.* Quibus argumentis Anonymus hoc suum ultimum assertum probare conetur?

℞. Anonymus hoc suum calumniosum assertum probat tribus sequentibus argumentis in suis annotationibus §. 8. *pag. 81.* I. Celsissimus Archiepiscopus in Sua Epistola Pastorali clarè fatetur, & à suis Concionatoribus vult doceri, quòd Christus sit *fons omnis*

gra-

gratiæ & causa unica justificationis & salutis nostræ: ergo fatetur, & vult doceri, quòd nos ex mera Divina misericordia & unicè propter infinita merita Christi justificemur, & salvemur.

II. *pag. 82.* Celsissimus Archiepiscopus in Sua Epistola Pastorali ait: *Igitur Verbum Dei dispensare debet Concionator; qualiter verò id præstat, si de dogmatibus salvificæ fidei nostræ, de Christo ejusque meritis infinitis, de misericordia Dei . . altum taceat;* adeoque ponit inter maximè necessaria dogmata salvificæ fidei doctrinam de misericordia Divina & de Christo ejusque meritis infinitis: ergo fatetur, & vult doceri, quòd nos ex mera Divina misericordia & unicè propter infinita merita Christi justificemur & salvemur.

III. *pag. 90.* Celsissimus Archiepiscopus in Sua Epistola Pastorali non solùm docet, Christum esse fontem omnis gratiæ, causam unicam justificationis & salutis nostræ, sed etiam quòd ejus merita sint illa, per quæ sola nos oporteat salvos fieri: ergo recedit à doctrina modernæ Romanæ Ecclesiæ de nostra justitia, de merito bonorum operum, & de superfluis meritis Sanctorum, aliis hominibus communicabilibus.

℞. *ad 1.* d. ant. Celsissimus in Sua Epistola Pastorali clarè fatetur, & à suis Concionatoribus vùlt doceri, quòd Christus sit fons omnis

nis gratiæ & causa unica justificationis & salutis nostræ comparativè ad Sanctos; c. ant. comparativè ad nostra merita supernaturalia, per gratiam ipsius peracta, & quasi hæc à ratione meriti excludendo; n. ant. & con. dum Celsissimus Archipræsul Viennensis in Sua Epistola Pastorali Christum appellat fontem omnis gratiæ, causam unicam justificationis & salutis nostræ, non loquitur comparativè ad nostra merita supernaturalia & per ipsius gratiam peracta, sed comparativè ad Sanctos eorumque merita; nam loquitur de Concionatoribus aliquibus, qui continuò de cultu Sanctorum, aliisque adiaphoris, raro verò de Christo verba faciunt, dicens: *Qui de Sanctis diserti, de Sancto Sanctorum obmutescunt . . & fontem omnis gratiæ Christum causam unicam justificationis & salutis nostræ negligunt.* Unde ingens falsarius Epistolæ Pastoralis & malevolus interpres est Anonymus, dum ex prædictis verbis l. c. infert hanc conclusionem: *Ergo* (Archiepiscopus vult) *quòd nos ex mera Divina misericordia & unicè ac solùm propter infinita merita Christi justificemur, & salvemur.*

Ad 2. c. ant. n. con. nam integra verba de dogmatibus salvificæ fidei nostræ in Epistola Pastorali sic sonant: *Qualiter verò id præstabit* (Concionator) *si de dogmatibus salvificæ fidei nostræ, de Christo ejusque meritis infinitis de mise-*

misericordia & justitia Dei, de supernaturalibus pœnitentiæ motivis, de gravitate & horrore peccati de fide, de spe, de charitate Dei & proximi cæterisque necessariis (nempe ad nostram justificationem & salutem) *altum taceat* : adeoque Celsissimus non vult, quòd nos ex mera Divina misericordia & unicè propter infinita merita Christi justificemur & salvemur, sed simul ex justitia Divina & propter nostram cooperationem ac meritum secundarium supernaturale, tanquam in adultis necessarium ad salutem.

Cur, quæso, falsarius & malevolus interpres Epistolæ Pastoralis l. c. in sua annotatione & argumento omittit hæc verba *& justitia Dei*? cur omittit reliqua verba de bonis operibus, & loquitur de sola fide salvifica? Sanè non ob aliam causam, nisi quia voluit sequi malevolum suum Magistrum Martinum Lutherum, qui in editione S. Scripturæ, quam pro suo libitu corrupit, nescio ex qua malevola intentione omisit illum textum 1. Joan. 5. v. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Neque iste textus reperitur in Bibliis antiquis Lutheranorum usque ad annum 1611. quem tamen Prædicantes Bibliis postea editis inserueruut, tanquam Lutheri proprium. Item Anonymus voluit sequi etiam aliud exemplum Lutheri, qui in editione

ne suæ Scripturæ illum textum Apostoli Pauli ad Rom. 3. v. 28. *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis*, nempe antiquæ cæremonialis Judæorum, corrupit addendo particulam per *solam* fidem.

Ad 3. d. ant. quòd merita Christi sint illa, per quæ sola comparativè ad merita Sanctorum nos oporteat salvos fieri; c. ant. comparativè ad nostra merita supernaturalia, per gratiam Christi peracta, quasi hæc vellet à causa secundaria salutis adultorum excludere; n. ant. & con. Celsissimus Archiepiscopus reprobat devotiunculas privatas & inordinatas quorundam simplicium, *qui in Sancti cujusdam cultu ejusque icone plus spei reponunt quàm in meritis Christi, in quo tamen solo oporteat nos salvos fieri.* Per quæ ultima verba vult, quòd omnes gratiæ supernaturales, & ad salutem animæ pertinentes, nobis à Deo non dentur ex meritis Sanctorum, sed ex meritis Christi; licèt Sancti pro nobis possint intercedere, & propter merita Christi etiam similes gratias impetrare. Hoc totum autem est perpetua doctrina Ecclesiæ Romano-Catholicæ; ùt fusè ostendi supra cap. 14. num. 159. Unde Celsissimus in Sua Epistola Pastorali nec in minimo puncto recessit à communi doctrina Ecclesiæ.

Ne-

Neque merita Sanctorum per Indulgentias communicantur aliis (utì nos Catholicos docere falsè supponit Anonymus) sed solùm merita Christi, & satisfactiones ac satispassiones Sanctorum superfluæ in hac vita sub ratione satisfactionis & satispassionis; ùt dixi *in Theol. Moral tract. 13. q. 1. a. 1.* Ratio hujus est: quia Sancti per sua merita supernaturalia sibi ipsis meruerunt, & defactò merentur in via seu hac vita, augmentum gratiæ & vitæ æternæ; adeoque illorum merita solùm sub ratione superfluæ satisfactionis & satispassionis, non verò sub ratione meriti quà talis, accedunt ad thesaurum spiritualem Ecclesiæ, repositum in acceptatione Divina; nam Deus decrevit communionem Sanctorum, & in linea supernaturali etiam in ratione satisfactionis & satispassionis nihil inutile aut superfluum relinquit; adeoque vult superfluas satisfactiones & satispassiones Sanctorum esse aliis communicabiles.

Quæres 8. An in Ecclesia Romano - Catholica post Baptismum infantes & juvenes satis instruantur in articulis substantialibus fidei Christianæ?

℞. In Ecclesia Romano - Catholica post Baptismum infantes & juvenes, quamprimùm sunt capaces, satis solidè instruuntur in arti-

culis

culis substantialibus fidei Christianæ, & nostra justificatione per merita Christi.

Responsio nobis patet ab experientia præsertim hìc Viennæ, ubi infantes sunt præcocis ingenii, & à suis matribus, aut aliis ad id deputatis, tam maturè in necessariis necessitate medii ad salutem instruuntur, ut jam quinquennes aut sexennes de Deo uno, mysterio Sanctissimæ Trinitatis, nostræ redemptionis per Filium Dei in Cruce, sanctificationis per Spiritum Sanctum in Baptismo, & de fine nostræ creationis ac vita æterna examinatoribus cum admiratione exactè respondeant. Eadem sedulitate juvenes instruuntur in Catechismo Catholico à Ludimagistris, & examinantur à Parochis aut horum Vicariis in tota Austria: in qua etiam à Parochis aut horum Vicariis frequentes habentur Cathecheses, & à Patribus Societates JEsu missiones.

Neque in præsenti puncto Catholicos carpit Anonymus; interim tamen pag. 27. malevolè in contrarium testem adducit Michaëlem Helding Episcopum Merseburgensem & Sidoniensem, qui in suo Catechismo Catholico Concione 1. pag. 4. de Ecclesia Catholica conqueritur his verbis germanicis: **Nach der Taufe werden die neuen Christen nicht allein nicht erinnert, was ihnen in der Taufe widerfahren sey, sondern man lässet sie auch in eben**

eben solcher Ignoranz aufwachsen, und die übrigen Sacramente nehmen, mehr, weil sie alt genug dazu sind, als daß sie solten in dem, was nöthig ist, unterrichtet worden seyn. Wie wäre es, wenn die meisten Alten nicht einmahl wißten, was die Knaben wissen müssen. An verò in Episcopatu Mersebur-gensi tanta fuerit ignorantia populi Catholici tempore Lutheri, ut Michaël Helding, vulgò Sidonius, ex zelo Catholico sic conqueri potuerit, vel potius ex occulto favore Lutheri sic conquestus fuerit, nescio; nam Michaëlem Helding occultè favisse Lutheranis ex his testatur Christianus Jocher in Lexico Eruditorum his verbis: Endlich erhielt er das Bißthum zu Merseburg; da er denn so *moderat* sich bezeigte, daß er hin und wider die Evangelische Lehre predigen ließ.

Quæres 9. Undenam proveniant errores ali- 195
quorum simplicium Catholicorum?

℞. Errores aliquorum simplicium Catholicorum, de quibus Celsissimus Archiepiscopus Viennensis in Sua Epistola Pastorali conqueritur, nullatenus proveniunt ex falsis dogmatibus Ecclesiæ Romano-Catholicæ, neque ex erronea doctrina Concionatorum, sed ex ignorantia & excessu pietatis talium simplicium. *Ita certa ab experientia Catholicorum sententia contra malevolum Anonymum pag. 26. 150. & 196.*

Responsio patet ab enumeratione errorum, de quibus Celsissimus Archipræsul conqueritur, I. de illis simplicibus, *qui de substantialibus fidei articulis pessimè, nec Catholicè sentiunt; qui revelationi cuidam fortassis apocryphæ, miraculis minimè probatis, superstitiosis nonnullis deliramentis firmiorem longè fidem habent, quàm Verbo Dei scripto & non scripto:* atqui iste error simplicium non provenit ex falsis dogmatibus Ecclesiæ Romano-Catholicæ, aut ex erronea doctrina Concionatorum, sed ex ignorantia quorundam simpliciùm, qui Catecheses & Conciones rarò aut nunquam accedunt: ergo. Si autem malevolus Anonymus contrarium vult evincere, ostendat articulum substantialem fidei Christianæ, in quo Ecclesia Romana pessimè & non Catholicè cum Christo & Apostolis sentit: vel accuset aliquem Concionatorem Catholicum, qui tales errores in vulgus spargit; & iste statim à munere Concionatoris deponetur, & juxta Jus Canonicum punietur.

II. Celsissimus Archiepiscopus conqueritur de nimis simplici & inordinata devotione quorundam hominum de plebe, *qui per omnes Ecclesias Indulgentias sectantur, cum tamen ignorent, quid Indulgentia sit, aut quibus requisitis lucranda; qui in devotiunculis privatis, in Sancti cujusdam cultu ejusve icone plus spei reponunt quàm in meritis Christi:* atqui talis nimium simplex & inordina-

nata devotio iterum non provenit ex falſis dogmatibus Eccleſiæ Romano - Catholicæ, aut erronea doctrina Concionatorum, ſed ex ignorantia & inordinata devotione ſimplicium: ergo. Min. patet; quia Eccleſia Romano - Catholica & Concilium Tridentinum non ſolùm dat debitam doctrinam de Indulgentiis Seſſ. 25. in decreto de Indulg. ſed etiam de ordinata invocatione Sanctorum eadem ſeſſione in decreto de invocatione Sanctor. dicens: *Utile eſſe ſupliciter eos invocare ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus JEſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui* (NB.) *ſolus noſter Redemptor & Salvator eſt.* Et in utroque decreto prohibet, & aboleri cupit omnes abuſus.

III. Tandem Celſiſſimus conqueritur contra quosdam ſimplices, *qui graviori ſibi conſcientiæ ducunt, confraternitatis cujuspiam leges transgredi, quàm Decalogum Dei:* atqui etiam iſte error non oritur ex dogmatibus Eccleſiæ Romano - Catholicæ; quia hæc, licèt devotiones confraternitatum approbet, ſodales tamen ſub peccato ad nihil obligat. Neque talis error oritur ex erronea doctrina Concionatorum vel aliorum; quia ſodalibus, dum incorporantur, dicitur, illos ad præſcripta in regulis confraternitatis pia opera non obligari ſub peccato.

Quæres 10. Quænam poſſint objici in contrarium? 19

℞. Sequentia cum Anonymo ll. cc. I. Celsissimus in Sua Epistola Pastorali conqueritur: *Experientia, prob dolor! constat, non paucos de plebe homines aut turpi ignorantia consepultos, aut præposteris principiis imbutos; qui de substantialibus fidei articulis pessimè, nec Catholicè, sentiunt:* ergo errores, quos dein enumerat, proveniunt ex præposteris principiis Ecclesiæ Romanæ & Concionatorum, qui continuo de adiaphoris, & rarò de Christo ejusve meritis infinitis, & misericordia Divina per Christum loquuntur.

II. Celsissimus post enumeratos errores ait: *Hi & hujusmodi errores utinam non magna ex parte irreperent eorum vitio Concionatorum, qui parum pensi habent, quid aut quomodo auditorem doceant, si modo merces suas viliores, reconditis melioribus, venum proponant:* ergo vult, hos errores magna ex parte oriri ex præpostera doctrina Concionatorum, qui continuò de adiaphoris loquuntur.

III. Celsissimus perorando pergit: *Calamitosis illis temporibus, quibus Ecclesia Dei in Germania nostra fœdè discissa est, sacris oratoribus id vitio dabatur, quòd plurima de Sanctis, de Indulgentiis, Rosariis, de Imaginibus, de Processionibus, & id genus adiaphoris verba facerent, nihil penè dicerent de Christo & veritatibus fidei:* ergo fatetur, tunc fuisse in Ecclesia Romana vitium Concionatorum, quòd non satis prædicaverint fidem in Christum ejusve merita infinita,

nita, & in misericordiam Divinam per Christum.

IV. Celsissimus subdit: *Hoc vitium per Concionatores nonnullos repullulare intelligimus, qui de Sanctis diserti, de Sancto Sanctorum obmutescunt.* Et post pauca addit absurdam sequelam: *Hinc nempe pronissimum est, ut plebs imperita, quæ à Concionatoris ore pendet, & in verba magistri jurat, majorem longè de utilibus quibuslibet, quàm de unicè necessariis, æstimationem concipiat:* ergo Ille errores plebis imperitæ adscribit vitio nonnullorum Concionatorum, & vult, ut omnes prædicent frequentiùs fidem in Christum ejusve merita infinita, & in misericordiam Divinam per Christum.

V. Celsissimus in 3. §. Suæ Epistolæ Pastoralis inquit: *Ad hæc munere suo haud quaquam funguntur Concionatores illi, qui toti in eo sunt, ut comptula nimis aut vana & ludicra dicendi ratione aures plebis demulceant, non corda percellant; qui gentium Apostolo è diametro oppositi nihil minus sciunt, quàm JEsum Christum, & hunc Crucifixum:* ergo Ille fatetur, quosdam Concionatores Catholicos esse Paulo Apostolo contrarios, & populum instruere in præposteris principiis.

VI. Objicit Anonymus pag. 26. contra compositorem demonstrationis Syntheticæ: abusus simplicis plebis in Religione non possunt oriri ex vera fide, & dici excessus pieta-

tis : ergo tales abuſus oriuntur ex falſis dogmatibus Eccleſiæ Romanæ. Ant. prob. Chriſtus Matth. 7. v. 17. ait: *Omnis arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor malos fructus facit:* ergo. Tandem poſſet objici ex doctrina de cultu Sanctorum aliiſque adiaphoris per accidens oriuntur abuſus ſimplicis plebis: ergo talis doctrina eſt relinquenda & omittenda.

197 ℞. *ad 1.* c. ant. n. con. nam Celſiſſimus non ait, ſimiles ignaros de plebe eſſe à Concionatoribus præpoſteris principiis imbutos, ſed ſupponit aliunde eſſe ſic imbutos ex revelatione quadam fortaſſis apocrypha, ex miraculis minimè probatis, aut ex ſuperſtitioſis, nonnullis deliramentis : quæ utique per modum veræ revelationis, veri miraculi, aut veræ ſententiæ Concionatores Catholici & docti populo non proponunt. Neque ex ſimpliciori plebe principiis præpoſteris ſunt imbuti, qui catecheſibus & concionibus ſatis frequenter interſunt, ſed, qui illas negligunt.

Ad 2. c. ant. d. con. Ergo Celſiſſimus vult, hos errores magna ex parte oriri negativè & ex negativè præpoſtera doctrina Concionatorum, qui &c. c. con. vult, hos errores oriri poſitivè & ex poſitivè præpoſtera doctrina Concionatorum, qui &c. n. con. Nullus Concionatorum Catholicorum docuit, aut docere præſumpſit, hanc impietatem, firmiorem

rem fidem esse habendam revelationi cuidam privatæ, fortassis apocryphæ, quàm Verbo Dei scripto & non scripto &c. aut, plus spei reponendum esse in Sancti cujusdam cultu ejusve icone, quàm in meritis Christi &c. Unde Celsissimus non vult, similes errores in plebe simplici positivè oriri ex doctrina Concionatorum sed solùm negativè: & quidem solùm illorum, qui continuò de adiaphoris & raro de Christo ejusve meritis infinitis loquuntur.

Ad 3. c. ant. d. con. ergo fatetur, tunc in Ecclesia Romana fuisse vitium Concionatorum, quòd non satis prædicaverint fidem in Christum ejusve merita infinita, & in misericordiam Divinam per Christum, quòd, inquam, hoc non satis prædicaverint modo Catholico, & dependenter à nostris supernaturalibus propriis; c. con. quod illam non satis prædicaverint modo Lutheranorum, & independentur à nostris meritis supernaturalibus; n. con. Magnum igitur vitium negativum Concionatorum ante Lutherum fuit, quòd plurima verba fecerint de adiaphoris & pauca de Christo ejusve meritis infinitis & misericordia Divina per merita Christi dependenter à nostra cooperatione & merito solùm secundario (quæ doctrina est dulcis & spiritualis favus mellis animæ verè Christianæ) nam sic Lutherus opportunam occasionem habuit

populo ignaro, & ad desideria carnis prono, proponendi ex S. Scriptura hunc favum mellis, à se hæretico veneno infectum, dicendo, nos justificari ex pura misericordia Divina & per justitiam Christi sola fide apprehensam.

Ad 4. c. ant. d. con. ergo Ille errores plebis imperitæ adscribit vitio negativo & omissionis nonnullorum Concionatorum; & vult, ut omnes frequentiùs prædicent fidem in Christum ejusve merita infinita, & in misericordiam Divinam, modo Catholico & Apostolico; c. con. modo Lutheranorum; n. con. Plura de hoc dixi supra cap. 16. num. 181. Cæterùm Celsissimus Archipræsul jure optimo dixit: *Hoc vitium per Concionatores nonnullos repullulare intelligimus, qui de Sanctis diserti, de Sancto Sanctorum obmutescunt &c.* nam, dum rudiores Catholici, de misericordia Dei per Christum dependenter à nostra cooperatione & merito secundario non satis instructi, ex textibus S. Scripturæ à Lutheranis audiunt, nos justificari & salvari ex misericordia Divina & meritis Christi, ab illis facilè persuadentur, nos justificari & salvari ex sola misericordia Divina & meritis Christi sola fide apprehensis; si modum justificationis ex misericordia Divina & meritis Christi dependenter à nostra cooperatione & merito supernaturali secundario, non satis clarè & solide intelligant. Et hæc ignorantia forsan fuit primaria causa,

quæ

quæ in Provinciis Catholicis Germaniæ plures ſimplices ruſticos à vera fide Catholica ad Sectam Lutheranam pellexit.

Ad 5. c. ant. d. con. ergo Ille fatetur, quosdam Concionatores Catholicos eſſe Paulo Apoſtolo contrarios quoad perſuaſibilia humanæ ſapientiæ verba ; c. con. quoad virtutem meritorum Chriſti & miſericordiam Divinam per merita Chriſti ; n. con. Licèt aliqui Concionatores, à Celſiſſimo deſcripti, ſint Apoſtolo Paulo quoad perſuaſibilia humanæ ſapientiæ verba contrarii (nam ille 1. ad Corinth. 2. à v. 4. ait : *Sermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritûs & virtutis : ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei*) quoad virtutem tamen meritorum Chriſti & miſericordiam Divinam per & propter merita Chriſti, non ſunt Apoſtolo gentium contrarii ; quia prædicant incidenter, aut quandoque etiam ex profeſſo, de miſericordia Divina per Chriſtum. Unde Celſiſſimus de ſimilibus Concionatoribus, quando ſe ipſos & perſuaſibilia humanæ ſapientiæ verba perorant, ex Zeloſa & Apoſtolica indignatione per figuram hyperboles ait : *Qui, Gentium Apoſtolo è diametro oppoſiti, nihil minùs ſciunt, quàm JEſum Chriſtum, & hunc crucifixum.*

Neque doctissimi Concionatores erubescere coram populo debent, si postpositis humanæ sapientiæ verbis frequenter secundùm exemplum Apostolorum Pauli & Joannis ad illum verba faciant de misericordia Divina per Christum, & charitate propterea Deo & proximo debita; nam Paulus Apostolorum doctissimus 1. ad Corinth. 2. v. 2. ait; *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi JEsum Christum, & hunc crucifixum.* Joannes verò, teste Hieronymo comentar. in Epist. ad Galat. cum senex continuò de charitate Dei & proximi loqueretur ad tædium discipulorum, respondit: *Digna Joanne sententia; quia præceptum Domini est; &, si solùm fiat, sufficit.*

Ad 6. d. ant. abusus simplicis plebis in religione non possunt oriri ex vera fide per se, & ex ipsa vera fide; c. ant. non possunt oriri ex vera fide per accideus, & propter ignorantiam & annexum errorem; n. ant. & con. Ad prob. eadem est distinctio & explicatio verborum Christi Salvatoris: nam licèt arbor bona per se faciat fructus bonos, per accidens tamen, e. g. propter ingressum verminculi, facit fructus malos; utì nos multiplex experientia docet. Sic etiam opera pietatis, si fiant ex bona intentione & juxta dogmata Ecclesiæ, sunt fructus boni; si autem fiant ex perversa intentione aut contra dog-

dogmata Ecclesiæ sunt fructus mali. Si tamen pietas nimia in adiaphoris non oritur ex errore culpabili, sed ex ignorantia inculpabili simulque bona intentione, aptè potest dici excessus pietatis.

Ad id, quod additur, c. ant. n. con. nam, ùt ait S. Gregorius Magnus homil. 7. in Ezechielem : *Si de veritate scandalum sumitur, utiliùs permittitur nasci scandalum, quàm veritas relinquatur.* Unde etiam Gregorius IX. lib. 5. Decretal. hanc sententiam statuit pro principio & regula 3. dicens : *Utiliùs scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.* Imò, si abusus & scandala, quæ per accidens oriuntur ex rebus sacris, deberent vitari, omnia sacra essent relinquenda, & neque Filius Dei debuisset incarnari ; cùm de illo Lucæ 2. v. 34. dicatur : *Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël : & in signum, cui contradicetur.*

Quæres 11. An doctrina Ecclesiæ Romano-Catholicæ & Scholasticorum de nostra justificatione sit clara & Apostolicæ doctrinæ conformis ; Lutheranorum verò difformis ? 197

℞. *ad 1.* Doctrina Ecclesiæ Romano-Catholicæ & Scholasticorum de nostra justificatione per habitum charitatis infusum cum jure adoptionis filiorum Dei est clara & Apostolicæ doctrinæ omninò conformis. *Ita communis*

munis Catholicorum contra Lutheranos, & præsertim contra malevolum Anonymum §. *26. pag. 199.*

Responsio patet ex collatione doctrinæ Apostolicæ & doctrinæ Romanæ Ecclesiæ; nam 1. Epist. 3. v. 1. ait S. Joannes: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur & simus:* in quo textu clarè exprimitur forma nos justificans nempe habitus charitatis infusus cum jure adoptionis filiorum Dei. Dein Paulus ad Rom. 5. v. 5. inquit: *Spes autem non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ubi Apostolus per Spiritum Sanctum non solùm intelligit tertiam personam Divinam, cui approprianrur opera sanctificationis, sed etiam habitum charitatis nobis infusum cum jure filiationis Dei; nam ad Rom. 8. à v. 15. subdit: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba (Pater) ipse enim Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quòd sumus Filii Dei. Si autem filii & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Neque hæc Lutherani possunt explicare de charitate actuali, aut jure nobis extrinseco; nam jus adoptionis est moraliter intrinsecum adoptato; charitas verò actualis non est à Deo nobis infusa, sed à nobis per habitum charitatis & gratiam actualem elicita.

Huic doctrinæ Apoſtolicæ verò omninò conformis eſt doctrina Eccleſiæ Romano-Catholicæ, quæ in Concilio Tridentìno Seſſ. 6. cap. 7. agens de cauſa formali noſtræ juſtificationis, inquit: *Quamquam enim nemo poſſit eſſe juſtus, niſi cui merita Domini noſtri JEſu Chriſti communicantur* (nempe per jus adoptionis ex illis reſultans) *id tamen in hac impii juſtificatione fit, dum ejusdem ſanctiſſimæ paſſionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret.* Et dein can. 11. ſtatuit: *Si quis dixerit, homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua juſtificantur, eſſe tantùm favorem Dei; anathema ſit.*

Fuit autem hæc doctrina de noſtra juſtificatione formali per habitum charitatis infuſum cum jure adoptionis filiorum Dei ſemper & jam ante S. Auguſtinum in Eccleſia Romano-Catholica; utì manifeſtè patet ex S. Auguſtino, qui tom. 10. lib. de grat. Chriſti reprehendens Pelagium & Cœleſtium, cap. 3. col. 243. ait: *Iſtam quippe gratiam, qua juſtificamur, id eſt, qua charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, in Pelagii & Cœleſtii ſcriptis, quæcunque*

legere

legere potui, nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri.

Plura de justificatione nostra per charitatem à Deo nobis infusam cum jure adoptionis, resultante ex promissione Divina & meritis Christi, tanquam causa morali primaria, dixi supra cap. 13. per totum, illamque clarè etiam à rationibus Theologicis præter textus S. Scripturæ & Patrum explicui. Si autem hæc Anonymo aut Pighio in posterum obscura fuerint visa, dicere cogar, quòd ille nec S. Scripturam à longè intelligat, nec historiam Ecclesiasticam de nostra justificatione calleat, nec jus adoptionis filiorum Dei per Christum percipiat; sed habeat caput lympaticum, cor malevolum, & linguam venenatam, per quam multas calumnias in Ecclesiam Dei & Catholicos evomere novit.

℞. *ad 2.* Doctrina Lutheranorum de nostra justificatione per justitiam Christi nobis solùm extrinsecam, sine intrinseca remissione peccatorum, & infusione charitatis habitualis, aliarumque virtutum supernaturalium, cum jure adoptionis filiorum Dei, est doctrinæ Apostolorum & antiquæ Ecclesiæ Catholicæ contraria. *Ita communis Catholicorum contra Lutheranos & Calvinistas.*

Responsio abundè patet ex dictis supra cap. 6. n. 13. & textibus S. Scripturæ priùs relatis, & S. Augustino de errore Pelagii & Cœlestii

leſtii ; quem errorem utique reſuſcitarunt Lutherus & Calvinus, qui negant, nos juſtificari per habitum charitatis nobis intrinſecum, & à Deo cum jure filiationis adoptivæ nobis infuſum.

Quæres 12. Quidnam generaliter contineat 199
libellus famoſus Anonymi?

℞. Libellus famoſus Anonymi cum Epiſtola Paſtorali & demonſtratione ejusdem Synthectica continet præcipuè tria ſequentia, I. Compendium omnium dicteriorum, quæ contra Eccleſiam Romanam Romanúmque Pontificem (qui hæreditarius ſudes eſt in oculis Lutheranorum) ab homine ſummè malevolo compilari poſſunt.

II. Continet quædam inſulſa argumenta contra cultum Sanctorum, contra miraculoſas Icones, contra Roſaria, contra Indulgentias, Peregrinationes, & Confraternitates. Quæ levia & inſulſa argumenta hìc brevitatis cauſa rejicere nolo ; tum quia in præſenti opuſculo solùm de noſtra juſtificatione tractare propoſui ; tum quia de ſimilibus operibus adiaphoris alibi, præſertim verò in tract. de quatuor Noviſſimis, Deo dante, ex profeſſo ſum acturus.

III. Continet argumenta, quibus falsò & calumniosè vult probare, Archiepiſcopum Viennenſem in Sua Epiſtola Paſtorali de Juſtificatione noſtra per merita Chriſti magis fave-

favere doctrinæ Lutheranorum quàm Ecclesiæ Romano-Catholicæ. Inter quæ argumenta etiam ponit, quòd Celsissimus dicat, merita Christi esse infiniti valoris; quod utique tota Ecclesia Romano-Catholica asserit. Neque ex hoc sequitur, non requiri nostram cooperationem & meritum secundarium ad nostram justificationem & salutem; sicut ex eo, quòd omnipotentia Divina, quæ nobiscum operatur effectus naturales, sit infinita, non sequitur, nos eidem non cooperari.

IV. Continet plures calumnias contra compositorem demonstrationis Synthecticæ, & pag. 184. reum arguit mendacii, quòd dixerit Lutheranos cum adiaphoris, seu operibus arbitrariis, etiam necessaria proscripsisse: *Proscriptô libero arbitrio, proscripta observantiá mandatorum, proscriptá pœnitentia, proscriptô pretio bonorum operum.* Quæ omnia vera sunt; nam Lutherus lib. cui titulus *Operationes in Psalmos*, Psalm. 5. & lib. de servo arbitrio proscripsit liberum nostrum arbitrium quoad omnes actus internos; ùt patet ex illius propriis verbis, à me relatis tract. 7. cap. 12. num. 135. Proscripsit observantiam mandatorum Decalogi, & pretium bonorum operum etiamnum proscribunt omnes Lutherani; ùt patet ex dictis supra cap. 5. num. 49. 50. & 51.

Unde

Unde malevolus Anonymus compoſitori prædictæ demonſtrationis ingentem intulit calumniam & injuriam, dum ei pag. 184. applicat illa verba Joan. 8. v. 44. *Vos ex parte diabolo eſtis: & deſideria patris veſtri vultis perficere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit: quia non eſt veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax eſt, & pater ejus.* Ut autem ego hæc verba malevolo Anonymo jure merito propter ejus mendacia poſſim replicare; hinc.

Quæres 13. Quænam ſint præcipua menda- 200
cia Anonymi?

℞. Inter mendacia plurima, quibus libellus famoſus Anonymi in annotationibus ſcatet, præcipua ſunt ſequentia, I. quòd dicat, Eccleſiam Romano-Catholicam in dogmatibus de noſtra juſtificatione per merita Chriſti & ſimul noſtra, ac per juſtificationem formalem nobis intrinſecam defeciſſe à doctrina Apoſtolica & Catholica antiquæ Eccleſiæ. Quod aſſertum Anonymi ingens & ſplendidum eſſe mendacium declaravi ſupra num. 189. 190. & 198.

II. Quòd §. 39. pag. 265. dicat, Catholicos ſua turpi opinione ſanguinea Chriſti merita hodiedum in Romano-Catholica Eccleſia inhonorare; item §. 11. pag. 150. inter (&) dicat, Catholicos in moderna Romana Eccleſia de Chriſto ejusque Evangelio

(von welchen allen sie wenig oder gar nichts wissen) parum aut nihil scire. Hoc calumniosum mendacium quoad 1. partem refutavi supra num. 190. in fine. Quoad 2. partem verò assertum Anonymi esse pariter calumniosum mendacium; prout omnibus Catholicis, in Romano Catholica Ecclesia degentibus, ab experientia constat; nam, quod concernit Christum, ejusque passionem pro nostra salute, de eo non solùm omnes singulis diebus ad minùs semel recitant Symbolum Apostolorum, sed etiam simplices & pauperrimi in suis tuguriolis habent imaginem crucifixi; ut passionis Christi pro nostra salute sæpius interdiu recordari possint. Quod autem concernit Evangelium, illud singulis diebus festivis & dominicis à Concionatoribus ante sermonem prælegitur; & pientiores illud etiam domi per filios aut famulos relegi curant.

III. Quòd Epistolam Pastoralem Celsissimi Archiepiscopi Viennensis malevolè in partem Lutheranorum interpretetur, & dicat, hunc Ecclesiasticum Principem in illa esse Ecclesiæ Romano-Catholicæ contrarium. Quam calumniam & mendacium refutavi supra num. 192.

201 Patere igitur mendax Anonyme, & false interpres Epistolæ Pastoralis Celsissimi S. R. I. Principis Archiepiscopi Viennensis, ut tibi in

in pœnam (nam reus es coram Deo & mundo; quia peccasti in cœlum & terram) illa verba, quæ Christus Joan. 8. v. 44. malevolis & mendacibus Judæis dixit, & tu sacro oratori & compositori demonstrationis Synthecticæ malevolè & sine omni causa applicasti, tibi pro corinde meæ Exegesis replicem: *Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis perficere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit; quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax est, & pater ejus.* Hæc enim non conveniunt sacris oratoribus Catholicis, sed Prædicantibus Lutheranis, qui cum diabolo Genes. 3. populo mendaciter dicunt: *Nequaquam moriemini . . & eritis sicut Dii scientes bonum & malum;* dummodò fide speciali credideritis, vos justificari & salvari ex pura misericordia Divina sine vestris meritis, & per justitiam Christi, sola fide speciali (instar pomi per manum) apprehensam.

Neque nos Catholici vestros Sacerdotes (si tamen præter Apostatas Asmodaicos à Religione Catholica, quos egregiè describit Apostolus Paulus 2. ad Timoth. 3. alios habetis) propter Epistolam Celsissimi Archiepiscopi cessabimus appellare *Prædicantes fidei mortiferæ;* utì pag. 20. inaniter speras; nam hos Celsissimus ante finem suæ Epistolæ bina vice vocat *heterodoxos.* Neque illis per hunc

titulum injuriam facimus; nam de illis & similibus Christus ipsemet Matth. 7. à v. 22. ait: *Multi mihi dicent in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus . . Et tunc confitebor illis: quia nunquam novi vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem.*

202 Majorem laudem, mi Anonyme, ante sex menses à tuis Consectariis, quàm modò à nobis Catholicis, per tuas pagellas reportasti; nam anno præcedente 1753. Eruditi Lipsienses in publicis novellis die 18. Octobris te applausibilibus his verbis laudarunt: „ Wir „ finden nicht vor nöthig den Namen des „ Hochadelichen Verfassers bekant zu machen, „ da derselbe selbst unbekant bleiben wollen, „ und über diß diese Schrift so beschaffen ist, „ daß sie sich den Beyfall aller Verständigen „ gewiß zu versprechen hat (risum tenete sapientes!) „ ob sie gleich nicht mit den Na„ men des vortreflichen Mans pranget. Defectum tamen aliquem Eruditi Lipsienses in tuis pagellis repererunt, in iis novellis publicis dicentes: „ Es möchte villeicht einigen „ zum Anstoß gereichen, welches wir nur bey„ läufig anmercken wollen, daß der Herr die „ Schrift-örther nach der Heümanischen „ Ybersetzung, dero Werth (scilicet) mehr „ als zu bekant ist, angeführet hat. Allein „ wir glauben, daß derselbe gegründete Ab„ sichten darzu werde gehabt haben, ungeachtet

„ achtet es freylich nicht dienlich zu seyn schei-
„ net, hierinen einige Neüerung ohne allge-
„ meinen Beyfall anzufangen. Consultiùs igitur tibi, mi Anonyme, fuisset, si tui Protomagistri Martini Lutheri, experti versoris aut potius perversoris S. Scripturæ, monitum in præfatione de novissimis verbis Davidis secutus fuisses, dicentis: *Omninò melius esset retinere illam hactenus receptam & usitatam versionem*, nempe vulgatam Ecclesiæ Catholicæ, *Bibliorum quàm tot novas versiones cumulari, quibus nihil proficitur, nisi quòd dissimilitudo & discrepantia lectionum memoriam turbat, & studium remoratur, ac in multis locis incertiorem, quàm fuerat dimittit.* Versionem vulgatam, inquam, consultiùs fuisset secutus quàm particularem Heümani (nescio cujus fidei hominis) nam iste fuit inter illos sciolos, de quibus Lutherus libro prophetiarum suarum, à Gregorio Waltero Hallensi Prædicante collecto, dixit: *Tam multæ nostro tempore sunt versiones Bibliorum, ut paulatim tam multa futura sint Biblia, quàm multi scioli in Hebraica lingua Magistros se esse profitebuntur.* Sciolus igitur sciolum malè fuisti secutus.

Si autem in hoc ultimo capite, mi Anonyme, tuam prænobilem personam à me offensam putas, scito, me non contra tuam personam sed contra tuas pagellas & malevolas annotationes in Epistolam Pastoralem egisse.


Imò etsi contra tuam personam, nobis Catholicis ignotam egissem, nullam tibi, utpote Anonymo, injuriam intulissem; nam tu prior mendaces calumnias Summis Ecclesiæ Pontificibus, Patribus Concilii Tridentini in Spiritu Sancto congregatis, Celsissimo Archiepiscopo Viennensi, & omnibus Ecclesiæ Catholicæ membris intulisti; ex quibus utique centena millia dantur personarum te longè nobiliorum. Vale, mi Anonyme! sed in Domino.

Atque hæc pro Exegesi nostræ justificationis & Apologia Epistolæ Pastoralis Celsissimi Archiepiscopi Viennensis dicta sufficiant. Claudo hanc meam Exegesim verbis ejusdem Celsissimi: *Hæc ergo scientes studeamus secundùm mandata & voluntatem Domini Verbum Dei ritè explicare, ut cœlorum regnum consequamur in Christo JESU Domino nostro, cui gloria & imperium cum Patre & S. Spiritu nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.*

FINIS.



IN-



INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Litera C. denotat Caput, & litera N. numerum marginalem.

A.

Cal-

G.

Jan-

I.

L.

M.







R.P.S TRVGGL
EXEGESIS